


1
6
528







DOMINICI LEONI LVNENSIS

In celeberrimo Bononiæ Gymnasio publici Medicinæ Interpretis.

Ars medendi humanos, particularesq; morbos à capite, vsq; ad pedes.

Quæ ob faciliorem doctrinam in Tres diuiditur Sectiones: quarum Prima continet morbos membri animati. Secunda morbos membrorum spiritalium. Tertia morbos membrorum nutritioni, et generationi seruientiũ.

BONONIAE.
Apud Io. Rossium. MDLXXVI.
Curiæ Episc. & S.Inq. concessu.

2

ILL.^{MO} AC REVER.^{MO}

PHILIPPO BONCOMPAGNO S. ROMANAE ECCLESIAE TITVLI S. SISTI

CARDINALI AMPLISSIMO.

Dominicus Leonus Lunensis S.

MEDICINAM à Dijs Immortalibus emanasse, & apud Reges, Imperatores, terrarumq; Principes maximo in honore semper fuisse omnibus exploratum est: id enim cum sacræ, tum etiam profanæ historiæ testantur: quam artem pene euersam, & extinctam suscitauit, & restaurauit Hippocrates: auxit, & illustrauit Galenus: locupletauit Rasis: ordinauit Auicenna: compendiosam fecere Paulus, & Aetius, & Trallianus: in ea li-

tes, & controuersias diremit, dissidiaq; conciliauit Petrus Aponensis, & Gentilis Fulignas, viri inter recentiores perspicacissimi ingenij, & in re medica, philosophicaq; multum versati: & nisi eorum ætas barbarie, & obsoleto sermone deturpata fuisset, nil oriturum alias, nil ortum tale fateremur. ornarunt postea Manardus, Farnellius, Iacobus Siluius, Matthæus Curtius, Montanus, & per multi alij huius factionis Medici: quorum omnium scripta annis superioribus euoluens Apis matinæ more, modoq; grata carpentis thyma per laborem plurimum, quæ ad praxim faciebant excerpebam, & in vnum congerebam: hinc factum est, vt, quemadmodum flumina ab exiguis orta fontibus paulatim incrementum suscipiunt, ad tantamq; perueniunt magnitudinem, vt facilè onustas naues sustinere poßint, pariter hoc nostrum medicinæ opus ex tenui, & exili principio ita creuit, vt terminum excederet constitutum, & meam superaret expectationem. diu in mea delituit bibliotheca, absq; vllo fructu, & vtilitate: tandem, amicis, & multis ex ijs, qui me publicè legentem audierunt hortantibus, placuit edere, & potius hominum experiri iudicia, quàm me ipsum mihi vni commodum ostendere. vnicum restabat desiderium inueniendi virum, vel potius Heroa, cuius presidio, & auctoritate liber munitus palam prodire posset, cum tu vnus Cardinalis Illustriß. mihi occurristi probitate insignis, et in re literaria versatißimus, eaq; natus familia, quæ propria dignitate totum nunc illuminat orbem, omnibusq; mortalibus sanctè,

Ctè, pieq; viuendi leges præscribit, mores emendat, & iter expeditißimum ad cælestem patriam ostendit: tuus enim Patruus diuina prouidentia ad Pontificatum euectus magna omnia, & salutifera omnia de se pollicetur: in quo videmus omnia inesse, quæ in summo viro, in summo Principe, & in summo Pontifice requiruntur, iustitiam scilicet, pietatem, rerum peritiam, consilium, prouidentiam, fortitudinem, & in arduis deliberandis maturitatem: cui GREGORIVS nomen non temerè, sed diuinitus impositũ, ob id scilicet, quia solus futurus sit, qui uigilando rempublicã; religionemq; Christianam nobis conseruet, & tueatur. PIVS V. armis ueræ pietatis accinctus horribiles, nominiq; Christiano infestißimos Turcarum conatus repreßit, eorũ classem inuictißimam, iugum, & seruitutem Romanæ Ecclesiæ minitantem disiecit, submersit: Ottomanos Duces captiuos, vt carcerem, quem nobis parabant, ipsi paterentur, Romam duxit. Huic religiosißimo populorum Pastori, acerrimoq; Ecclesiæ defensori, vigilantißimus, & omni parte integerrimus GREGORIVS XIII. Christi ouium verus Pastor succeßit: de cuius doctrina, honestate, sanctitate, continentia, morum grauitate, vt fidem faciam mihi laborandum esse minimè arbitror, cum Deus ipse rerum omnium fabricator, & moderator hominis animi candore, & cordis sinceritate delectatus, Hunc vnum ex vniuerso Christiano cœtu elegit, qui dum bellorum instant tumultus, dũ tempestates, & procellæ vndiq; territant, Petri fluctuantem, & quasi naufragam nauiculam regeret, gubernaret,

gubernaret, & in tutißimum tranquillißimumq; portum reduceret, et eo obice, & propugnaculo muniret, ut nullum amplius naufragium vereretur. In schola tanti Pontificis enutritus, & eruditus meruisti, vt proprium galerum tibi imponeret, tuaq; iuuenilia tempora purpureo cingens diademate te dilectißimum, sibiq; in scientijs, et animi magnitudine, innocentiaq; similem agnosceret, & charißimum haberet nepotem: & meritò, nam vt externa, fortunæq; bona omittantur, quæ in te sunt cumulatißima, tu profectò ille futurus es, de quo non solum patria, & affines, uerum amici, & externi homines magna obsequia sibi polliceri poterunt. In te enim nunquam auaritiæ vel minima suspicio locum habuit: sed omnibus benignum, & munificum te semper præstitisti, & præstas. Intelligis nullam esse virtutem, qua propius ad Deum accedatur ipsa beneficentia. Insuper, vt es animo maximo, splendidißimoq; ingenio, vt ducis omnia virtute inferiora, vt iudicas nihil sine Deo habendum esse in bonis, diuinam quoq; bonitatē, atq; sapientiam imitaris. nihil supra hominem, uel profiteris, uel audes. omnibus te facilem, humanum, mãsuetumq; præstas. nihil tibi aut ad rem, aut ad dignitatem additum putas, quod à cœlesti manu non sit elargitum; hincq; sempiterni opificis bonorum tanquam negotiator, & dispensator te in cunctos ea geris benignitate, & liberalitate, qua semper antea mirifice claruisti. cum igitur datum sit, vt tot, tantisq; heroicis virtutibus, et prærogatiuis cæteros antecellas, tuumq; nomen immortalitati mandes, quis, nisi

lippu

lippus, & cæcutiens lumen ſolis auerſabitur? quis in te, & corporis, et animi cumulatiſsima ornamenta non admiretur? quis de te nõ ſperet quicquid à Principe humaniſsimo, doctiſsimo, literarũq; alumno ſperari poteſt? Quapropter ſi hunc meum de medẽdis humanis, particularibusq; morbis librum tibi dicare, & ſacrare volui, iure quidem hoc feciſſe videor: nam tuarum laudum preconijs iamdiu ac cenſus, te non modo meorum ſtudiorũ, & lucubrationum defenſorem, & patronum cupio, uerum etiam cenſorem, æſtimatorem, & iudicem oculatiſsimum conſtituo. non deerunt aliorum laborum detractores, & zoili, qui me temeritatis inſimulabunt, quòd inter tot Græcorum, et Arabum medicinæ volumina hunc librum, alienis plumis dicent ornatum publicare uoluerim: quibus uulgato illo adagio, videlicet dulce bellum inexpertis, aliàs optimè reſponſum eſt. ſcribant ipſi, & poſtquam de ſe in ſcribendo periculum fecerint, mox in aliorum ſcriptis Ariſtarchi fiant. ſed interim (quoniam iſtos blaterones non pluris, quàm ad lunæ radios canum latratus ſemper æſtimaui) dum maiora, & eruditiora condo, & molior, ne tuo patrocinio, auraq; fœlici deſtituar, etiam, atq; etiam rogo. Vale.

Bononiæ idibus Nouembris. MDLXXV.

MO MO

ILLVSTRISS. AC CONSVLTISS. BONONIAE SENATVI,

Dominicus Leonus Lunensis S.

DEcimvs quintus agitur annus, Illustriss. Senatores, ex quo inter vestræ Academiæ Doctores me connumerari voluistis, & otio literario penè squalentem in vineam vestram honesta mercede conduxistis, vt ibi exercerer, & simul cũ alijs medicinalia plantarem præcepta, ingenuosq; excolerem animos: In quo munere præstando nihil vnquam à me perpetratum quod desidiæ, aut negligentiæ adscribi posset: semper enim laboraui, intendiq; animum, vt cultura, quam per me expectabatis, omnibus meorum operum rationes exigentibus probata, & vtilis appareret: an autem hoc assecutus fuerim aliorum sit sententia: scio tamen multos ex vobis industriam, meosq; in re Medica conatus exploratos habere, nam, vltra publicas lectiones, quæ satis superq; id attestari possunt, extat mea de curandis febribus, & tumoribus præter naturam Methodus: extat & præsens liber in septem volumina distinctus, quem nuperrime typis mandaui, & Illustriss. ac Reuerendiss. Cardinali Boncompagno patriæ vestræ ornamento dicaui, ratus perpetuum fore monumentum meæ erga vestrum ordinem obseruantiæ, si tanto Principi de Republica vestra benemerito sacraretur. Itaq; quicquid commodi, & vtilitatis studiosa iuuentus inde fuerit adepta, id totum vestræ auctoritati, & prudẽtiæ acceptũ referre debet: quę iam pridem sopitum excitauit, rudem, ac indigestam molẽ formauit, expoliuitq;: præmijs, & honoribus ad hos, similesq; fructus ferẽdos prouocauit, & impulit. Quare rogo, vt huiusmodi opus hilari vultu aspiciatis, & vt in vestro gymnasio mea cultura ꝓductũ agnoscatis. Valete. Bononiæ idibus Nouembris MDLXXV.

INDEX EORVM,

QVAE IN HAC PRIMA SECTIONE CONTINENTVR.

A

Achor quid. 10
Achor vulgo tigna appellatur. ibi.
Achoris causa & cura. ibid.
Adnatæ, & corneæ communia vitia. 345
Aegritudinum oculi Nomenclaturæ. 340
Aetas ad Epilepsiam disposita magis. 240
Aer in aure complantatus, an permutetur. 460
Aegilops. 433
Aegilopis duæ species 434
Aegilopis causa. ibid.
Aegilopis cura. 435
Aiax maniacus. 201
Alaudæ Epilepsiam patiuntur. 252
Albugo. 405
Albuginis causa. ibidem
Alcola. 542
Alchael quid. 563
Alcmeon maniacus. 201
Alintisar quid apud Aui. 413
Alopecia quid. 22
Alopecia vnde dicatur. ibid.
Alopeciæ causa. 23
Alopeciæ cura. ibidem
Alopeciæ inueteratæ medicamenta. 27
Altercatio inter Auer. & Medicos. 180
Amor quid. 213
Amor est species melancholiæ. ibidem
Amor rationis obliuio. ibid.
Amor γλυκυπικρος à poetis vocatur. ibidem
Amor sequitur uirtutem appetitiuam. 214
Amor lædit operationes virtutis sensitiuæ intrinsecæ. ibid.
Amor differt à vera melancholia. 215
Amor plus viris, quàm mulieribus accidit. ibid.
Amoris causa. 215
Amoris cura. 217
Amantes quomodo à pulsu cognoscendi. 217
Amantes Asinorum more interdum corrigendi. 219
Amaurosis. 353
Ambliopia. ibid.
Amuletum in Epilepsia. 248

Amuleta pro sistendo sanguine. 518
Antheron medicamẽtum. 569
Ancyloblepharon. 375
Angulorum oculi mala. 433
Anima sequitur corpus in suis accidentibus. 185
Aphthæ. 542
Apostema maturatum quomodo cognoscitur. 472
Apoplexia quid. 259
Apoplexiæ causa. 264
Apoplexiæ cura. 266
Apoplexia an pueris vel senibus magis accidat. 263
Aqua solidis intercepta corporibus quare non sonat. 448
Aqua thermalis comitialibus exhibetur. 254
Arteriæ temporales quando secantur. 70
Astomi quinam sint. 485
Athamas maniacus. 201
Atrophia oculi. 347
Auditus voce lenissima delectatur: aspera, celeriq. dolet. 29
Auricula muris quid. 297
Auris est instrumentum sensus auditus. 441
Auris vnde dicatur. ibid.
Auris Anatome. ibid.
Auris temperamentum naturaliter frigidum. 450
Auris figura anfractuosa cur. 445.
Auris in osse petroso proprium habet foramen. ibid.
Auris cur ad latus posita. ibid.
Aures cur duæ. 446
Aures paruæ malos indicant mores. ibid.
Aures magnæ, & arrectæ stultitiam, & loquacitatem testantur. ibid.
Aurium dolor. 466
Aurium doloris causa. 467
Aurium doloris cura. 468
Aurium vlcus. 473
Aurium sonitus. 458
Aurium vlceris causa. 474
Aurium vlceris cura. 475
Aurium sanguinis fluxus. 476
Aurium sanguinis fluxus causa 477.
Auriũ sanguinis fluxus cura ibi.
Aurib' purulẽtis remediũ. 476
Auditus proprium habet obiectum. 447
Auditus quõ conseruetur. 450
Auditus diminutus. 451
Auditus diminuti causa. ibid.
Auditus diminuti cura. 453
Auditus corrupti causa. 460
Auditus corrupti cura. 462

B

Balbi, seu trauli ad melancholiam dispositi. 183
Batrachus. 568
Bombyces sericũ euomẽtes. 371
Blepharoxiston instrumentum à radẽdis palpebris dictũ. 371
Balneum conuenit in ophthalmia tribus obseruatis conditionibus. 385
Branchos. 493

Bryonia alias vitis alba. 555

CAlazion. 377
Caluitium. 17
Caluitium sequitur siccitatem, & frigiditatem. 18
Calui non fiunt varicosi. 19
Calutiũ quãdo curari possit. 20
Caput membrum diuinum. 1
Caput in alto positũ pp visũ. 1
Capitis in animalibus talis natura qualis radicis in plantis. 1
Capilli ꝑ ornatu, et tutela sũt 2
Capitis partium numerus. 2
Capitis suturæ cur serratiles. 2
Caput cur potius caluescat quã cætera membra. 18
Caputpurgium ad paralysim, & oris torturam. 297
Caput vespertilionis in panno nigro quid præstat. 147
Capillorũ defluuiũ ꝓhibẽtia 20
Capillos crescere facientia. 27
Carnis anguli lachrymalis incrementum diminutio. 338
Caras quid sit apud Auic. 363
Carotis pro Daucijs vulgariter scriptum. 227
Caros quid. 141
Caros ab Arab. Subeth. 141
Caros est passio anterioris cerebri. 141
Caros quomodo ab Apoplexia differat. 142
Caros magis senib. accidit 143
Cataracta. 421
Catarrhus. 493
Catarrhi tres species. ibi.
Catarhus est symptoma. ibid.
Catarrhum disponit corpus ad omnes ægritudines. ibid.
Catarrhus frigidus cãm calidã & calidus frigidam habere potest. 494
Catarrhi causa. 495
Catarrhi cura. 497
Catuli per medium scissi an in phrenitide adhibendi. 122
Caulis ebrietatem prohibet. 85
Cephalea, ouum, nux, & galea appellari solet. 94
Cephalea antiqua omnium dolorum capitis pessima. 96
Cæcitudo Nocturna. 354
Cerebrum suas expurgat superfluitates. 6
Chimosis ophthalmiæ spẽs. 380
Christoph. Rusticus Bonon. 279
Clauus. 409
Clymia est fœx, seu. spuma auri vel argenti. 390
Comitia calendis Ianuarij Romæ fiebant. 237
Coma, seu cataphora quid. 156
Comatis, seu cataphoræ duæ species. 156
Congelatio, seu Catoche, seu catalipsis quid. 160
Congelatio differt à lethargia, stupore, tetano, & ab Apoplexia. 161
Concoctio in iuuatiuo quomodo fiat. 474
Cõfectio anacardina quibus morbis conueniat. 286
Constantius Varolus Medicus 7
Conuulsio quid. 300

Conuulsio differt à paralysi 301
Conuulsio differt ab Epilepsia. 302
Conuulsionem magis patiuntur pueri. 303
Conuulsionis causa. ibidem
Conuulsio canina. 290
Conuulsio ob phrenitidem mortalis. 114
Collyrium Nili ad varios oculorum affectus. 383
Collyrium Album. 389
Collyrium Album secundũ. ibi.
Collyrium Album quartũ. 390
Collyrium Album quintũ. ibi.
Collyrium citrinum. ibid.
Collyrium citrinum aliud. ibid.
Collyrium citrinum aliud. ibid.
Collyrium de spica. ibid.
Collyrium de plumbo. 403
Collyrium de succo mali punici visum roborat. 340
Collyrium ex Rhoe obsoniorum exiccat, & reprimit. 350
Collyrium oculi sanitatem custodiens. 339
Collyriũ vtile, & expertũ. 340
Collyrium ex succo fœniculi, & saniæ Iecoris hircini. 358
Collyrium Elisir Rasis. 404
Collyrium Diahydrias, & chiacum, cygnus. ibid.
Collyrium carnem generãs 403
Collirium olympiacum. 412
Color habet duplex esse. 486
Cor vespertilionis gestatum vigiliam præstat. 147
Corneæ tunicæ morbi. 344
Corpus sequitur animam in suis actionibus. 185
Coryza. 493
Coturnices morbo comitiali laborant. 252
Coturnices veneno nutriuntur. 252
Crassus licinius quinque Græci sermonis differentias tenuit. 168
Crithe. 376
Crocomagma. 569
Curcurbitula cum flamma in dolore à flatu adhibetur. 39
Cuculus singulo mense fit Epilepticus. 256
Cyrus portentosæ fuit memoriæ 168

D

Dolor. 28
Doloris diffinitio. 28
Doloris causæ. 30
Dolor opponitur voluptati. 28
Dolor & voluptas omnibus contigunt sensibus. 28
Dolor in sensu tactus euidentior. 30
Dolor quomodo generatur. 32
Doloris species quindecim. 33
Dolor est Symproma. 33
Dolorem mitigantia qualia sint 40
Dolor capitis. 42
Dolor capitis ab intemperie calida. 49
Dolor capitis ab intemperie frigida. 52
Dolor capitis ab intemperie sicca. 55

Dolor capitis à sanguine. 57
Dolor capitis à bile. 61
Dolor capitis à pituita. 64
De dolore capitis ab humore melãcholico ubi agendũ. 68
Dolor capitis per consensum vẽtriculi. 68
Dolor capitis per consensum hepatis. 70
Dolor capitis per cõsensum mẽbrorum exteriorum. 71
Dolor capitis per consensum à toto. 72
Dolor capitis à flatu intrinseco, & extrinseco. 75
Dolor capitis à malis odoribus. 77
Dolor capitis ex ebrietate. 78
Doloris capitis ex ebrietate cura. 86
Dolor capitis à percussione, uel casu. 88
Dolor capitis ex coitu. 91
Dolor capitis ex somno. 93
Dolor capitis ex purgatione 93
Dolor dentium. 549
Doloris dentium causa. 550
Doloris dentium cura. 551
Deus omnia pulchra, & admiranda creauit. 328
Democritus Abderita triduo odore panis vixit. 485
Democrates Athen. Epile. 256
Dæmones possunt causare melãcholiam. 165
Dæmon Folettus. 232
Dentium custodia. 547
Dentiũ nigredo, et pallor. 555
Dentium nigredinis causa, & cura. 556
Dentium ortus difficilis causa, & cura. 558
Dẽtes sunt 32. in homine. 526
Dentes incisorij. eo.
Dẽtes canini, seu gelasini. eo.
Dẽtes maxillares, et molares. eo
Dẽtes sensus, & sapientiæ. eo.
Dispositi ad fluxum sanguinis à naribus quinam sint. 512
Distichiasis. 377
Dilatatio pupillæ, vtrũ faciat res videri minores q̃ sint. 415

E

Ebrietas quid. 78
Ebrietatis duplex causa. 78
Ebrietas furori assimilatur. 81
Ebrietatis incommoda. 81
Ebrietas duplex 81
Ebrietatis signa. 82
Ebrij sũt proni ad lacrymas. 83
Ebrij aquas salsas magis sentiunt. 83
Ebrij diuersa incurrunt symptomata. 84
Ebrietatis cura. 84
Echo est sonus reflexus. 449
Ectropion quid. 374
Ecstasis quænam dispositio sit. 163.
Electuarium Anacardinũ prouocat febrem. 269
Electuaria caput corroborantia, quæ. 68
Emphysema. 366
Emplastrum Menasei d[illegible]cutiens. 473

Emplastrũ Ariobarzaniũ. ibi.
Encanthis quid. 438
Encanthidis causa. ibid.
Encantidis cura. 439
Epiesmos quid. 348
Epileptici magna ex parte melancholici efficiuntur. 189
Epilepsia. 237
Epilepsiæ diffinitio. 238
Epilepsia nouerca puerorum dici potest. 238
Epilepsia vt morbus, & vt symptona consideratur. 239
Epilepsiæ cura. 248
Epilepsiæ cura pseruatiua. 248
Epilepsiam detegentia. 246
Epilepticus quot vicibus singulo anno purgandus. 254
Epilepsia differt ab Apoplexia. 239
Epilepsia quãuis sit cõuulsio differt tñ à vera cõuulsiõe. 339
Epiphora. 359
Epulidi. i. carnis gingiuarũ excrescentiæ conferentia. 562
Extrema circa idem susceptibile videntur fieri. 148

F

Fauces. 533
Febris Apoplecticis confert. 269
Febris ẽ salubris ĩ paralysi. 286
Filello vulgo dicitur mẽbrana quedam sub lingua. 532
Fletus lachrymosus aliquando iuuat. 357
Fluxus sanguinis narium. 512
Fluxus sãguinis nariũ frequentior ĩ uiris q̃ in mulierib. ibi.
Fœtor oris. 537
Fœtoris oris causa. ibid.
Fœtorem oris incurui, & gibbi maxime patiuntur. ibid.
Fœtor quare non adest in febre continua. ibid.
Fœminæ malo consilio vincunt viros. 183
Fontes saliuales vbi. 530
Frigida super originem spinalis medullæ apponi nõ debẽt. 61

G

GArab. quid. 434
Gesse. 367
Gingiua vnde dicatur. 527
Gingiuarum Apostema. 559
Gingiuarũ Apostematis causa.
Gingiuarum Apostematis cura. 560
Gĩgiuis resolutis q̃d cõferat. 562
Grammatici plagosi. 477
Grãffus est spẽs cõuulsiõis. 304
Grauedo. 493
Guaiacum vide lignum.
Gustus. 533
Gustus necessari⁹ ẽ pp vitã. ibi.
Gustus quomodo distat ab auditu, olfactu, & visu. ibid.
Gustus est quidã tactus. ibid.
Gustus ĩstrumẽtũ ẽ lĩgua. 534
Gust⁹ priũ cognoscit sapores deĩde id q̃d sapores nõ habet. ibi.
Gustus obiectũ est sapor. 535
Gustus saporibus delectatur dulcibus, & amaris dolet. 29
Ingustabile est triplex. 535
Gustus læsio. ibid.

Gustus

Gustus læsionis causa. ibid.
Gustus læsionis cura. 536
Gutta serena. 353
H
Halyar. i. uisio nocturna. 354
Habentes cor calidũ, & cerebrum humidum facilè fiũt melancholici. 183
Hæmatites lapis gestatus quid præstet. 85
Hærinacij marini ad iucunditatem faciunt. 191
Hæmodia dĩ stupor dẽtiũ. 327
Hemicranea quid. 99
Hemicraneæ cura. 100
Hippocras vide vbi potus.
Hirundinis acies chelidonia restitui fabulosum. 435
Homines macri, nigri, hirsuti ad melãcholiã dispositi. 182
Homo cur difficile odorum percipit differentias. 481
Homines facilius catarrhum incurrentes qui. 494
Homini inter cætera animalia sanguis à naribus fluit. 512
Humiditatis effectus est mollities. 332
Hygrocollyrium. 367
Hordeolum. 376
Hypopyon. 399
Hyposphalma. 431
I
IEsus Christ⁹ cur ad quartã diẽ distulit lazarũ suscitare. 263
Iecur hircinum Nyctalopiæ confert. 358
Ieiunia crebra disponunt ad melancholiam. 184
Ilos. 409
Imaginatiuæ læsæ exẽplũ. 108
Incubus quid. 232
Incubi causa. 235
Incubi cura. 236
Incubus an in homine vigilante fieri possit. 234
Intellectio non fit absque phantasmate. 6
Infans nuper natus oculos valde magnos habet. 348
Io. Dominicus cauda Rasa Grammaticus. 302
Ius serpentum uisui cõfert. 337
Iuuenis Grammaticus ob irã, & inediã epilepticus. 245
K
KArabitus vox arabica. 105
Karabit⁹ qd significat. 105
L
LAbia crassa habentes asinis asimilantur. 183
Labiorũ scissure vide Rhagades
Lac colore, sdbstantia, & odore cognoscitur. 294
Lachryma quid. 359
Lachrymæ ex moestitia, cur calidæ. 360
Lachrymæ ob laborem cur frigidæ ibid.
Lachrymarum causa. 361
Lachrymarum cura. 362
Lactumen vide saphati.
Lagophthalmus. 373
Lapides inuenti in pullis hirundinum quid præstant. 248
Laruati cur homines incedant verno tempore. 204

Lazarus 4. die cur suscita. 263
Lectio minutarum literarum ui sum debilitat. 337
Letargus quid. 126
Lethargus duplex. 127
Lethargia, & peripneumonia conuenient in tribus. 128
Lethargus qui mortalis, & qui salubris. 131
Lethargus est passio in posterio ri cerebro. 141
Leucoma. 405
Lingua vnde dicatur. 530
Lingua est nomen multa signifi-cans. ibidem.
Lingua nouem musculis moue-tur. ibidem.
Lingua plurimo indiget calore, & nutrimento. ibidem.
Linguæ vsus. 532
Lingua gaudet succis, quos ven triculus desiderat. 29
Lingua Vpupæ suspensa memo-rem facit hominem. 177
Lingua tumefacta. 567
Linguæ tumefactæ causa. ibid.
Linguæ tumefactæ cura. 568
Linguæ combustio. 570
Linguæ cõbustionis causa. ibid.
Linguæ combustionis cura. 571
Loquela impedita, vide motus linguæ.
Lignum Guaiacum Epilepticis prodest. 254
Lippitudo. 379
Ludouicus Ariostus poeta. 219
Lunella. 399
Lupini aqua dulcati, & come-sti iuuant visum. 337
Lusciositas. 352
Lux semper reuerberatur. 450
Lycaonem in lupũ euasisse, cur à Poetis fabulatum. 183

M

Mala medica cur Veneri di cantur. 213
Mania quid. 202
Mania vnde dicatur. 202
Mania differt à melanch. 202
Mania duplex. 202
Maniæ cura. 206
Maracus ob melancholiã poeta præstantior. 189
Maxilla 3. indiget motu. 527
Medicamentum inebrians. 79
Melon. 409
Melancholia quid. 177
Melancholica deliria multifor mia. 182
Melancholicis omnibus inest ti mor. 180
Melãcholici vt plurimum Epi leptici fiunt. 189
Melancholia in mulieribus de-terior. 183
Melancholiæ signa. 186
Melancholiæ cura. 190
Melancholię tres sunt famosæ species. 202
Melancholia errabunda. 211
Melãcolia errabũda, cur appel latur cutubut ab Auic. 211
Melãcholiæ errabũdæ cã. 211
Melãcholiæ errabũdæ cura. eo.
Membrana dura mater dicta, & membrana pia mater,

quem

quem vsum habeant. 3
Mēbrana in cerebro, quæ magis phrenitidi disposita. 106
Membra oīa, quæ nutriuntur apostemari possunt. 106
Memoria quid. 166
Memoriæ læsæ exemplum. 108
Memoriā bonā q̄ faciāt. 167
Memo. bonā habent pueri. 167
Memoratiuæ virtutis tres operationes. 168
Memoria studio, industria, & exercitatione cōseruatur. 168
Memores famam prompti ingenij sibi vindicant. 168
Memoriæ deperditæ cura. 171
Merlinus Britannicus Necromantię professor. 233
Messala Coruinus orator proprij nominis oblitus. 169
Meretricibus damnosum habere dentes nigros. 555
Metalla oīa preter aurum, & arg. rubigine infestātur. 556
Mithridates duas, & viginti linguas caluit. 168
Morbus lunaticus quid. 237
Morbus sacer quid. 237
Morbus infantilis. 238
Motus linguæ, & loquela impedita. 562
Motus linguæ, & loquelæ impeditæ causa. 563
Motus linguæ, & loquelæ impeditæ cura. 565
Mulier absque viri concubitu grauida. 233
Mulier maniaca ob sperma retentum. 303
Muti qui fiant. 90
Mydriasis. 413
Myopiasis. 352
Myocephalos. 409

N

Narcotica exhibendo, quas regulas obseruare debes. 41
Nasus quid. 481
Nasi anatome. 479
Nasi quæ iuuamenta. 480
Nares cur patulæ. 481
Narium fœtor. 518
Narium fœtoris causa. 519
Narium fœtoris cura. ibidem.
Nebula. 405
Neruorum paria septem. 7
Nerui sēsus sūt in patiēdo. 275
Nerui sunt instrumenta sensus, & motus. 273
Nerui optici, quare in medio vniuntur. 330
Neruorū opticorum pass. 346
Nomenclatura ægritudinum oculi. 340
Nocturna cæcitudo. 354
Noctis ludibria quid. 232
Nursini circulatores. 511
Nutritio quid. 487
Nutrix qualenā esse debet. 449
Nutricis lactantis Venus puero alumno inimica. 249
Nyctalopia 354
Nyctalopiæ causa. 355
Nyctalopiæ cura. 556

O

OCVLVS corporis custos. 1
Oculi magis iuuantur à narcoticis

coticis interius quam exterius adhibitis 41
Oculi triplex vtilitas 328
Oculorum sedes maxime seminalis. 329
Oculus usu uenereo lãguet. 329
Oculi figura cur rotunda. 329
Oculus septem tunicis & tribus humoribus constat. 329
Oculus non riget 331
Oculus sinister dextro non est imbecillior. 331
Oculi temperamentum quomodo cognoscatur. 332
Oculi bona temperies quomodo conseruatur 336
Oculus diminutus. 347
Ocul. cõgelatus quõ curatr. 348
Oculi expressio quid. 348
Oculi expressionis causa. 349
Oculorum resolutio. 366
Oculus leporinus. 373
Oculus vppupæ sub ceruicali dormire non permittit. 147
Odor est qualitas obiectum sensus odoratus. 482
Odor est bonus vel malus, vel neq; bonus neq; malus. ibid.
Odor per accidens diuiditur in species secundũ saporẽ. ibid.
Odor affecla saporis. 483
Odor est crassior aere. ibidem.
Odor quomodo ad organum odoratus perueniat. ibidem
Odor non est in medio spiritualiter. ibid.
Odorem esse in medio spiritualiter contendit Auer. 484
Odores medij ex extremis componuntur. 485
Odores nutriunt. ibid.
Odor habet duplex esse. 486
Odoratus læsio. 488
Odores malos nonnulli sentiunt, & non aromaticos. ibid.
Odoribus malis non offenduntur latrinas purgantes. ibid.
Odores boni dolorem capitis quandoque excitant. 78
Odoratus halitu bene olenti delectatur malè olẽti dolet. 29
Oesipi ceratũ maturans. 472
Olfactus quid. 481
Olfactus ẽ debilior in hoĩe. ibid.
Olfactus quomodo fiat. ibid.
Olfactus organũ. 221. & 482
Olfactus hominis differt ab olfactu ceterorũ animãtiũ. 482
Olfactus destructi, deprauati, et diminuti causa. 489
Olfactus læsionis cura. 490
Omne humidũ augetur crescente luna. 237
Ophiasis quid. 22
Ophiasis vnde dicatur. 23
Ophiasis cura. 23
Ophthalmia. 379
Ophthalmia q̃ hẽt tẽpora. 380
Ophthalmia est morbus contagiosus. 383
Ophthalmię chimosis cura. 391
Oris tortura. 290
Oris tortura est morbus in figura. 290
Oris tortura vel à spasmo, vel à paralysi. 293

Oris torturam futuram quænam ostendant. 293
Orestes maniacus. 201
Os græcè στομα. 525
Oris partes. ibid.
Oris fœtor vide vbi fœtor.
Os basilare quare cæteris durius. 9
Ossa temporum plurima habent antra. 441
Os frontis instar cribri perforatum. 480
Ozænæ. 506
Ozænarum causa. ibid.
Ozænarum cura. 407

P

PAlatum quæ pars sit. 519
Palpebrarum vitia. 366
Palpebrarum inflatio. ibid.
Palpebrarum durities & ariditas. 367
Palpebrarum crassities. 371
Palpebrarum ex percussione liuor. 379
Palpebræ inuersatio. 374
Palpebrarum inuiscatio. 375
Palumbes per mediū scissi, vtrum phreniticis. rectè applicentur. 122
Pannus. 405
Paralysis quid. 275
παραπληγία. 275
Paralysis propriè significat amissionem sensus & motus. 275
Paralysis deterior. 276
Paralysis causa. 276
Paralysis duplex. 289
Parotis quid. 472
Parotida inueteratum quænam emolliant, & discutiant. 473
Parulis. 559
Pectinatio frequens prodest, oculis. 338
Pediculorum tres species. 14
Pediculi vbi generantur. 14
Pediculorum causa. 15
Pediculorum cura. 15
Perdices epilepticæ fiunt. 252
Peripneumonia in phrenitidem mortalis. 114
Pes vel crus à compressione stupefactum quare maius, et grauius videtur. 324
Phalangosis. 377
Phrenitis quid. 105
Phrenitis vnde dicatur. 105
Phrenitis duplex. ibidem
Phrenitis quot terminetur modis. 113
Phrenitis in lethargum. 113
Phrenitis in hecticam. 113
Phrenitis in sphacelum. 113
Phthiriasis. 14
Phantasia in primo ventriculo cerebri. 4
Phantasiæ officium quod. 5
Phlyctæne. 397
Pilus quare crispus. 18
Pili quare multi, & longi. 18
Pili palpebrarum pungentes. 377
Polypus. 508
Polypi causa, & cura. 509
ποσία. 376
Potētia visiua nō est in oculo. 5
Potus Hippocras appellatus. 283

Priuatio

Priuatio quandoque notior suo habitu. 332
Proptosis. 408
Pterygion. 392
Pterygij cura. 394
Ptilosis. 371
Puluis citrinus in fine ophthalmię adhibendus. 390
Puluis conferens oculorum inflammationi. 391
Pupillæ morbi. 345
Pupillæ dilaratio. 413
Pupillę tabes, seu phthisis. 418
Pupillæ phthisis cã, & signa. 419
Pupillæ paruitas non semper mala. 420
Pus laudabile, quod sit. 473
Pus differt à sanie. ibidem.
Pus sub cornea. 399

Q

QVi nam citò, & qui tardè inebriantur. 80
Quinqne sunt, q̃ à tota specie epilepsiam deregunt. 246

R

RAnula. 568
Ranula duplex. ibidem.
Ranulæ cura. 569
Rapa hñt proprietatem ad illuminandum oculos. 337
Ratiocinatiuæ facultatis læsę exẽplum. 108
Rancedo. 493
Regulæ in narcoticis exhibẽdis obseruandę. 41
Respiratio est motus Naturalis, et voluntarius. 262
Restauratiua varia. 313
Rhagades. 545
Rhagadum causa. ibidem.
Rhagadum cura. 546
Rhagadis lĩguæ quid cõferat. 571
Rhyas. 338
Rhyas medicinis curatur sarcoticis. 339
Rixis. 341
Rolandus Melancholia errabũda laborauit. 219
Rustici monticolę cur dentibus destituantur. 547

S

SAhara idem quod superflua vigilia. 148
Sal humidũ ĩ potẽtia ꝓpĩqua 534
Sanies quid. 473
Sanies intra corneam. 399
Sãguinis ꝓfluuiũ inter morbos, qui ex plenitudine cõnumerãt. 512
Sanguinis fluxus homini solum accidit ibidem.
Sanguinis profluuij à naribus causa, & signa. 513
Sanguinis profluuij cura. 515
Sãguis 4. modis denigratur. 265
Sanguinei ad amorẽ dispositi. 214
Saphati lactumẽ vulgo. 10
Saphati duæ species. 10
Sapor causatur ex admistione humidi digesti in sicco terreo. 535
Scotomia idem quod vertigo tenebriosa. 220
Scotomia semp Epilepsiã, vel apoplexiã futurã denũtiat. 225
Sclerophthalmia. 367
Sebel quid. 393
Secaniabĩ quid Arabes dicãt 252

Secretum contra catarrhũ. 505
Senes à phrenitide non euadunt. 114
Senes difficile sternutant 522
Senes ad paralysim dispositi. 277
Sentiendi, & mouendi facultas à cerebro emanat. 275
Sensus communis quid. 4
Sensus communis operatio duplex. 4
Sensus communis an virtus distincta à sensibus exterioribus. 4
Siccitas est duplex. 304
Siccitatis effectus ē durities 332
Signa Apopletici viui, vel mortui. 263
Sillac. 371
Sinapium vulgo mostarda dicitur. 226
Sinapismum potens. 254
Sirsem vox persica quid denotat. 105
Sycosis. 342
Sybilla aduentum Christi prophetauit. 189
Siphac quid significat. 399
Smaragdus lapis pro Amuleto in epilepsia. 248
Soda vocatur dolor capitis ab Auic. 42
Somnus quid. 139
Somnus quare post laborem aduenit. 139
Somnus suas habet causas. 139
Somnus dupliciter consideratur. 141
Somnus quando malus. 144
Somnus & vigilia quomodo simul coniungantur. 157
Somnus delirantium remedium. 120
Somnus optimum remedium in ophthalmia. 385
Sonus quando fit. 447
Sonantia corpora æqualiter percusa nõ æqualiter sonant quare. ibidem
Soni causa materialis. 448
Sonus vt sit aere omnino opus est. ibidem
Soni causa efficiens. 449
Soni causa formalis. ibid.
Soni causa finalis. ibidem
Sonus in aere multiplicatur vsque ad auditum. ibid.
Sonus quo minus audiatur à uentis impeditur. ibidem
Sonus reflexus Echo dicitur ibi.
Spasmus vide conuulsionem.
Spiritus quomodo multiplicantur. 196
Spinalis medulla quid. 274
Spinalis medulla principium durorum neruorum. 274
Spinalis medulla in duobus à cerebro differt. 274
Spinalis medulla emanat à cerebro ut fluuius à lacu. 274
Spina est veluti carina totius corporis. ibidem
Spina viginti quatuor vertebris constat. ibid.
Staphyloma. 409
Sternutamentum quid. 521

Sternuta-

Sternutamentum est signum au le. 522
Sternutamentum quandoque no cet, quandoque iuuat. ibi.
Sternutamẽticã, & signa. 523
Sternutamenti cura 524
Stercus ferri scoriã dicũt. 476
Strabismus vel strabositas quid 350
Strabismi causa. 351
Stupor quid 324
Stupor diuersimodè considera tur. 324
Stuporis causa. 325
Stupor vt paralysis ferè cura tur. 326
Stupor dentium. 327
Subeth. vide caros.
Succubus. 233
Suffusio. 421
Suffusio an sit morbus. 422
Suffusionis causa & signa. 425
Suffusio differt à sanie post cor neam.
Suffusio differt à glaucomate. ibidem
Suffusio differt à gutta serena. ibidem
Sugillatio. 431
Sugillationis cã & signa. 432
Supercilia pilis denudata curan tur. 22
Surditas quid. 464
Surditatis causa. 465
Surditatis cura. ibidem

T

TAraxis lippitudinis species. 379
Teodetes semel auditos versu memoria tenebat. 168
Themistocles intra annum persi cè locutus. 168
Theophilus Medicus. 108
Thucydides historicus 108
Tinctura pro albugine oculo rum. 408
Tinea vide Achor, aut saphati.
Tylosis. 342
Trachoma. 368
Trachomatis tres species. ibid.
Trauli qui sint. 563
Tremor quid. 318
Tremoris causa. 319
Tremor in motu tensiuo præci pue accidit. 318
Tremore caput, & manus ma gis afficiuntur. 319
Tremor est Neruorũ passio. 318
Trichiasis. 377
Trochisci Alandaron. 47[illegible]

V

VApor argenti viui paraly sim & tremorem causa[illegible] solet. 7
Vena secanda in omni phreniti de. 115
Venæ quæ secandæ in phreni tide. 116
Venæ guidezi, quæ apud ara bes. 59
Venæ raninæ. 531
Venæ plurimæ in lingua & vir ga. 530
Vẽtriculi in cerebro quot sint. 3
Ventriculus medius ceribri est trãsitus de prĩo ad tertiũ. 6

Ven-

Ventriculus medius cetebri est sedes cogitatiuæ, & æstimatiuæ virtutis. 6
Ventriculi tertij in cerebro figura pyramidalis. 6
Ventriculus tertius in cerebro sedes virtutis memoratiuæ. 6
Ventriculus & si frigidus & pituitosus bile tamen quandoque redundat. 69
Vertigo quid. 220
Vertigo tenebricosa, scotomia dicitur. 220
Vertiginis causæ. 222
Vertigo magis hyeme quàm alijs temporibus infestat. 225
Vermes cerebri caprarum Epilepticis adhibentur. 256
Vermis in capite quid sit. 3
Viæ expulsionis superfluitatum à cerebro sunt tres. 7
Vigilia quid. 148
Vigiliæ superfluæ causa. 148
Vigiliæ supfluę cura duplex 151
Vinum dulce non inebriat. 79
Vinũ pontificum nõ inebriat. 79
Vinum oligophoron raró inebriat. 79
Vinum inebrians quod. 79
Vinorum diuersitatis facit ad ebrietatem. 79
Vini tædium quæ faciant. 85
Virtus appetitiua in hepate residet. 214
Virtus sẽsitiua minuit̃ ĩ phreniti de & remanet motiua. 107
Virtus visiua per neruos concaad oculum penetrat. 330
Visus minus particeps voluptatis. 29
Visus coloribus medijs delectatur extremis dolet. 29
Visio quomodo fiat. 413
Visio perfecta tribus cognoscitur signis. 332
Visus obscuritas. 353
Viscum quercinum comitialibus prodest. 256
Vlcus quid. 473
Vlcera oculorum. 401
Vlcerum oculorum septem species. ibid.
Vlcera oris. 542
Vlcerum oris causa. ibid.
Vlcerum oris cura. 543
Voluptas omnibus contingit sensibus. 28
Vrinæ clare, limpidæ phreniticorum malæ. 114
Vrina paralytici quæ. 180
Vsus Neruorum opticorum. 8
Vueæ tunicæ læsiones. 345
Vueæ tunicæ procidentia. 408

X

Xerophthalmia. 367

Y

Ypochysis. 345
Ydatis. 342
ὑπόπυον. 399

Z

Zuccanum oppidum in agro lunensi. 202

FINIS.

22

AVGVSTINI GOTTVCII MEDICI AD LECTOREM.

Lector habes paucis, Lunensi auctore Leono,
Quicquid Apollinea traditur arte sophis.
Perlege, tu dices Graios, Arabasq́, latinos
Perlegisse, refert omnia, doctus eris.

IO. BAPTISTAE MORELI IN LAVDEM AVCTORIS.

Græcus, Arabs, Italus, medica celebratus in arte
Hoc legitur libro, docte Leone, tuo.
Quæ tamen obscuris dixere ambagibus illi,
Soluis, & illustri sedulus arte doces.
Imperfecta polis, dispersaque digeris apte,
Ambitiosa secas, aspera plana facis.
Te sibi, quisquis auet perfecte occurrere morbis,
Optet inerrantem semper habere ducem.

DOMINICI LEONI LVNENSIS MEDICINAE IN CELEBERRIMO BONONIAE GYMNASIO PVBLICI INTERPRETIS

Artis medendi humanos, particularesq; morbos à capite vsque ad pedes, Sectionis primæ.

LIBER PRIMVS.

De Capitis Anatome. Cap. I.

CAPVT græce κεφαλὴ, membrum est corporis diuinissimum, reliquorumq; membrorum princeps: cui totum corpus connexum Deus subesse, & parere iussit: idque omnium motuum, quotcunque esse queant, compos fore uoluit: cuius forma instar sphæræ rotunda est, ex utroque latere leuiter compressa: & in animalibus talis est eius natura, qualis radicis in plantis, nam per caput animalia cibum assumunt: per radices plantæ nutriuntur: & animal, & planta depereunt, si huic caput; illi radix abscindatur. fuit autem caput in alto positum propter visum, nō autem propter alium sensum:

Plat. de Nat.

Arist. 2. de anim. tex. com. 38.

oculus enim ſpeculator, & corporis cuſtos, ut eminus fu
gienda, & appetenda uideret, loco ſublimiori dignatus
eſt. Numerus partium caput conſtituẽtium eſt denarius:
primo occurrunt capilli: ſecundo cutis: tertio caro: quar
to panniculus, ſeu membrana: quinto craneum: ſexto du
ra mater, & pia mater: ſeptimo ſubſtantia medullaris ce
rebri: ottauo duæ membranæ ſub cerebro: nono rete mi-
rabile: decimo os baſilare, quod eſt baſis, & fundamen-
tum totius capitis. Capilli ad ornatum, & tutelam, per
cutis poroſitates emergunt: quæ cutis ideo craſſa, ut al-
tius in ea pilli radices immittere posſint: & ut melius oſ-
ſa cerebri, exanguia obducat, & foueat. Caro, in fronte
& temporibus non in alijs partibus capitis, & illa quidẽ
muſculoſa ad motum præbendum reperitur. panniculus
ſeu membrana almochoati, arabicè grecè περίκρανιος, ſeu
περιόστιος dicta ambit craneum, & mediantibus uillis qui-
buſdam nerueis per cranei cõmiſſuras, & foramina emer
gentibus coniungitur cum dura matre, & hanc ſuſpenſam
tenet, ne cerebrum comprimat. craneum ex quinque oſ-
ſibus conſtituitur: unum eſt frontis; alterum occipitis:
duo temporum: vltimum uerò baſilare appellatur. fue-
runt autem plura oſſa, & non unum, ne una parte læſa,
altera pariter afficiatur. ex quibus oſsibus ſuperioribus,
tres conſlantur cõmiſſuræ: coronalis, ſeu ςεφανιαῖα, in par
te anteriori: lambdoides, formam λ. literæ præſeferens
in parte poſteriori: & ſagittalis craneum diuidens. præ-
ter iam dictas ſunt duæ aliæ ſuturæ à ſagittali quodam-
modo æquè diſtantes, & ſuper aures latæ: quæ non ſutu-
rarum ſpeciem, ſed ueluti duarum inuicem incumben-
tium ſquamarum imaginem exprimunt: vulgus medico-
rum mendoſas nominat ſuturas. ſunt qui clarioris do-
ctrinæ gratia ſuturas κροταφίας, ideſt temporales nuncu-
pant.

Iſtæ ſuturæ primæ ſunt ſerratiles, ideſt inſtar dentiũ ſer
ræ inter ſe compactæ, ut eſſent firmiores: nõ ſunt nodales,
quia motu non indigent. uſus earũ eſt, ut fumi, & uapores
ad caput aſcendentes, commodius euaporare, & reſol-
ui

Gal. 8. & 9. de uſu partium.

ui posſint: & ut uis medicamentorum, applicatorum (ſi quando, neceſsitate exigente, adhibentur) ad penitiores cerebri partes ingredi poſsint. Itaque in actu practico cũ medici cerebrum alterare ſtudent, unctiones, & emplaſtra, ſuper cõmiſſuras ſemper imponunt. Membrana dura mater dicta immediate ſupponitur craneo: poſt quam ſequitur pia mater, cuius ſubſtãtia ſatis mollis, & tenuis, vndique cerebrum amplectitur, & nutrit: nam multis ue nulis inſignita eſt, & contexta. hæ membranæ in cerebrũ ſatis profundè immerguntur, ipſumq; diuidunt: ſecundum longitudinem in duas medietates. falcisq; meſſoriæ imaginem referunt, & ſecundum latitudinem cerebrum anterius à poſteriori. cauſa huius diuiſionis eſt ne nocumentum unius partis alteri communicetur. cerebri ſubſtantia medullaris eſt, alba, mollis, & uiſcida: à qua nerui originem, & facultatem ſuſcipiunt. cerebrum anterius mollius, & humidius, & minus frigidum, à quo nerui ſenſus prodeunt, molliores, & non ita ualidi, ut nerui motus, nam maior uirtus requiritur ad motum, quàm ad ſenſum: motus enim fit à neruis durioribus ex cerebro poſteriori duriori prodeuntibus.

In cerebro ſunt tres uentriculi diſtincti, primus uentriculus alijs maior eſt: & ſeccatur in duas partes, dextrã, & ſiniſtram. in fine cuius ſunt duæ ſubſtantiæ, quæ effigiem quandam duabus ſibi cõmisſis natibus ſimillimam exprimunt: unde teſtes, ac nates à latinis appellari ſolẽt. eſt etiam ibi quædam alia portio, longa, tenuis, rubea, contrahibilis, & elongabilis: quæ ideo uermis dicta eſt, quia aſsimilatur uermi terreſtri, & quando hæc elongatur clauduntur nates, & clauditur uentriculus ſecundum eius partem poſtremam: per quam iungitur ſecundo uentriculo: & pariter clauditur principium ſecundi uentriculi, ne ſpecies poſsint tranſire de uno uentriculo ad alium: & hoc fit quotieſcunque homo vult ceſſare ab ope rationibus ſenſuum interiorũ. quãdo autem contrahitur, huiuſmodi uermis, dilatantur illæ ſubſtantiæ nates dictæ:

& tunc species, possunt permeare de uno uentriculo ad alium, & hoc fit in his qui cogitationibus detinentur. hic primus uentriculus est sedes duorum sensuum interiorũ, scilicet sensus communis, & phantasiæ, seu immaginatiuæ: qui sensus communis debet recipere species sensibilium exteriorum.

Est autem sensus communis illa uirtus, seu illa animæ potentia, quæ omnia sensata, & percepta à sensu exteriori recipit, & propter eorum formas patitur quæ in ipso copulantur. duplex sensus communis operatio. Prima est apprehēdere obiecta prius à sensibus exterioribus apprehensa, ut exempli causa, oculus uidet lucem: Auris audit uocem: & tamen nec oculus comprehendit se uidere: nec auris audire. non enim uisio illa est lux, aut color: neque auditus ille est sonus, uel uox: sed quod oculus videat, & auris audiat percipitur à sensu communi. Secunda operatio est, distinguere, & dijudicare differentias obiectorum sensuum exteriorum: ut album, & nigrũ uisus: dulce, & amarum gustus obiectum esse cognoscens. visus enim non apprehendit de sono: nec auris de colore, & sic de alijs: sed sensus communis ponit differentias inter illas species apprehensas: & separat dulcedinem à caliditate sonum à colore, odorem à dulcedine. Aristoteles secundo de anima comparauit sensum communem centro circuli: nam sicuti multæ lineæ deductæ à circumferentia terminantur ad centrum: sic omnes immutationes sensuum exteriorum terminantur ad sensum communem. & sicut centrum in se consideratum est unum, & indiuisibile: sed relatum ad lineas quæ ab ipso protrahuntur est plura: sic & sensus communis potest dici vnus, & plures. Vnde Auer. secundo de Anima com. 147. scribit quòd sensus communis ut recipiens est plures: sed ut iudicans est vnus: & sic uno modo est diuisibilis, alio modo indiuisibilis.

An verò sensus communis sit virtus distincta à sensibus exterioribus, variæ reperiuntur auctoritates. quidã enim dixerunt quòd realiter idem est cum potentijs sensuum

exteriorum

exteriorum ſcilicet cum potentia videndi, audiendi, odo randi, guſtandi, nam iſtæ potẽtiæ non ſunt in organis ſenſuum ipſarum: ſed ſunt illæ quibus mediantibus organa ſentiunt. propterea dicunt potentia uiſiua non eſt in oculo, ſed per oculum fit manifeſta: nam ipſa eſt ubi eſt ſenſus communis, & realiter eſt idem: & eſt etiam in eodem ſubiecto: differunt tamen ratione: quia potentia uiſiua ſic dicitur: quia refertur ad tale organum ad oculum ſcilicet: per quod recipit ſpeciem talis ſenſibilis .i. coloris: pariter de potentia audiendi, & de alijs dicendum. ſed ſenſus communis appellatur, quando conſideratur ut iudex vniuſcuiuſque ſenſibilis extrinſeci: & actus, ſeu operationis cuiuſque ſenſus particularis: non autem ut referatur ad tale organum proprium. quidam uerò contendũt quòd ſenſus communis non eſt idem realiter, neque etiã ſubiecto cum potentijs ſenſuum exteriorum: quia ſi ſic eſſet etiam cogitatiua, & intellectus eſſent idem realiter cum illis in ſubiecto: & hoc patet nam cogitatiua, & intellectus ſenſata à ſenſibus extrinſecis accepta referunt. Itaque quando Ariſt. aſsimilauit ſenſum communem centro circuli nihil aliud ſibi voluit, niſi quòd quemadmodum omnes lineæ ad centrum terminantur, & æqualiter centrum omnes reſpicit: Ita æqualiter ſenſus communis ſe habet ad omnes ſenſus exteriores: & æqualiter ponit differentiam, & conuenientiam inter obiecta ſenſuum exteriorum: à quibus immediatè mouetur. hæc autem dicta non oſtendunt, quòd ſenſus communis ſit idem realiter in ſubiecto cũ potentijs ſenſuum exteriorum: imò quod ſenſus communis ſuam habeat apprehenſionem: & ſenſus particularis ſuam.

Ariſt. 2. de anima.

In primo ventriculo cerebri (ut dictum eſt) ſedem habet alter ſenſus interior, qui phantaſia, ſeu imaginatiua appellatur. & eſt potentia animæ quæ formas receptas à ſenſu communi cuſtodit: eaſq; poſt abſentiam tàm ſenſus communis, quàm particularis retinet. phantaſia habet hæc officia: primum ſpecies ſibi à ſenſu cõmuni oblatas altius imprimere in abſentia quoque obiecti. ſecun-

dum discernere, & iudicare certius, atque exactius à sen su communi cognita. tertium cognoscere substantiam particularem & singularem, uel accidens singulare: quod non ita intelligi conuenit quasi reliqui sensus vniuersalia percipiant, non autem particularia. quia reuera sensus est singularium: intellectus autem uniuersalium. sed phantasia apprehendens singularia obiecta colligit ab illis species quoque singulares, & eas species, imaginesq; conceptas, atque ab obiectis eorum abstractas, intellectui trasmittit iudicandas: & hoc est quòd ait Arist. sine phantasmate, idest specie uel imagine abstracta non fieri intellectionem: nam quamuis intellectus uniuersalia intelligit, attamen etiam sic cognoscit singularia quartum officium est elicere ex specie sibi obiecta, aliã similem, aut dissimilem speciem, sensu exteriore perceptibilem. ut uidens hominem pictum, concipio speciem hominis uiui: & uidens hominem equitãtem: concipio minotaurum. In hac phantasia mirè ualent, ac agiles sunt melãcholici, cholerici, furiosi, phrenitici, febrientes, ebrij, & tales malè & grauiter affecti, spe, lætitia, metu, dolore, cupiditate, amore. Ventriculus autem medius tenuis est, & longus: & est ueluti transitus, de primo, ad tertium uentriculum, nam utrique contiguus. hic est sedes duarum uirtutũ cogitatiuæ, quę cõponit, diuidit, & ex uno aliud infert. & existimatiuæ, quæ elicit insensata ex sensatis. Tertius uentriculus est in posteriori cerebro, figuræ pyramidalis, latior secundum partem contiguam secundo ventriculo: gradatim hinc se constringit procedens usq; ad originem medullæ spinalis. quod factum est, vt per extremitatem magis latam reciperet species, & intentiones, & in extremitate stricta ipsas melius retineret, & conseruaret. est enim sedes uirtutis memoratiuę, accepta conseruantis: sub fine autem primi uentriculi, & principio secundi descendendo reperitur quodam foramen rotundum, oblongum aliqualiter, lacuna dictum, & quia superius est latum, inferius autem strictum, Embotus ab Hal yab, ab aliis infundibulum uocatur: in cuius medio

Arist. 2. de anima.

est foramen strictum, quod diagonaliter tendit ad palatum, & eidem occurrit uia directa, quę à medio uentriculo directè descendit ad colatorium, quod est foramen in medio ossis basilaris, ordinatum ad expurgationem superfluitatum cerebri. circa hoc foramen sunt carnis eminentiæ magnæ rotundæ ad sustinendum uenas, vel arterias ascendentes à rete mirabili ad ventriculos dictos ordinatæ. & per lacunam dictā cerebrum uniuersaliter suas expurgat superfluitates: licet quantum ad partes anteriores magis expurgetur per colatoria narium. Tres sunt uiæ expulsionis superfluitatum è cerebro. Vna est ossa nariū in extremitatibus suis perforata, per quā pariter species rerum odorabilium recipiuntur, & fumalis euaporatio. Secunda terminatur ad finem primi ventriculi: & principium secundi. Tertia ad finem secundi uentriculi, & principium tertij, per quas cerebrum secundum eius partes medias expurgatur, quæ terminantur ad lacunam dictam, & ideo oblonga creata fuit. In parte anteriori cerebrum duo habet additamenta, quæ sunt sicut duæ papillæ mamillares, & uocantur carunculæ mamillares: & sunt membrana tenui, id est pia matre inuolutæ: & terminantur ad ossa narium: & sunt organum olfatus. A cerebro oriuntur septem neruorū paria, seu coniugia, quæ Græcis συζυγίαι, appellantur. primum autem a cerebro anteriori secundum communem Anatomicorum opinionē initium ducit: dixi secundum communem opinionem: etenim Excellentissimus Constantius Varolus aliter sentit: nanq; in publico consessu Medicorum, dum Bononiæ Anatomia annis prȩteritis administraretur, originem talium neruorū ab initio spinalis medullæ maximo omniū applausu, & admiratione patefecit. neruos uisorios, seu opticos constituens: quos, quia meatu, qui sensu percipi potest perforati dicuntur: Herophilus πόρους οπτικούς nominauit. & antequam egrediantur piam matrē, uniuntur adinuicem, & in loco unionis sunt perforati: & est communis opinio, quòd non complicentur inter se: sed quòd post vnionem dexter tendat ad dextrum, & sinister

ad sinistrum. horum tres sunt usus: primus deferre spiritus uisibiles ad oculum: secundus species uisibiles ab oculo ad sensum communem, & ideo uniuntur, vt species delatæ à duobus oculis uniantur, ne una res appareat duæ: tertius, quia ex ipsis generatur retina, & aranea tunica: ut infra in ipsorum oculorum anatome dicemus. Secundum par neruorum oritur paulò posterius quàm uisorij ex cerebri basis lateribus. principium ducit, & ad foramen oculi prorepit. & disectus per septem ramos musculorũ eius motibus præest. Tertium par oritur post secundum, & diuiditur in plures soboles, quarum una tendit ad musculum temporalem ad faciem ad dandum sensum, & motũ, pariter tendit ad linguam ad dandum gustum: alia ad orbitam oculi, per supercilium ad frontem, musculumq; palpebram constringentem. & ad musculum, qui nasum dilatat, hinc ad nasum ipsum: infinitosq; propemodum ramulos procreat. alia huius tertij paris soboles per eandem quidem orbitam iter habet, sed inferius: transit autem per tertium os maxillæ superioris, per id foramen, quod circa faciei medietatem positum est: quò postquam uentum est in multos diuiditur ramulos, qui per labrum superius disseminantur, necnon per musculum masseterа dictum: perq; musculos buccæ: & ipsorum neruulorum portio nasi quoque cauitatem ingreditur. alia huius tertij paris soboles ad superiorum dentium radicem tendit: alia ad inferiorem descendit maxillam, atque huius portio ad inferiorum quoque dẽtium radicem distribuitur. quod reliquum est, prope mentum præterlabitur, ut labrum inferius sentiat.

Quartum neruorum par adeò proximè accedit tertio pari, ut quarti origo, tertij portio esse uideatur, est tamẽ tertio pari nonnihil gracilius, duriusq;, cum quo descendit uersus os, & in quatuor ramulos secatur: qui per foramina quinti ossis maxillæ superioris transeunt: & per palati tunicam anteriora uersus progreditur: quorum ramulorum duo apud paristhimia styloidisq; processus descendunt ad linguæ radicem, perq; illius superiorem tunicam

distribuuntur:

distribuuntur: usus quarti neruorum paris fuit, ut gustus esset organum. Quintum uerò neruorum par, & ipsum ad basim cerebri, & à laterali parte exoritur circa medietatem: foramenq; cæcum ingreditur, labyrinthumq; in osse tẽporali situm, qui labyrinthus in aures ipsas desinit. huius quinti neruorum paris adminiculo auditum habemus. Sextum autem par neruorum à basi cerebri producitur omnibus prædictis tanto durior, quanto iam spinali medullæ propinquior: hoc sextum par neruorum uario modo distribuitur: ad omnia nanq; thoracis, abdominisq; uiscera sensum defert. hinc nerui reuersiui, quos uocales dicimus efformantur. Septimum par neruorum illinc proficiscitur, ubi & cerebrum definit, & spinalis medullæ est initium, uarijs radicibus perexiguis refertum: illi proprium foramen dicatum est obliquum in occipite: ubi uerò caluariã egressum est, uersus anteriora primo repit: deinde scinditur in neruulos cõplures ad musculos linguę, hyoidisq;, & laryngis delatos: quorum maior sub maxilla inferiori discurrit, nec non sub lingua usq; ad eius extremum, ut illam sensus in uniuersum, motusq; participẽ reddat. sub cerebro sunt duæ membranæ proportionatæ duræ, & piæ matri: ita ut in parte inferiori utrinque cerebrum inuoluant. eleuatis autem his occurrit rete mirabile, quod est in medio ossis basilaris è directo colatorij cõtextum textura miraculosa complicata ex arterijs tenuissimis, quæ sunt rami apoplecticarum ascendentium: & in isto rete, siue in arterijs ipsius continetur spiritus uitalis ascendens à corde ad cerebrum, ut ibi elaboratus fiat animalis. & hæc una est ex causis, quare rete mirabile positũ fuerit sub cerebro: alia causa est, quia cũ multa indigeat custodia positum est in loco tutissimo. tertia causa ut humiditates condensatæ ex uaporibus ad cerebrum eleuatis cadentes super hoc rete aliquam conflarent obstructionẽ, ex qua somnus fieret. hoc rete facile in bobus, difficile in hominibus apparet. Postea sequitur os basilare cæteris durius, tum quia debuit alia sustinere, tum quia debuit per propriam duritiem putredini resistere, quæ fortassis

taſsis cauſari potuiſſet ob humiditates à capite defluētes. hinc liquet caput eſſe in actiuis complexionis frigidæ, in paſsiuis uerò temperatæ propter humiditatē cerebri contra operantem ſiccitati oſsium, & membranarum: & quòd ſubijcitur omnibus morborum generibus tàm ſimplicibus, quàm compoſitis, cum materia, & ſine materia, ut in proceſſu huius libri uidere licet.

De Achoribus, ideſt capitis ulceribus manantibus.

Cap. II.

De comp. med. per loca. ca. 8.

A Galeno Achor, ab Auic. Saphati, à barbaris Lactumen: quia ut plurimum pueris lactantibus euenire ſolet uocatur tumor quidam præter naturā in ſumma cute ipſius capitis eueniens: & eſt ille affectus, qui uulgo tigna appellatur: ad cuius ſimilitudinem proximè accedit alius morbus cutis, qui fauus, græcis cerion uocatur, maiora tamen habens foramina: in quibus humor melli, quod eſt in fauis, ſimilis continetur. Auic. diuidit Saphati ī duas ſpecies: in humidā & ſiccā. humida inueterata difficillime curam recipit, & eſt propriè illa, quæ uulgo tigna, ſeu tinea dicitur, quæ tale nomen ſortita eſt, quia ſicut uermis tinea dictus corrodit, & corrumpit res in quibus generatur. Ita Saphati, ſeu tigna corrumpit cutem capitis: & radicem capillorum corrodit. Saphati ſicca eſt à qua ſquamæ decidunt albæ, & ſiccæ: quæ etiam furfuroſa dici ſolet, emittit enim corpora tenuia ut plurimum furfuri ſimilia, quandoque corpora craſsiora. & occupat aliquando non ſolum caput uerum maxillas, mentum, gulam, pectus, & pecten cū pruritu. multæ aliæ Saphati numerantur ab Halyab. ſpecies, quæ omnes ad prædictas reduci poſſunt.

6. Theor.

Cauſa.

Cauſa alia intrinſeca: alia extrinſeca. intrinſeca eſt humor miſtus qui partim tenuem, ſeroſumq;, ac mordacem:

sem: partim uerò crassum in se succum habet, tenuis itaque humor ut potè salsus, nitrosus, corrosiuus, & mordax, primum quidem ad scalpendum ipsos impellit, progressu uerò temporis ad scalpturam tum tumor augescit, tum foramina in ipso erumpunt. & generatur hic affectus in ipsis infantibus aliquando in uentre existentibus: aliquando in lucem editis ex malo matris, uel nutricis regimine. causa tineæ siccæ est humor melancholicus siccus, malus permistus humiditati biliosæ acutæ, quæ expulsa ad cutim corrodit, & corrumpit, & squamas siccas decidentes, & furfuraceas facit. Isti humores quandiu sunt in corpore locum causæ antecedentis, quando uerò sunt in cute locum causæ coniunctæ obtinent. Causa extrinseca est malum regimen in sex rebus non naturalibus: & præsertim in cibo, & potu.

Ex pauli Aegin. 3. cap. 3.

Signa.

Cognoscitur hic affectus à pruritu mordicante, à materia ex foraminibus emanante: à pediculorum multitudine: & etiam quia aliquando sub crustis eius generantur vermes: & in processu exhalat fœtor, odorq; teterrimus. signa à sanguine erunt in loco rubedo subobscura, calor, dolor, pruritus, & aliqualis uirus effluens. In tinea sicca color erit declinans ad citrinum, uel uiride, uel nigrũ: & ab ea nihil emanat: uel parum emanat, & tenue admodum. Vnum notandum est, quòd omnes pustulæ capitis consideratæ, pro ut lædunt operationes connumerantur inter ægritudines. pro ut autem sunt aspectu horribiles, & caput deturpantes in libris de ornatu, & decoratione ab auctoribus tractantur.

Ex Aetio 4. cap. 22.

Cura.

Manifestum est oportere euacuare humores affectionẽ ipsam procreantes: sed antequam id fiat uictus conueniẽs instituendus: si patiens infans fuerit lac in Nutrice alterandum, quæ per totum curationis tempus cibis optimi succi, & nutrimenti uescatur, & cum hyera, agarico, & colochyntide sæpissime purgetur. Si uerò fuerit adultus caueat ab aere humido, à sole, à frigore, & à motu uehemẽ

ti

ti post repletionem: fugiat fructus horarios, abstineat à piscibus, à salsamentis, à carne porcina, bouina, ab acetarijs, à caseo, à lacte, à caulibus, à leguminibus, à fungis tuberibus, bulbis. Caueat iram, mestitiam, & intensam cogitationem. postea corpus diuersimode secundum humorum peccantium diuersitatem expurgandum est: & in hoc optimus Medicus consulendus. hinc ad localia deueniendum: quæ primo leuia adhiberi debent. caput itaque de rasis capillis, fouendum bis, teruè in die, aut etiã sæpius aqua calida: in qua myrtus sit decocta, uel rubus, uel lenticula, uel amari lupini, uel asparagi radix. cum uerò plus saniei emanat, salicis folia cum aqua, uel lenticula instar cataplasmatis applicantur. terra autem cimolia, uel cretica, uel samia, uel pompholix, uel spodium, uel argenti spuma, uel cadmia, uel charta combusta, omnia ex aceto inducuntur. uel R. lithargyri ʒ. vj. foliorũ rutæ ℥. s. staphisagriç ʒ. ij. calchanti ʒ. j. aceto myrtinoq; oleo ad spissitudinem coacta illinuntur. dicunt quidam quod sufficit abluere caput cum aceto, & desuper spargere puluerem tartari. uel inunges locum cum melle, & lauabis cũ aqua dulci, & hũc puluerem insperges. R. thuris vsti ʒ. ij. s. æris usti ℈. ij. conterantur cum aceto, & exiccentur in sole, in pulueremque redigantur. quod si æger fuerit humidç temperaturæ, & mollis, ablue caput cum aqua mellis, postea cum tali ung. obline R. olei rosa. ℥. ij. fuliginis furni, uel camini ℥. s ceræ. q. s. liquefiant ad ignem, & optimè misceantur. idem præstat carta combusta, & admista cum aceto, & calce lota. aliud R. lithargyri cerusæ an ℥. s. seminis ericæ, thuris an. ʒ. ij. vino, & oleo raphanino terito, ac vtitor. aliud acatiç ℥. s. ladani. ℥. ij. myrrhæ ℥. j. opij ʒ. iij. excipe aqua palustri, forma pastillos, quibus utere. aliud aloem leuissime tritam, cum plantag. arida trita insperge.

Ex pauli Aegin. 3. cap. 3.

Ex Aetio 4. cap. 22.

Ad saphati antiquam.

R. lithargyrij, cadmiæ, calcis uiuæ an. ℥. j. cartarum combustarum, olibani, tartari combusti an. ʒ. ij. sief memithæ, gallarum combustarum an. ʒ. ij. aceti & olei myrtini q. s. coque usquequo acetum sit consumptum. Sunt qui addãt

argentum

argentum viuum ad ʒ.iij. Sed hoc non probo. emplast. de cantaridibus ad saphati antiquam in corporib. duris multum præstat: quod ita fit R. cantaridarum purgatarum, & puluerizatarum ʒ.ij. sulfuris ℥.s. corticum nucis ℥. ij. sinapis, myrrhæ an. ʒ.j. mellis & aceti q. s. maneat hoc emplastrum super locum affectum per unum diem: postea, eo amoto, superponantur folia betæ, aut caulium per quatuor dies, donec serositas illa virulenta, & fętor sit remotus, & optimus color in cute appareat. quòd si morbus in cute profundaretur cum aliquo medicamento corrosiuo caro putrida absumatur, & mundificata consolidetur. sunt qui curant saphati euellẽdo pilos, cum psilothro, postea super caput lotum, cum aqua salsa, uel urina pueri imponũt huiusmodi vng. R. cæpe, adipis ursi, & uaccæ an. ℥. j. stercoris muris, granorũ iuniperi an. ʒ.ij. aranearum combustarum ʒ.j. picis liquidæ, & olei ros. q. s. ad conficiendum vng. uel R. assungię porcinę antiquę dissolutę i posca acetosa lib. s. picis liquidæ, olei ros. an. ℥.iij. succi abrotani, succi mentę, & fumiterræ oxilapathi, erucæ, & mercurialis an. ℥.s. aluminis, calcanthi, gũmi hederæ usti, fuliginis furni, tartari, aloes an. ʒ.ij. misce, & omnia multum in mortario agitentur ad vng. spissitudinem.

Ad saphati fauus, seu melliceris à mellei humoris similitudine dictus.

R. lithargyri, baccarum lauri añ. æquales partes, terantur cum aceto, & oleo myrtino, & illinantur: est medicamentum sæpissimè expertum.

Ad saphati siccam: quæ porrigo: Græcis autem pityriasis dicitur.

Conuenit frequens inunctio cum oleo amygdalarũ dulcium, vel cum oleo iuglandium, aut cum pinguedine anatis, uel gallinæ, aut cum mucillagine psillij, & tragacãthæ: idem præstat semen altheæ decoctum cum oleo, & tragacantha. uel abradatur caput: & abluatur cum lixiuio communi decoctionis altheæ, maluæ, fęnugræci, betæ, meliloti, fumiterræ. & post lotionem inungatur tali ung. R. mucillaginem fęnugræci, pinguedinem gallinæ, & porci recentem

Ex Mesue. centem croci.q.s.misce,& confice. Quòd si saphati fuerit sicca, furfurosa ex frigido humore: R. fel taurinum uel caprinum, baurach an. ęquales partes, & misce cum succo betę, & oleo irino: & uespere inungito: mane autem cum decocto lupinorũ, & fęnugręci assi abluito. Sin ex calido humore fuerit R. myrobalanorũ citrinorum assorum ʒ. x. conterantur cum succo betę, & solatri, & aceto: & obline: postea ablue cum aqua furfuris, lupinorum, & myrrhę. vel lauetur caput cum ciceribus coctis cum althea, & aceto. porrigo antíqua in capitibus frigidis eget medicinis fortioribus. lauetur caput post abrasionem cum aqua calida, & sapone hinc optimè cum panno aspero fricetur: & inungatur cum huiusmodi ung. R. hyssopi uiridis, adipis Anatis añ. ʒ.j. pulpę colocynthidis ʒ.ij. olei cheirini ʒ.iij. tapsię ℈.j. ladani ℥.s. confice. aut lauetur cum decocto florum vrticarum: aut lauetur cum decocto betę, cẽtaurij minoris, melle, & aceto admisto.

De phthiriasi, idest morbo pediculari. *Cap.* III.

PEdiculorum tres sunt species, quidam generantur ut plurimum inter capillos capitis, & mouentur de loco ad locum: aliquãdo etiam generantur in vestibus laneis, & præsertim leucophæis, ut sunt monachorum diui Francisci: & in vestibus lineis sorditie refertis, & longo tempore gestatis, ut interulæ militum esse solent: & isti sunt oblongi crassiores in parte posteriori desinentes in acutum uersus caput. Quidam generantur circa barbam, circa oculorum palpebras, & circa pudenda; sunt lati, & plani, & pelli ita adhærent vt vnguibus uix auelli possint: & uocantur plactulæ, vulgo piattoni. Quidam generantur inter digitos in manu, & in pedibus inter cuticulam, & cutim, & forma imitantur oua papillionum: sunt enim rotundi, albi, & ita parui, ut visum ferè effugiant: serpunt per cutim, & ipsam corrodendo intollerabilem pruritum concitant: & uocantur

cantur pedicelli. sunt itaque pediculi morbus in numero.

Causa.

Horum causæ, ut aliarum rerum, sunt quatuor: materialis, formalis, efficiens, & finalis. causa materialis secundum Auic. est humiditas putrida, quam expulit natura ad partem cutis. causa formalis est ipsorum pediculorum propria figura. Causa efficiens duplex est: quædam uniuersalis, & est ipsa natura, siue ipse dator uitæ. quædam particularis: & est calor putredinalis: qui dupliciter consideratur: primo ut merè putredinalis: cuius est corrumpere, in uaporem resoluere, & materiam putrétem ad incinerationem reducere, & talis calor non disponit ad generationem animalium. secundo consideratur non penitus putredinalis, sed pro parte putredinalis pro parte digestiuus, & preparatiuus materiã ad aĩalium generationẽ: & talis calor pediculos causare põt. Causa finalis est, ut hõ per huiusmodi animalia ocium fugiat, & à somno excitetur. vel quia natura intendens semper ad id, quod melius est: eligit inducere in ipsa materia potius aliqualem vitam, & ex ipsa aliquod uiuens efficere, quam ociosam, & inutilẽ relinquere. uel quia huiusmodi animalia sunt vtilia, quamuis in hoc habeant difficilem indaginem. Causæ autem coadiuuantes sunt in primis cibi tenuis succi: qui sua tenuitate facilè tendunt ad cutim, ut sunt ficus, & ad hoc concurrit motus corporis deducens ad cutim. frictiones leues, quæ materias retentas in cute mouent ad resolutionem: & tamen non resoluunt. ciborum varietas cruditatem multiplicans: intermissum exercitium: decubitus in lectis immundis. versari in locis immundis, & cum hominibus pannosis, ægenis, & sordidis. pediculi multiplicantur in principio lepræ: in secunda, & tertia specie hecticæ, in carcere diu retentis. in pueris ipsis, qui multis redundant excrementis.

Fen. 3. tractat. 3. cap. 1.

Gal. 3 Aphor. 26

Cura.

Cura à mundificatione totius corporis exordienda. In primis itaque (lenita aluo) fiat phlebotomia: & hauriatur

riatur sanguis in ea quantitate, quæ ipsi medico necessaria uisa fuerit. quod si uires inualidæ nequaquam consentiant: uel æger sit in ætate senili, uel puerili constitutus: ad medicamenta purgantia confugiẽdum: quibus (extracto, uel non extracto sanguine) attamen uti conuenit, ut est hyera picra cum aqua lactis propinata: ut est semen cartami, uel urticæ, cũ aqua infusionis eorum. ut est hyeralogodiõ cũ Rhabarbaro admisto: & similia. Interim æger abstineat à cibarijs crassioribus: à fructibus, & præsertim à ficubus siccis, & recentibus, ab uuis, iuiubis, pomis: auellanæ autem non sunt interdicendæ. Comedat pullos, gallinas, turtures decoctas cũ aceto, uel uua omphacite, uel succo berberorum. panis sit optimus, & à propria substantia, & ab arte.

Confert balneũ frequens; mundificatio; uestiũ uarietas; & ipsarũ permutatio, utatur thyriaca, & allijs decoctis; & calamento montano, & limatura cornu ceruini: quæ omnia pediculos, uel lendines in corpore procreari non sinunt. Medicinæ locales sint exiccatiuæ, resolutiuæ, ad exteriora attractiuæ: si morbus fuerit magnus, admisceatur aliquid, quod habeat uim uenenosam, ut est, uerbi causa nitrum, sandaracha, argentum uiuum. inter cætera commendatur staphisagria, rhus obsoniorum, folia myrti, pyrethrum, myrica, semen urticæ, lupinus, folia pini, & cupressi, colocynthis, calamus aromaticus, oleum cartami, oleum raphani, abrotanum, calamentum montanũ. uel R. Aloes ℥. j. myrrhæ ℥. s. misce cum oleo, uel larido, & inũge. Aliud ualidius R. staphisagriæ, sandarache, nitri an. æquales partes cum aceto, & oleo capiti illine. Aliud R. elebori albi, staphisagriæ, nitri, an. par pondus cum oleo admistis in balneo utere. quod si pili non adsint staphisagriam cum oleo, & aceto emplastri more imponito, aut alumen tritum cum oleo illine. Idem præstabunt folia rododendri, aut folia colocynthidis cum oleo contusa, & adhibita.

Auicẽ. 4. fen. 7, ca. 27.

Gal. de cõ posi. med. per loca cap. 7.

Ad pediculos plactulas.

R. olei communis ℥. iij. bulliat in uase uitreato cum ℥. iij.

cineris

cineris quercini, & inũge locũ infestatũ: post per aliquot horas ablue cum lixiuio, & sapone nigro. Si autem pediculi fuerint in palpebris oculorum, accipe puluerem olibani, aloes, cerusæ, añ. q. s. & cum larido admisce, & vtitor. ad hoc etiam facit succus foliorum persici. vel

R. myrrhæ, aloes, thuris an. partes æ qu. trita larido misceantur, & palpebræ inungantur. nonnulli elixant ouũ ad duritiem, & abiecto uitello macerat ipsum in aceto per spatium sex horarum: inde super palpebras cubitum ituris imponunt: mane autem pediculi mortui ouo remoto adhærent.

Ad pediculos, sub cute siue pedicellos.

R. succi scabiosæ ℥. s. ellebori albi. ʒ. j. s. terebinthinæ optimè lotæ, assungiæ porci recentis an. ℥. j. misce. & utitor. Aliud adhibendum infantium pedibus pruritu ob talem luem multum infestatis. R. oua recentia elisa, quousque indurentur: quorum albumina frustim incisa inter duas tenuissimas uittas pedibus alligabis, & sic per multas horas permittes, postea solue, & inuenies omnes pediculos in superficie uittæ inferioris. quod cognosces excutiendo uittam super prunas, nam crepitabunt dum adurentur. Vnum notandum est, quòd in quocunque unguento ad hujusmodi affectum acetum admisceri potest: & ut fortius operari possit acetum scylliticum erit præstantius: nam per se solum pediculos interficit.

De Caluitio. *Cap.* IIII.

Natura pilorum sequitur naturam cutis, cuius excrementum terreum materia pilorum est: quod ostendit cutis incisa, & cicatricosa: in qua pili non amplius oriuntur, nam eorum ortus est in cute, non in carne. ex cute duo decidunt excrementa, sitcu ex alijs membris: quorum alterum humidum: alterum uerò siccum: humidum quidem dissipatur: siccum verò aliqualiter tenax pilos generat. & quando cutis est

Auer. 5. de gener. anima. cap. 3.

crassa fungosa, & eius pori sunt lati: tunc pilus est crassus ob exuberantiam portionis terreæ in eo, & pororum amplitudinem. quod si cutis extiterit densa, tenuis: & pili erunt tenues propter tenuitatem cutis, & pororum angustiam. Sed si huiusmodi excrementum existens in cute sit paucum, & siccum, tunc pili non habebunt longitudinem, neque multitudinem. quòd si multum fuerit, tunc pili erunt multi, & longi.

Multiplicantur pili in cute crassa, & efficiuntur longi, quia concurrunt multitudo materiæ, & eius qualitas pinguis, & humida, & pororum amplitudo.

Pilus fit crispus, quia fumus ex quo oritur compositus est ex portione ignea, & terrea: portio terrea trahit deorsum: ignea sursum impellit: quare ob duos motus contrarios contingit pilum inflecti: & incrispari.

Quæret aliquis cur inter cætera membra caput potius caluescat & cur eius pars anterior, non posterior, & cur potius uir quam fœmina, uel puer, uel eunuchus?

Ad primum dico, quia cutis capitis est calida, & humida, & crassa, sed adueniente ætate superat frigiditas, & siccitas in ea: & desinit materia prompta capillis: quare accidit huiusmodi affectio.

Ad secundum, quia pars anterior est tenuior cæteris partibus capitis, & calidior, cuius humiditas citò finitur.

Ad tertium dico, quòd caluitium sequitur siccitatem, & frigiditatem: sed uiri temperies in processu temporis fit frigida, & sicca, ideo caluescit: non autem fœmina, neque eunuchus, quia molles, & humidi sunt. hinc etiã colligere licet: quod qui plurimo vtuntur coitu citius caluescunt, nam coitu materia calida, & humida consumitur: meritò membrum natura frigidum, caput scilicet, prius afficitur, quam alia membra, ob exitum spermatis à corpore.

Quapropter sicuti arbores humore unctuoso, & uiscido redundantes propria folia semper habent: pariter illi, in quibus uapores fumosi uiscidi eleuantur, perq; eorum porositates continuitatem quandã accipiunt, nũquã

propria

proprijs pilis destituuntur. quòd si error contingat in materia, ex qua fiunt: uel in loco, ubi generantur: statim decidunt, destruuntur, uel minuuntur: error contingit in materia, uel quia pauca: vel quia licet sit multa, detinetur tamen in partibus penitioribus corporis: neque ad superficiem peruenit: quòd si peruenit obtunditur, & alteratur ab humoribus ibi existentibus, & remittitur siccitas, quam habere debet, vt sit idonea ad pilos generandos: & hoc contingit in fœminis, pueris, & eunuchis. & hic error contingit vel naturaliter, vel præter naturam: naturaliter in paucitate materiæ contingit, vt in senescentibus. præter naturam, vt in his, qui ob longam ægritudinem multum exiccati sunt, vt phthysici, & hectici: & qui venenum sumpsere. & sicut accidit his, qui asiduè vtuntur institis frigidis, vel quibuscunque alijs ab extra capiti applicitis, materiam pilorum à superficie repellentibus. error contingit in loco, seu in membro, ubi pili generantur tribus modis. primo quando materia pilorum non penetrat, neque peruenit ad circumferentiam, vel summitatem membri: in quo pili generari debent. secundo quia & si penetret, ibi tamen non retinetur, sed euanescit propter cutis raritatem & pororum amplitudinem: & hac de causa multi usque ad finem uitæ imberbes uiuunt.

Tertio quia dato quòd retineatur: attamen corrumpitur: & fit in proportionata ad pilos, aut propter ulcera corrosiua in cute: per quæ pilorum radices corroduntur: aut propter aliam malignitatem, & uitium, ut in alopecia, & ophiasi.

Vnum denique not. est, quòd licet siccitas superueniēs in cute, quæ prius mollis erat sit causa caluitij, & depilationis: attamen siccitas in cute dura cartilaginosa est magis pilorum conseruatiua, ut in palpebris, & supercilijs uidemus: in quibus senescentibus, & arescentibus accidit pilos augeri.

Prognostica.

Quicunq; calui sunt, ijs magnè uarices non fiunt: quibus

Hip. vj. Aph. 34.

Gal. ibi in com.

bus uerò caluis uarices magnæ ſuperueniunt, ij rurſus capillati fiunt. non ſemper uerum eſt uarices magnas caluis nunquam aduenire. neque item ſemper uerum, uaricibus aduenientibus caluitium ceſſare. nam hoc ſolummodo uerificatur de capillorum defluuio, ſeu caluitio (μαδαρωσις græce dicitur) quod à uitioſis, & corruptis humorib. fit: ut in alopecia, & ophiaſi: nam uериſimile eſt ut capilli, quorum radices à uitioſis humoribus corrumpebantur, ut eiſdem humoribus alio ad crura ſcilicet traſpoſitis ad primam naturam redeant.

Caluitium, quod ſenectutis, & naturæ uitio cauſatur eſt inſanabile.

Caluitiũ in phthyſi, & hectica confirmata non curatur.

Caluitium ob lythargiam, uel ob aliam capitis malam affectionem eueniens curato affectu, curari poteſt.

Caluitiũ à cauſis extrinſecis, ut à medicinis frigidis applicitis per earum remotionem ut plurimum curatur.

Caluitium quod fit ab humiditate craſſa poros cutis obſtruente facilius ſanatur.

Cura.

Cura huius ægritudinis exorditur ab ipſius corporis uniuerſali purgatione, dummodo ſigna adſint repletionis uel in toto, uel in aliqua parte nobili. quonam autem pacto hoc fieri debeat, in capite ſequenti de alopecia inſcripto dicetur. poſt purgationem optimum regimen in ſex rebus non naturalibus inſtitui debet: & præſertim in cibo, & potu. Cibus ſit optimi nutrimenti, in caliditate, & frigiditate temperatus. caueat æger ab omnibus ſalſis, acetoſis, à uino nimis uinoſo, antiquo, & amaro: caueat à uenere, & ab omnibus nimium exiccantibus, & intus, & extra adhibendis. itaque pro capite abluendo nullus ſit uſus nitri, ſaponis, & ſimilium, ſed abluatur ex aliquo decocto rerum dulcium.

Tertio loco medicinæ defluuium capillorum prohibẽtes applicari debent: & ſunt, ut ſcribit Auic. medicinæ, in quibus eſt caliditas tenuis attractiua: & uirtus ſtiptica. caliditas, ut trahatur materia pilorum ad cutim; tenuis. i. re

Septima quarti capit. 2.

missa, ne ob nimiam caliditatem materiam resoluat: uel tenuis, ut faciliorem habeat penetrationem: adsit uirtus stiptica, ut materiam in pilos condenset, & condensatam constringat, & retineat. Simplices medicinæ ad hanc rem facientes sunt ladanum, myrtus, & eius grana, oleum lentiscinum, myrrha, aloes, adianthum, seu polytrichon absynthium, oleum costinũ, myrobalani chebuli, & emblici. Nullum præstantius pharmacum ad defluos capillos expertus sum, neque mente concipere possum dicebat Gal. quam est, quod ex ladano, & lentiscino oleo, uel mastici-no permistum constat. manifestum est, quod raso quidem cuipiam, crassus admouere medicamentum oportet: ad ipsam uerò cutem præsectos, & attonsos habentibus pilos, liquidius. quòd enim comam alere non oporteat priusquam quis curetur, euidens puto. quòd si largè defluant capilli: & multa adsit cutis raritas, optimè factum fuerit, si myrteum oleum pro lentiscino ad ladanum in duplici uase liquefactum, admisceatur. Vnguentum à Mesue excogitatum casum capillorum prohibet: Recipit enim corticum cannæ ustorum, corticum auellanarum ustarum, granorum myrti an. ℥. s. absynthij sicci, gallarum an. ʒ. ij. confice post triturationem cum oleo myrtino, & unge.

de comp. medic per loca. ca. 2.

De medi. part. ca. 1.

Aliud ℞. capillorũ ueneris, foliorum myrti siccatorũ, ut teri possint, corticũ pini, uel thuris, & olibani, fructus cupressi an. ʒ. j. ladani ʒ. ij. uini ueteris, olei myrtini q. s. ad hoc ut fiat unguentum quo inungantur nocte radices capillorum: mane autem abluantur cum decocto capillorum ueneris, betæ & myrti.

Aliud ℞ mirobalanorum emblicorum, foliorum myrti, capillorum ueneris, gallę an. quantumlibet coquantur in aqua quousque turbida fiat: postea cum æquali quantitate olei omphacini bulliant ad aquæ consumptionem: inde, facta cum pręlo forti expressione, adde ipsi oleo excolato ladani ʒ. x. mastiches ʒ. vj. cum uino iterum bulliãt: hinc ladanum, & mastiches terãtur ad formam linimenti: & addatur trochis. galliæ moscatæ ʒ. ij. misce & utitor.

Aliud ℞ granorum iuniperi, ladani, absynthij, capillo

rum ueneris an. q. ſ. permiſce omnia cum uino, & oleo myrtino, & dimitte per ſex dies. hinc coquantur ad uini conſumptionem, & colentur, & caput poſt debitam fricationem, liniatur, & cum decocto ſuperius deſcripto poſtea abluæ.

Ad ſupercilia pilis denudata ex Aetio.

Melanthium (gith, ſeu nigella officinis dicitur) uſtum, & cum aqua tritum impone, ubi pilos emergere uolueris.

Aliud apes plurimas uſtas, ac oleo miſtas illine, habita animaduerſione, ne alium locum contingas, ubi pilos enaſci non oportet. Aliud.

R. duas nuces combuſtas, nucleorum dactylorum non penitus uſtorum ʒ. j. piperis grana xv. bulliant cum oleo roſ. optimè tamen omnia prius ſimul terantur.

Ex eis, quæ experta ſunt (inquit Auic.) R. ſtercoris leporini aduſti ℥. j. ſtercoris hircini ʒ. iij. in puluerem redige. uel fiat puluis ex muſcis capita abſciſſa habentibus exiccatis. aut aduratur auellana, & terratur, & conficiatur adipe caprino, aut urſino, & locus illinatur: pilos enim denigrat, & naſci facit. uel

R. antimonij aduſti, piperis an. ʒ. j. plũbi aduſti abluti croci an. ℥. s. ſpicarum ʒ. iij. nucleorum dactylorum aduſtorum ʒ. ij. conterantur, & fiat puluis tenuiſsimus.

Conuenit ladanum, & nuclei dactylorum combuſti oleo moſchelino, uel myrtino admiſti. Item puluis ex lapide armeno, & lapide lazuli.

De Alopecia, & Ophiaſi. Cap. v.

ALopecia, & Ophiaſis morbus eſt in cute capitis, quo morbo ipſa cutis glabra, & uiſu turpiſsima apparet, nam decidunt capilli non vniuerſaliter: ſed magis in una, quam in alia parte: affectus vnus eſſentialiter: ſed quia figura eſt diuerſa, differunt nomine: nam Alopecia dicitur quia præſefert, formam mali, quod ſæpiſsimè vulpem, quæ græce ἀλώπηξ appellatur, infeſtat.

festat. Ophiasis verò quia aliquando tortuosè corrodit capillos, tortuosamq; viam per cutim relinquit, ac si serpens, qui græcis ὄφις est, ibi depictus fuisset, vel ibi sua reliquisset uestigia: hoc vitium tyriam arabes vocant: hac enim voce illi omnes serpentes, potissimum verò viperas intelligunt.

Causa.

Humores mali, vitiosiq; corrodentes pilorum radices sunt huius morbi causa: qui humores quandoq; à primo semine habent originem: quandoque ab inordinato victu contrahuntur. quemadmodum enim plantæ nonnullæ succi defectu siccatæ contabescunt: nonnullæ uerò alienis à natura sua humoribus corrumpũtur: eodem modo & capilli, aut propter humorum: ex quibus nutriri consueuerunt inopiam, aut propter eorundem prauitatem, accidit vt corrumpantur: & propter inopiam fit caluitium: propter vitiatos humores fit alopecia, & ophiasis, tyria dicta: & ij humores vel biliosi, vel atrabilares, vel pituitosi, vel sanguis corruptus esse possunt: & vnusquisque ab vniuersali totius corporis temperie, à victu præcedente, & ab ipsius cutis colore cognoscitur: nam cutis albicans pituitam, nigricans atrãbilem, pallida bilem, rubea sanguinem significabit.

Gal. de cõpo medic. per loc. 1. cap. 2.

Prognostica.

Si per frictionem locus depilatus non rubeat, nulla spes sanitatis.

Si autem fricando rubescit, sanabitur: & quanto citius rubor concitatur, tanto citius curatur.

Alopecia, & ophiasis inueterata non modo difficilis curationis, uerum impossibilis.

Cura.

Curare igitur hoc modo conuenit: primum victus accuratus instituatur: & in hoc omnes sex res non naturales amplecti volo: inter quas maior solicitudo sit de aere, cibo, & potu. Aer temperatus eligatur, decliuis potius ad caliditatem, & humiditatem, quàm ad alias qualitates: & concilietur arte si naturaliter talis haberi non potest.

cibus esse debet nō varius, neque corruptioni obnoxius: sed qui optimum succum in corpore procreare posit, vt sunt panis ex optimo frumēto probè apparatus, caro pullorum, perdicum, & auium in arboribus degentium, hædorum, vitulorum lactantium, ueruecum, oua recentia: pisces saxatiles, & huiusmodi. potus sit vinum clarum, tenue, pauciferum, & subdulce. caueat à vino potenti, & ab omnibus acribus, & acetosis. abstineat à venere, à nimia repletione, à motu statim post ingestum cibum, à malis animi accidentibus, vt est ira, mœstitia, odium, & intensa cogitatio. Deinde si humor peccans, fuerit sanguis, vel cum sanguine educibilis, vena cephalica dextri lateris seccari debet (lenita prius aluo vel cum clystere, vel cum cassia fistula, vel cum aliquo alio leniente) & hauriatur illa sanguinis quantitas, quæ exercitatissimo Medico, talem curam agenti, necessaria videbitur. hinc ad humoris infestantis concoctionem deueniendum, cū serapijs, & decoctis conuenientibus: qui concoctus, & ad euacuationem præparatus, si biliosus fuerit, educitur cum hyera picra Gal. ex Rhabar. si pituitosus cum hyera ex colocynthide: cuius compositio est, aloes, diagridij, colocynthidis, bdellij, masticheś an. ℥. s. succi absynthij ℥. j. optimè factum fuerit si loco bdellij cinnamomum ponatur: dosis sit ʒ. j. vel cum hyera ex agarico: cui parum nucis moschatæ sit additum. Si verò fuerit melancholicus, expelletur cum hyera Ruffi, idest adiecto veratro nigro, & superbibendo aquam lactis: in qua epithymum decoctum extiterit. post vniuersalem totius corporis purgationem per masticatoria (græci ἀποφλεγματισμὸς vocāt) pituitam è capite per os ducere oportet: simplicia, ex quibus confici solent, sunt mastiches, staphisagria, sinapis, piper, origanum, hyssopum, nux moschata, pyrethrū, mel, & similia. formantur pastilli ad lupini magnitudinem: quorum vnus ante prandium singulo quoquo mane per multos dies ad horæ medietatem masticari debet.

Alexan. 1. cap. 15.

Paul. 7. cap. 8.

His peractis ad localia deueniendū: in quibus applicādis, duo sunt obseruanda: primo ex monitu principis

vt

vt Medicinæ euacuantes materiam malignam, ex loco affecto sint incisiuæ, & resolutiuæ, seu discutientes: non tamen oportet ꝙ sint nimis fortes in resoluendo: quoniam cutis plusquam conuenit, exiccaretur: & insequeretur dispositio, vnde capilli caderent, neque amplius generarentur. hinc inferre potes, quod si aliqua medicina vehemẽtis exiccationis necessaria fuerit, vt euphorbium, thapsia, admisceri debet cum aliquo eius acuitatẽ mitigante, neque penetrationem prohibente, sicut est ceratum ex oleo antiquo apparatum. vnde Medicus præsens diligenter considerare debet impressionem, quam facit medicina: quæ impressio si fuerit, quanta esse debet, cum eademmet medicina insistendum: si leuior, eius virtus augenda; si debitum modum excedit, mitiganda cum aliquo eius vires reprimente. & ne error in hoc committatur semper à leuiori inchoandum: & per gradus ad validiora ascendendum: & ut omnia rectè fiant, locus depilatus inspiciendus: qui si per frictionem facilè rubescit, medicamento indiget mitiori. Sin neque per frictionem, neque per appositionem validi medicamenti rubet: signum est, quòd affectus malignus: & quod ad extrema remedia confugiendum: ad frictionem scilicet cum cępis, & ad ipsa uesigatoria, ad sanguisugas ad scarificationem, & ad crebras cum acubus punctiones. Secundo ex monitu Gal. & Aetij obseruandum est, vt medicinæ in aere calido applicentur, citra auram frigidam in sole. hyeme autem in balneo, & vt vulgo dicitur in stuffa calida. ibi caput nouacula abradatur, quod si, & per caliditatem balnei, & per ipsam abrasionem, cutis depilata rubea facta fuerit: causa leuis est: sufficiet itaq; talis inunctio, ℞. spumæ maris combustæ, amygdalarum amararum combustarum, salis nitri combusti an. ʒ.j. adipis vrsi antiqui, olei laurini, adipis anseris, & anatis an. ℥.j. misce, & inunge, hinc per sex horas: & etiam per totam noctem (si expediens fuerit) quiescat, galero uilloso, uel infula, tecto capite: mane spongia in aqua calida infusa abluatur: & uesperi iterum inungatur: & sic successiuè

4.7.ca.6.

pes

per xx. uel plures, uel pauciores dies, abrasionem innouando, nunc inunctio, nunc ablutio, uicibus alternatis, fieri debent. Quod si per pharmacum adhibitum cuti sipsa bullas, uesicasq; emitteret: rumpantur uesicę, & inungatur locus bis singulo die cum adipe anatis: neque, uesicis existentibus, abradatur, nisi longiori temporis spatio interposito: quibus remotis, & curatis cũ eodem met pharmaco debilius facto insistendum. debilius fiet minus de spuma maris, & nitri, & magis de oleo, & adipibus recipiendo.

At si pharmacum ruborem in cute nullum concitaret, fiat validius per causticorum, idest nitri, spumæ maris, & euphorbij additionem: de quibus tantum addatur, quantum ad ruborem, non ad vesicas concitandas sufficere possit: & applicabis ordine, vt supra, obseruato.

Simplicia medicaměta huic affectioni familiaria sunt: Ex his, quæ fortiter calefaciunt, vt euphorbium recens, idest vnius anni: nam quod duos, vel tres annos excedit multo inualidius (valde enim vetusta semper debiliora, & succi, & liquores, & flores, & folia, & fructus, & radices, & semina: & etiam ipsa metallica per longioris temporis spatium viribus infirmantur) & vt thapsia, quæ minus calefacit, quam euphorbium: post thapsiam autem sinapi, & nasturtium, & adarce: post hæc succedunt sulfur, spuma nitri, ipsumq; nitrum: inde veratrum, & album, & nigrum, & erucæ semen, & laurinum, siue oleum, siue vnguentum: ad hæc alcyonium vstum, & arundinis radix & cortex, ambo vsta: quin & pix liquida, & cedria, & murium stercus, vrsiq; adeps vetustiorum, & anseris: & amygdalæ amaræ vstæ: & thus aceto confectum in sole pluribus diebus.

Gal. 1. de comp. medi. per loca, cap. 1.

Composita medicamenta ad Alopeciam pituitosam, ut

R. Euphorbij, rutæ montanæ, baccarum lauri an. ℥. iij. sulfuris viui, ellebori albi an. ʒ. j. s. contunde, & misce cum oleo laurino, & oleo veteri q. s. & line super locum per fricationem rubefactum.

Ad Alopeciam biliosam.

℞. ſpumæ maris, nitri, amygdalarum amararum combuſtarum, corticum auellanarum combuſtarum, radicis cannæ combuſtæ, ſtercoris muris, an. æquales partes cum aceto, & adipe anatis fiat linimentum, poſtquam cutim fricaueris cum panno aſpero.

Ad Alopeciam ex quouis humore.

℞. ſpumæ maris, nitri, ſulfuris viui, gummi rutæ, an. ʒ. ij. ſtaphiſagriæ, cantaridarum an. ʒ. j. miſce omnia cum fæce olei antiqui, & vngatur locus poſt fricationem: eſt enim medicamentum validum. Aliud

℞. Euphorbij, ſpumæ maris, fimi columbini an. ʒ. j. elle bori, ſeminis rutæ agreſtis, corticis auellanæ, ſpicæ nardi, thapſiæ, naſturtij an. ʒ. j. s. fac puluerem, & cum vino coque: poſtea cum oleo roſ. vel anethino, vel laurino admiſce, & caput inunge: inunctum per totam noctem dimitte: ſequenti mane, cum decocto furfuris, vel betæ, vel fabæ ablues.

Aliud ad affectum inueteratum.

℞. Euphorbij, thapſiæ, baccarum lauri an. ℥. s. ſulfuris ignem non experti, ellebori an. ʒ. ij. ceræ ℥. iij. laurini, aut veteris olei q. ſ. quòd ſi cum mitioribus agere uolueris cutim ipſam prius nitro, vel linteo aſpero, vel lana confricato, adeo vt ruborem contrahat, inde verbenaca in ſole ex aceto detrita illine. aut alcyonio combuſto reductoq; in puluerem cum oleo ex lucerna inunge. aut arundinis radix, aut amygdalæ amaræ cortex torrefactus oleo, vel adipe vrſino exceptus inducatur. vel ſtercus fœlinum ex aceto oblinatur præſtans remedium, & ui naturali huic vitio valdè aduerſatur. pariter facit ranarum cinis, pice liquida exceptus, & illitus.

Vt capilli creſcant.

Line locum cum melle, & ſuperſparge puluerem apum combuſtarum, vel puluerem factum ex duabus partibus cornu cerui vſti, & una parte ſolearum combuſtarum, & per triduum dimitte.

Aliud Pauli.

R. ventrem leporis, & ſiccabis in furno in olla fictili: ca ue ne aduratur, myrtillorum, acaciæ fructus, & ſucci, rubi canini an. æquales partes, adianthi ℥. iij. hæc omnia in puluerem redacta cum lib. j. adipis urſini, & bouis marini mi ſceantur, & optimè ſimul contundantur, & in pixide plumbea ad uſum ſeruentur.

De dolore. *Cap.* VI.

QVoniam de dolore capitis agere debemus: neceſſarium in præſentia eſſe uidetur, ut prius generalis aliqua ipſius doloris cognitio præcedat (in doctrinis enim ab uni uerſalibus ad particularia procedendum) circa dolorem igitur quatuor ſunt conſideranda: primum eius diffinitio: ſecundo ex quibus fiat cauſis: tertio in quo affectu præter naturam ſit reponendus: quarto quot ſint doloris ſpecies. interim ſciendum quòd dolor nonnunquam accipitur pro diſpoſitionibus, in quibus dolemus, ſeu pro diſpoſitione ipſa dolorifica Hip. vj. de morbis uulg. inquit in cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi. dolor, dicebat Auic. eſt contrariæ rei ſenſibilitas. uel ut ſcribit Gal. dolor eſt triſtis quidam, & iniucundus ſenſus: & opponitur uoluptati, quæ eſt iucundus quidam naturæ ſenſus, illi conformis, & conueniens. itaque illud neceſſario ex ipſa rerum natura conſequi uidetur, ut cum præſens aliqua in corpore adſit morbifica cauſa, magna ui, atque impetu illius temperiem, aut vnitatem diſſoluere potens, ea dolorem pariat: ſicuti cum ea ipſa, quæ dolorem intulit cauſa, per idonea contraria aufertur, & in naturalem ſtatum fit reuocatio, uoluptatem percipi neceſſe eſt: hoc eſt blandum quendam, ac iucundum ſenſum. dolor, & uoluptas omnibus contingunt ſenſibus nõ tamẽ pari modo, nam in aliquibus magis in aliquibus minus & partes quæ ſenſu carent, nullum dolorem, neque uoluptatem percipiunt. viſus, auditus, odoratu

Ariſtot. i. phy.

Galen. 2. Aph. 6.

De loc. af fec. 2. c. 2. doloris, & uoluptatis diffinitio.

ratu

ratus, gustus dolore afficiuntur, quia tactus aliquo pacto sunt participes: odoratus, & gustus cum tactu maiorem habent affinitatem: ideo maiori etiam dolore, & volupta te afficiuntur: quapropter in tactu dolor, & voluptas erũt euidentiores, quàm in alijs sensibus. In visu est minor vo luptas, & dolor propter substantiæ tenuitatem, nam quod tenuis est substantiæ, neq; dum segregatur violentum ali- quid patitur (quando ad quod ducitur per se prius prope ret) neq; dum congregatur propter mutationis imbecilli- tatem. In visu fit dolor à colore nimis disgregante albo. s. & splendido: & à nimium congregãte nigro, & obscuro: & magis fit à splendido tanquam magis actiuo. Voluptas fit à medijs coloribus vt cœruleo, viridi, & similibus. Au- ditui vox, quæ lenissima, tardissimaq; voluptati est: quæ verò asperrima, celerrimaq; tristitiam infert: hęc sano, in- tegroq; sensui tristia, iucundaq; sunt: fatigato autem ea grata fit: quæ præter lenitatem, & tarditatem etiam parua est. at ei, qui iam ægrotat vox lenissima, tardissima, & exilis, & hac etiã magis, quæ numerosa. dolor, & voluptas euidentior in hoc sensu, propterea quòd substantia est crassiore. Odoratui, halitus vel benè, vel malè olentes sunt causa voluptatis, & doloris, qui in hoc manifestiores apparent, propterea quòd eius substãtia magis crassa (quã tum. n. aer splendore est crassior, tantum aere crassior est halitus) cęterum odoratus cum gustu cognationẽ habet: sola substantiæ tenuitate ab eo dissidẽs, nam halitus nihil est, nisi humor attenuatus. Gustui, cum naturaliter se ha- bet, sapores dulces delectationem: amari tristitiam infe- runt. recenter aũt ab aliquo, quod cõtristabat affecto, suc ci pingues grati, quoniam exasperatum leniunt: Iam verò ægrotanti, qui, ijs, qui affligebant, sunt contrarij: crassis quidem attenuantes: tenuibus, qui incrassant: glutinosis dissecantes: exasperantibus lenientes. calidis, qui frigidi: frigidis, qui calidi: siccis, qui humidi; & humidis, qui sicci sunt: & huic pro discernendi instrumento lingua prostat, ijs maximè succis gaudens, quos ventriculus desiderat: cu ius societatis, tunica, qua vestitur causa est.

Ex Gal. de symp. cau. 1. ca- pit. 6.

Tactui

Tactui accedunt magnæ mutationes naturæ, à frigidi, calidiq; violento contactu: præterea ab ijs, quæ quassandi, vel secandi, vel distendendi, vel exedendi vim habent. Quapropter cum quærimus quis affectus præter naturam sit dolor non de omni dolore intelligendum, qui singulis contingit sensibus: sed de eo, qui euidentior est, qui sensui tactus accidit.

Causæ doloris sunt mala intemperies: & continui solutio: dico malam intemperiem in fieri, non in facto esse: nam in facto esse nõ inducit sensum: sensus enim fit quotiescunque vna pars agit, & altera patitur: Ideo ista mala intemperies debet esse diuersa, & inæqualis.

Statuatur corpus temperatum sua naturali temperie: cui superueniat intemperies vel calida, vel frigida: quæ non sit facta habitualis, tunc virtus sensitiua sentiet aduentum rei sibi contrariæ, & sibi improportionatæ, & fiet dolor: quæ intemperies si vlterius progrediatur, & totum corpus compræhendat, fiet familiaris, habitualisq;, & sic nullum, uel paruum causabit sensum; & per consequens nullus fiet dolor, ut in hecticis febribus videmus: in quibus, tametsi patiens maiori afficiatur inflammatione, quàm si laboraret febre ephimera, uel tertiana, attamen nullum ferè sentit calorem: cum tamen in ephimera, & tertiana maximum percipiat. hoc autem est, quia calor hecticæ mansiuus, & fixus in substantia membrorum principalium vniuersaliter occupauit: neque datur pars, quę sub eius non sit dominio.

Calor tertianæ non est fixus, sed uenit ab humore calido ad membra: in quibus adhuc eorum naturalis temperies seruatur, & ibi per quandam resistentiam, seu ἀντιπερίστασιν fit malus sensus: & quòd res ita se habeat apparet, quia euacuato humore, membra propriam retinent temperiem.

Gal. 2. de conp. medi. 2. capit. 1.

Causa doloris vehementissimi est intemperies calida, vel frigida: moderati sicca: humida per se nullum causat dolorem: ratio est, quia ad efficiendum dolorẽ oportet, quòd alteratio sit violẽta, abundè, subitoq; adueniẽs;

sed

ſed huiuſmodi alteratio non poteſt fieri niſi à qualitatibus multum actiuis, quæ ſunt caliditas, & frigiditas: non autem à ſiccitate, & humiditate, quæ ſunt qualitates paſſiuæ: à quibus non prouenit actio: quò d ſi prouenit non eſt uehemens, neque ſubito, neque affatim, ſed (ut ita dicam) paulatina, ideo nunquam per ſe ſunt cauſa doloris. Sunt tamen aliquando per accidens, nam ſiccum uniendo, & partes inter ſe conſtringendo diſrumpit cõtinuum: humidum molliendo, & laxando cauſat materiæ fluxum, à qua unitatis ſolutio, & ſic dolor. nec obſtat pluſquam Commentatoris ratio, qui ſecundo artis medicinalis, aſſerit dolorem fieri poſſe ab omnibus qualitatibus tàm actiuis, quàm paſsiuis, hoc argumento, omnis qualitas alterans bonam in membro temperiem, & inducens contrariam, cauſa immediata doloris eſſe poteſt: ſed qualitas ſicca, & humida id facere poſſunt, ergo &c. conſequẽtia probatur per Auic. qui ſcribit: quòd cauſa doloris eſt ſubita mutatio temperiei à diſpoſitione naturali ad pręter naturam: minor patet, quia temperies eſt cõflata ex quatuor qualitatibus primis: quarum unaquæque improportionata ipſam bonam temperiem immutare poterit. non obſtat inquam hęc ratio: nam Gal. lib. de ſympt. uult quòd dolor ſit propria paſsio tactus: & quòd dupliciter conſiderari poſsit: uno modo propriè prout eſt ſenſatio rei contrariæ uehementer membra alterãtis: & hoc pacto ſiccitas, & humiditas non poſſunt eſſe cauſa immediata doloris: quia non inducunt in mẽbris ſubitam, & uehementem alterationem. Alio modo largè pro qualibet ſenſatione rei contrariæ immutantis ſenſum: & ſic omnes quatuor qualitates poſſunt eſſe cauſa doloris cum membra (quamuis diminutè) alterare poſsint.

Solutio continui pariter eſt cauſa doloris: & non percipitur niſi tactu: & quoniam organum cuiuslibet ſenſus ſentit tactu (hic enim ſenſus communiſsimus eſt) à quo nec alij ſeparantur, ſed ipſe ab alijs, accidit propter hoc cuiuslibet ſenſus organum ſolutionem continui poſſe ſentire, non quidem inquantum uiſus, uel auditus, uel

odoratus,

odoratus, vel gustus: sed quantum in his inest sensus tactus.

Et res soluens continuum alicuius membri immutat ipsum alteratione quadam:quę alteratio est causa, vt percipiatur dolorosa sensatio: ita quòd in vno sensu sit duplex cognitio, dolorosa scilicet, & non dolorosa: sed dolorosa non potest percipi, nisi, alia non dolorosa percipiatur.

Pariter continui solutio maiorem inducit dolorem, quàm ipsa alteratio, etenim repentinum alterans non est ita violentum cum sit qualitas, vt repentinum scindens: cui associatur etiam mala intemperies. subitam alterationem: & subitam continui solutionem non intelligimus in instanti factam, sed breuissimo in tempore, quia si in instanti non sentiretur (experientia enim videmus, nullum, aut paruum fieri dolorem ex incisione alicuius membri repentè facta) nam omnis alteratio, & operatio debitum tempus expetit ad hoc, vt sensibile in sensu possit imprimere.

Modus generationis doloris ex Platonis Timæo desumi potest:vbi inquit, passio violenter,præterq; naturam, abundè, simulq; nobis illata molesta fit, & dolorosa: rursus,quæ in naturam abundè,simulq; reuertitur dulcis, & grata. passio autem magna cum facilitate illata,sentitur quidem maximè, voluptatis autē, & doloris minimè particeps. quam Platonis sententiam ipse Gal. confirmauit: dicens dolorem fieri in omnibus sensibus,& præsertim in tactu à re præter naturam violenter,& magno impetu,affatimq; in eos irruente. Voluptatem verò ex reditu ad naturalem habitum affatim quidem, sed absque violentia facto. quare dolor, & voluptas in hoc conueniunt, quod athrows, idest celeriter, cumulatimq; fiunt: differunt quòd dolor violentiam infert, voluptas absque omni violentia contingit: nam si cum violentia esset, dolorem ipsa quoque excitaret: vt patet in ijs, qui in vehementi frigore iter fecerunt: dum enim aceruatim, & violenter calefieri properant dolore circa vnguium radices adeò ingenti

genti afficiuntur, ut ferre nõ possint. ideo Gal. 12. Meth. cap. 7. inquiens, uidentur. n. corpora non solum cum in habitum contra naturã confertim aguntur, tristem mutationem sentire, sed ẽt in ipso ad naturalem statum suum reditu (nisi cum paulatim accipiant) cruciari: exponendus est: nisi paulatim. idest absque uiolentia.

Cum autem quæritur quis affectus præter naturam sit dolor, dicimus quòd est symptoma: uerum quandoque potest esse morbus: nam dolor dupliciter accipitur: formaliter scilicet, & materialiter: primo modo acceptus proculdubio morbus esse non potest, cum permanentiã non habeat: sed in omnimoda sit alteratione: & cum sit actio deprauata ipsius sensus tactus propter uiolentam, uehementem, ac repẽtinam alterationem eius instrumento occurrentem. secundo autẽ modo acceptus dolor ut morbus consideratur, cũ permanentiam quandã possit acquirere: & non existat in mera alteratione, sed in parte aliqua figatur, & operationes per se lædat.

Cõcil. differentia, 73.

Absolutè tamen proferendo dolor est symptoma, seu accidẽs generalius, & pluribus commune, & magis determinatè indicans morbum, quàm alia accidentia: quorum duo sunt: quæ inter se habent similitudinem, dolor & mœstitia: quia utrumque est cõprehensio inconuenientis: differunt tñ, nam dolor est cõprehensio incõuenientis corporalis: mœstitia uerò incõuenientis animę: itaq; unus est passio corporis: alter verò est passio animæ: non quòd dolor (tametsi fiat in corpore) nõ percipiatur ab aĩa: & præsertim sensitiua: sed dicitur passio corporalis, quia fit ex ipsius organorum læsione, uel à mala temperie, uel à continui solutione. Mœstitia uerò dicitur passio animæ, quia sequitur appetitum.

Doloris species sunt quindecim uidelicet pruritiuus, asperatiuus, pungitiuus, extensiuus, compressiuus, contusiuus, frangitiuus, laxatiuus, perforatiuus, acualis, stupefactiuus, pulsatiuus, grauatiuus, fatigatiuus, & mordicatiuus.

Auicẽ. ex Galen de loc. aff. 2. cap. 7.

Dolor pruritiuus est eueniens in cuti corporis cum

pruritu: cuius causa est humor acris, salsus super cutem sparsus.

Dolor asperatiuus est proueniens, uel causatus ab humore faciente in membro asperitatem, ut in trachea arteria quandoque experiri licet.

Dolor pungitiuus est cum punctura, ac si membrum perforaretur: & fit in membranis ab aliquo humore ita in latum extensis, ut continui separatio fiat: & est uehementior in una parte quam in alia: pro ut illa pars est magis, uel minus sensibilis: ut in membrana oculi patet: quæ in parte anteriori, in cornea scilicet maiorem dolorem: quã in parte posteriori scilirotica dicta patitur. & ut in membrana costas subcingente in cuius parte ad furculas extensa maior fit dolor, uel quia ibi est crassior, uel quia propinquior membro nobili.

Dolor extensiuus maximè fit in neruo, siue sit in musculo, siue extra musculum: nam huiusmodi dolor percipitur in membro multum sensibili, & extensibili sed tale est neruus. & fit quandoque ab humore, ut plurimum tamen à flatu: & quando à flatu nulla percipitur grauitas.

Dolor cõpressiuus accidit in loco ad compressionem disposito, ut in carne musculosa, & fit à flatu, uel à materia coarctante: & patiens talem dolorem putat habere membrum astrictum, & coangustatum.

Dolor contusiuus est quando patiens ita affligitur, ut propria membra sibi contundi dicat: & causatur à materia inter musculum, & suam membranam extendente, & continuum soluente.

Dolor frangitiuus est profundus: in quo patiens sentit ossa membri affecti ita disposita, ac si frangerentur cuius causa est materia, aut flatus positus inter os, & membranam ipsum ambientem: aut frigus ipsam astringens membranam. & quanuis ossa sensu careant; attamen ægri percipiunt quandam fractionem (ut in quartanis febribus uidere licet) propter ipsius membranæ ossi adhærenti sensibilitatem.

Dolor laxatiuus est, quando patiens sentit membrum

extendi,

extendi, absque sensu alicuius contractionis: & differt à dolore extensiuo, qui fit in neruo musculi: hic autem fit in carne musculi à materia ibi inexistente: & uocatur laxatiuus, quia in parte laxa euenit (musculus enim quo ad carnem laxior est ipso neruo.)

Dolor perforatiuus proprius est membris duris, crassis, duas tunicas habentibus, sicut colon intestinum: causa huius doloris est materia crassa, ut pituita uitrea, aut flatuositas retenta inter illas duas tunicas: quæ continuè rumpit, & stimulando penetrat, ac si cerebrum perforaret.

Dolor acualis, ferè induit sibi formam doloris perforatiui: in duobus tamen ab eo differt: primo quia est minor: secundo quia perforatiuus fit in intestinis crassis: acualis autem in intestinis gracilibus: aliquando etiam in crassis: & causatur ab eadem materia crassa, & à flatuosita te: & dicitur acualis, quia patientibus uidentur intestina acu perforari.

Dolor stupefactiuus est obtusus, qualis, qui accidit mẽbris, dormitantibus, stupidis: & non dicitur stupefactiuus quia non sentiatur, sed quia obtusè sentitur: uel quia ut plurimum fit à frigore congelante, & stupefaciẽte: & sub hoc comprǣhenditur dolor congelatiuus: qui dẽtibus solummodo accidit ob acidorum comestionẽ. hic dolor duplicem causam habere potest: prima causa est excellẽs frigus congelans, & stupefaciens: secunda cā est obstructio orificiorum uenarũ ab aliqua materia: uel à ligatura, uel à cõpressione, sicut accidit quando quis retinuit crus incõmodè sub aliquo pondere, ita ut spiritus & sensitiui, & motiui libero transitu ad mẽbrũ prohibiti fuerint. & hũc dolorẽ uulgò dormitationem mẽbri appellare solemus.

Dolor pulsatiuus, qui etiam percussiuus dicitur, est, in quo patiens manifestã sentit pulsationẽ. pulsare citra dolorem ad solas arterias pertinet, dicebat Gal. ubi uerò ingens oborta inflãmatio, uel erisipelas, uel abscessus arteriarum pulsum cum dolore sentimus: cum antea per bonã ualetudinem neq; cũ dolore, neq; sine dolore ipsum sen-

De loc. affec. 2. c. 3.

 tiremus,

tiremus. Dolor igitur pulsatiuus sequitur inflammatorios affectus notatu dignos, idq; semper in ipsis arterijs, atq; in partibus ipsas cõtinentibus, quas ob angustiã premunt: & cũ attolluntur ueluti percutiunt (modo pars affecta sentire nata sit) ergo neq; in peripneumonia, neque ĩ pleuritide dolor pulsatiuus euenire põt, idq; ob partiũ naturã: nanq; pulmo sensum non hẽt, pleuritis uerò membranæ costas succingentis morbus est: quæ ubi costis quidẽ uicina est necessariò comprimitur: at media ipsius tota pars comprimi non potest: sed inflammationis duntaxat ratione dolet. constat igitur quòd dolor pulsatiuus neq; in hepate, neque in renibus, neque in splene, sicuti neque in pulmone percipitur: quoniã nerui sensitiui in his membris non diuiduntur: idem sit dictum de membranis: quæ pulsu carent: & de carne molli, & de alijs partibus, quæ arterias non habent.

Ad dolorem pulsatiuum efficiendũ tria requirũtur: primum ut membrũ affectum sit sensibile: secundũ quòd sit arteriosum: tertium quod materia sit cõculcans arterias, per quã conculcationẽ inducatur maior euentationis necessitas. adde unum ex Auic. uidelicet quòd sit apostema calidum, non autem frigidum, nam frigidum utcumque fuerit, siue durum, siue molle, nisi in calidum conuertatur dolorem pulsantem non efficiet.

Dolor grauatiuus est, per quem patiens sentit grauitatem, & pondus quodam in loco affecto.

Causa est apostema in membro per se insensibili, inuoluto tamen aliqua mẽbrana sensibili, ut pulmone, hepate, splene, & similibus. Apostema. n. grauãs trahit membrũ inferius, qđ tametsi non sentiat, sit tñ dolor, mediãte mẽbrana sentiẽte. uel apostema in mẽbro per se multũ sensibili: cuius sensus ob morbũ diuturnũ iam sit destructus, ut si cãcer esset in ore uetriculi: cuius grauitas percipitur, nõ tñ multus adest dolor, propterea quòd cãcer sensũ aboleuit.

Dolor fatigatiuus est quando quis mẽbra sentit defessa. Causa est aut labor corporeus, & uocatur lassitudo laboriosa: aut humor excedens, & uocatur lassitudo extensiua:

tensiua: aut flatuositas, & vocatur lassitudo inflatiua: aut humor mordicans, & vocatur lassitudo vlcerosa.

Dolor mordicatiuus, qui aliquando corrosiuus, aliquādo morsus, seu corrosio dicitur, est in quo patiens sentit corrosionem, & mordicationem. & hic dolor fit in membris intrinsecis, profundis sub cute positis ab humore qualitatem acutam habente: & differt à dolore pruritiuo: nā pruritiuus non fit in partibus intrinsecis, sed in cute, & in parte extrinseca.

Cura doloris duplex est regularis scilicet, & coacta, seu mendosa. cura regularis triplici perficitur instrumento: idest diæta, pharmacia, & chirurgia. In diæta comprehendo omnes sex res non naturales. aer igitur sit temperatus in caliditate, & frigiditate: à ventis, & flatibus immunis: cibus, & potus sit paucæ quantitatis, & boni nutrimenti: vsus carnium suspectus est, ius autem admittitur. exerceri circa aliqua sensibilia optimum est: audiat igitur quæ plurimum delectare possint, vt colloquia amatoria, uoces suauissimas, cantilenas, melodias, musicalia instrumenta: quibus somnus conciliatur, & dolor mitigari solet. somnus sit prolixior. Alui excrementa quotidie educantur, vel naturæ, vel ipsius artis auxilio.

In pharmacia compræhendimus alterationem, digestionem, euacuationem, & diuersionem. Alteratio sola sufficit quando adest pura mala complexio sine materia: quæ si fuerit à causa procatarctica, vt à casu, percussione, vel à quacunque alia: ex qua insequatur attractio materiæ ad locum doloris: instare debes cum his, quæ membrum affectum corroborare possint, cum astringentibus scilicet: vt aditus materiæ fluenti prohibeatur.

Si fuerit à mala complexione calida infrigidabis: si à mala complexione frigida calefacies. Si à complexione composita, compositis vtere medicinis. Vbi verò mala complexio fuerit cum materia, tunc non sufficit sola alteratio: sed alteratio cum euacuatione requiritur: quæ materia si fuerit sanguis, vel cum sanguine educibilis, vel tendat de membro ignobili ad nobile, ad phleboto-

miam,& sic ad tertium instrumentum confugies (obseruatis tamen conditionibus à Gal. descriptis). Quòd si humor diuersus à sanguine peccauerit acutus, & mordax, vt est humor biliosus, digeratur cum infrigidātibus, & incrassantibus, & euacuetur cum medicinis conuenientibus. pariter humor frigidus, & crassus antequam euacuetur, attenuari, & calefieri debet. at si euacuatio pro sedando dolore non sufficit: vel fieri non potest propter virium imbecillitatem: reuellenda, & deriuanda est materia à loco doloris ad membra ignobiliora.

Denique prædictis remedijs nihil proficientibus ad emplastra, & vnctiones, vim diaphoreticam, & euaporantem habentes transeundum: in quibus adhibendis nonnullæ conditiones sunt obseruandæ: primo quòd huiusmodi emplastra, stante vniuersali repletione, non tuto applicari possunt: quod si coactè applicantur semper admista cum aliquibus stipticis, & corroborantibus esse debent, ne materia affatim ad locum dolentem præcipitetur.

5. Aph. 22 Secundo quod actu calida adhibeantur, nequaquam autem frigida: nam infrigidatio non conuenit pro doloribus mitigandis, nam densat, & prohibet materiæ resolutionem: conuenit tamen in mala intemperie calida absque materia, vt in cōtracta à solis ardore, & ī erysipelate.

Aliquando tamen infrigidatio, membrum stupidum reddendo, vel in eo calorem vniendo, à quo calore materia cōcoquitur, & expellitur per accidēs dolorē soluit.

Tertio quòd in dolore à materia frigida, & crassa, neq; clysterijs, neque localibus in calore excedentibus vti debes: nam calor agens in tali materia excitat flatum, distēdit, & dolorem auget. hinc multi vulgares inquiunt se minus dolere cum neq; enematibus, neque emplastris, neq; alijs vtuntur fomentis calidis. In tali igitur casu moderatè calida sunt eligenda: quæ in multiplici sunt differētia: nā aliqua sunt humida: aliqua sicca: nonnulla pungentia: nonnulla fortia: nonnulla mitiora: calefactio humida fit per aquam in vesica, vel folliculo inclusam, & appositam. Calefactio sicca fit cum milio, & furfure. calefactio pun-

gitiua

gitiua fit cum sale, & conuenit in dolore ab humoribus crassis. calefactio mitis fit cum oleo. fortis autem cum orobo trito, & cocto cum aceto parum lymphato, & super posito: possumus etiam orobum ita coctum siccare, & ad libitum calefacere, & apponere.

Quòd si dolor à flatu absque materia, vel cum pauca materia excitatus fuerit, curabitur cum decocto chamemeli locum embrocando: vel cucurbitula cum flamma copiosa admota: videbitur enim tibi, vt scribit Gal. hoc præsidium in huiusmodi affectu incantamenti cuiusquam simile quid efficere: siue hic in intestinis, siue in quauis corporis particula fuerit. quos verò non modo substantia flatuosa, sed etiam humor quispiam, vnde ea oritur, malè habet: ijs ilicò ad tempus dolor sedatur, redit tamē vel in sequenti nocte, vel postridie, vel etiam tertio die similis dolor: præsertim si in uictu aliquid deliquerint, aut importunius particulas excalefecerint. & hoc maximum affectus inditium tibi fuerit: vnde in posterum, nec impensè particulam calefacies, & tenuatoria curationis ratione uteris. Quòd si in ventre talium quippiam incidat mirificè hi ex acrium iniectione leuantur. Sed procuranda in primis doloris accessio est, admota scilicet cucurbita, vt uentosus digeratur spiritus: postea euacuandus humor infuso per sedem eiusmodi medicamentorum aliquo, vt v.g. oleo rutaceo: nam aliqui in tali curandi ratione, vbi oleum acceperunt, maximo cruciantur dolore: hinc exiguo interposito spatio excernunt humorem vitreum, quare protinus & à dolore, & ab affectu liberantur.

12. Meth. cap. vlt.

His humoribus contrariam naturam habēt, qui tenues sunt, atque acres, similem tamen dolorem inferunt, aliquando etiam conuulsiones, cum in ore ventriculi sunt collecti: qui vomitu expelli debent, exhibita aqua calida, vel aliquo vomitorio conuenienti. cum uerò in intestinis detinentur inijcere per sedem conuenit, quod eluere huiusmodi humores sit aptum: & id detersorium esse debet: cui morsus absit, eius generis maximè est cre-

mor ptiſanæ. cibi verò exhibendi his ſunt, & boni ſucci, & difficilis corruptionis. dolor uerò ex ſiccitate curatu per difficilis, vel potius qui curari omninò non poſsit, ſi febris occaſione eſt contractus.

Mitigantia dolorem generaliter ſunt calida in primo gradu, vt habetur apud Gal. ſex. de ſimpl. medi. vt eſt lac chameli, ſemen lini, anethum, althæa, chamæmelon, œſipus, ſiue lana ſuccida, gallinarum adeps, vitellus oui, fumuſterræ, crocus, cinnamomum, ladanum, rapum decoctum contritum, & impoſitum, ius ipſius, oleum chamæmeli, anethi, oleum roſaceum, oleum granorum xilini, & grana ipſa, ſapa, ſemen apij: & omnia vnguenta maturantia, quædam mitigant dolorem à proprietate. Sunt qui verbis, characteribus, incantationibus, amuletis, dolorem hemicraneum, dolorẽ dentium, & ventriculi abigũt.

Cura coacta, & mendoſa vti poteris, quotieſcunque tempus non datur ad regulariter operandum, eo quòd dolor ſit tam intẽſus, vt periculum immineat de ſpaſmo, vel de ſyncopi, vel de morte: in tali igitur caſu feſtinare debes ad doloris mitigationem, ne vires proſternantur: nam, ipſis deficientibus, ſuperuacanea eſt omnis cura regularis: huiuſmodi dolor cognoſcitur à corporis frigiditate, ob multam ſpirituum reſolutionem: à tremore: à continua agitatione: à pulſus paruitate: inordinatione, & interceptione: à ſudore frigido, & ſymptomatico: ab inuoluntaria excretione. quo cognito ſtatim cum narcoticis ſuccurrendum, maxima tamen adhibita animaduerſione, vt bene monuit Gal. de comp. medi. ſecundũ loca. (8. cap. 1.) & quoniam narcotica, quædam ſunt ſimplicia, quædã cõpoſita cum eorum vires refrangentibus, & corrigentibus: compoſita ſunt tutiora: & de compoſitis quædam noua, quędam antiqua, & fermentata: ſemper ipſa fermentata ſunt potiora. Amplius tam ex ſimplicibus, quam ex compoſitis quædam ſunt vehementia, quædam debilia, quædã mediocria: à debilibus ſemper inchoandum, & gradatim ad fortiora procedendum.

Et narcotica quandoque exterius, quãdoque interius adhibentur:

adhibentur:& quæ interius, alia bibuntur: alia per ſedem clyſterijs, vel glandibus inijciuntur, vel ori, vel naribus, vel auribus inſtillantur. tutius tamen vt plurimum exterius applicantur: dixi vt plurimum, nam ſunt quædam membra dolore affecta, quibus ipſa narcotica interius admota magis proficua ſunt, vt oculi, nam ex exterius admotis cæcitas euenire ſolet. quædam autem ſunt, de quibus non curandum, & ſi ſtupefactiua ſuperimponantur, cum nullum inde ſequatur detrimentum, vt dentes. In medicinis aurium non tuto narcotica admiſcentur, inde enim fit deprauatus, & difficilis auditus. Quicnnque igitur narcotica exhibere voluerit (ponderata prius doloris magnitudine, ægrotantis viribus, leuamine, & nocumēto, quod hinc euenire poſsit) infraſcriptas obſeruabit regulas: primò narcotica veſperi, hora, qua ſomnus prouocandus eſt, propinabit: nam in ſomno conſueto natura concoctioni incumbit. ſecundo ne cibus corrumpatur, ieiuno ſtomacho hoc fieri debet: & cibus tandiu differendus, quoad ſtupefactiuum ſuam expleuerit operationem: qui cibus poſtea ſit in pauca quantitate, & facilis concoctionis ob calorem naturalem debilitatum. tertio ſi affuerit humorum redundantia, aliqualis euacuatio prius præmittenda. quarto narcotica non ſunt frequenter exhibenda, ſed raro, & cum uino potenti, vt celerius penetrare poſſint, & ad actum reduci, & præſertim in corporibus venas ſtrictas habentibus. quinto impreſsionem narcoticorum in membris derelictā remouebit, quæ ſi fuerit interius cum electuarijs calidis, & cordialibus: ſi fuerit exterius cum oleo chamæmelino, vel coſtino, vel de caſtoreo, ſeparatim, vel ſimul cum felle tauri miſtis, & ad ignē ebullitis vſque ad fellis conſumptionem.

Auic. 4. 1. c. 30.

De

De Capitis dolore in generali. Cap. VII.

Dolor capitis ab Auic. soda: à Rasi cephalea. ab Alexãdro κιφαλαλγία dicitur. est autem molesta, tristisq; sensatio in ipso capite. & quoniam caput in multas diuiditur partes: quæ omnes non semper dolore infestantur, sed modo una, modo alia: hinc est, quòd huiusmodi dolor apud Arabes diuersa sortitur nomina: nam si euenit quòd uniuersaliter caput afficiat, uocatur ouum, uel galea, uel soda: Si uerò mediam partem, uocatur hemicrania: si autem dolor fuerit fixus profundè in una particula determinata, ut supra oculum, & ibi appareat sensus pungitiuus, uocatur clauus: sin occupat quartam partem capitis uocatur monopagia.

Dolor capitis aliquando ut symptoma, aliquando ut morbus cõsideratur, & diuiditur, quia alius fit à mala intemperie: alius à continui solutione: alius ab utraque simul ut apostemate. factus à mala intemperie uel erit cum materia, uel sine materia: si cum materia uel calida sanguinea scilicet, uel biliosa. aut frigida pituitosa, uel atra bilari. Si absque materia uel simplici ut à caliditate, uel frigiditate, uel siccitate. aut composita ut à caliditate, & humiditate: caliditate, & siccitate: frigiditate, & humiditate: frigiditate, & siccitate. Factus à continui solutione uel erit propter incisionem, uel contusionem, uel corrosionem. Item diuiditur, quia quandoque fit in substantia cerebri, & licet cerebrum sensu careat, tamen dolor excitatur ob arterias, uenulas, & uillos in eo dispersos: uel ob consensum ad alias partes circaiacentes: quandoque fit in membranis intrinsecis ut in dura, uel pia matre: quãdoq; in membrana extrinseca ambiente craneum. Item diuiditur, quia alius intensus, alius remissus: pariter diuiditur, nam alius per se, alius per consensum: per se alius à causa intrinseca, alius à causa extrinseca: à causa intrinseca diuiditur secundum locum ut in toto, uel parte capitis: se-

cundum

cundum terminationem, nam alius interpolatus, & periodicus, alius chronicus. ſecundum anni conſtitutiones, quidam enim accidit plus hyeme, quidam plus æſtate, dicebat Hip. Si æſtas ſicca fuerit, & aquilonia, autumnus uerò pluuioſus, & auſtralis: dolores capitis ad hyemem fiũt. ſecundum accidens, nam aliquis eſt, cui non coniungitur aliquod accidens: aliquis eſt cum ſymptomate copulatus, ut cum uomitu, ſingultu, cum intenſa uigilia: uentriculi ſubuerſione. à cauſa extrinſeca, ut à cibo præſertim uaporoſo, & flatuoſo, ut ſunt allia, cæpę, ſinapis, & huiuſmodi acria: & ut ſunt legumina, lacticinia, nuces, caulis, lactuca, fructus horarij aſſumpti poſt cibos duræ concoctionis, nam corrupti deſcendere non poſſunt, à potu ſuperfluo muſti uini potentis: & quandoque aquæ frigidæ ieiuno ſtomacho. ab aere corrupto, turbido, à nimia caliditate ſolis, ignis, aut aeris, ab unguento calido capiti applicato: à nimia frigiditate aeris, lunæ, unguenti. à nimia ſiccitate. à nimia humiditate aeris, pluuiarum, & unguentorũ. à uentis meridionalibus replentibus, uel ſeptentrionalibus nimis conſtipantibus. à vaporibus eleuatis à rebus fœtidis ut à cadaueribus, ab aſſa fœtida, ab ellychniis extinctis: à rebus nimium odoriferis, ut eſt liliũ, moſchus, ambra, coſtus, cinnamomũ, crocus: ſi odor eorum aſsiduè percipiatur. à nimia animi agitatione, ut ira, furore, cogitatione intenſa, mœrore. à nimio motu corporis ut curſu, labore, ab exercitio immediatè facto poſt cibum, uel immediatè poſt diuturnam quietem, diſſoluuntur enim humores, & agitati caput petunt. à coitu ſuperfluo. à ſpermatis retentione. à ſomno profundo, & merediano. à uigilia cerebrum exiccante. à balneo intempeſtiuo, & præſertim poſt cibum. à crapula. ab ebrietate. à ſono terribili, vt bombardarum, tonitruum, tubarum, rotarum, & huiuſmodi. à nimia, & graui capitis coopertura: non enim caput tam ualidum, quòd non debilitetur, & rarefiat, ſi nimis opertum teneatur, & præſertim ſi ex ſui natura calidum fuerit, unde malè agunt, qui à pueris aſſueſcunt geſtare galerum, uel biretum graue.

3. Aph. 18

Per

Per consensum fit dolor capitis, aut à toto, ut in febribus, uel alijs morbis uniuersalibus. qui dolor aut antecedit febres aliasq; ægritudines, & est signũ futuræ affectionis: aut incipit cum ipsa febre, & concomitatur, ad cuius augumentum augetur, & ad diminutionem diminuitur: alius sequitur febrem: & hic dolor quandoque est signum futuræ crisis, & præsertim per fluxum sanguinis ex naribus, uel per uomitum: quandoque est symptomaticus. aut per consensum à membris particularibus fit dolor capitis, ut à uentriculo, ab hepate, à splene, ab intestinis, à corde, à matrice, à renibus, à diaphragmate, à uermibus.

Causa.

Causas doloris capitis per ea, quæ superius dicta sunt, satis manifestas esse puto. ne igitur in eis recensendis frustra tempus conteratur, ad signa me conuertam: quibus mediantibus, in cognitionem uniuscuiusque speciei doloris, tam per propriam essentiam, quam per consensum deuenire possimus.

Signa doloris capitis per essentiam.

Dolor capitis per propriam essentiã cognoscitur, quia continuè infestat: quod si aliquando remittitur, parum remittitur: cerebri operationes læsæ apparent: ut in motu tarditas, & membri grauitas: caligo quandoq; oculos obducit: & rectus discursus impeditur.

Signa doloris capitis ex consensu uentriculi.

Dolor capitis per consensum cognoscitur facilè ab eo, qui habet notitiam affectus uniuscuiusque membri: ut si fuerit v.g. à uentriculo (hoc enim membrum dicebat Auicen. inter cętera primum locum obtinet ad communicandum capiti suam indispositionem) aderit cum ipso dolore ansietas, nausea, prostratio, uel destructio appetitus: mala concoctio, præsertim si uentriculus pituita refertus fuerit: quod si bilis in eo dominatur, aderit oris amaror, nausea, mordicatio, cordis tremor, inflammatio, quæ post somnum magis augetur. Item quandoque uomitus, per quẽ si humoris fit euacuatio, dolor quiescit: neque reuertitur nisi ad nouam humoris aggregationem. pariter quiescit

post

post assumptum cibum in ijs, quibus ad os uentriculi bilis effunditur. hinc etiam notare debes, quòd omnis talis dolor à quacumq; causa fuerit, minor percipitur immediatè post cibum, quoniam uaporum eleuatio compesci tur: sed si fuerit à pituita, uel atrabile pauco interposito temporis spatio maior reuertitur. Si fuerit ex inanitione mirum in modum iuuatur.

Signa doloris capitis ex consensu hepatis.

Dolor capitis ex consensu hepatis cognoscitur, quia hepar incalescit, obstructione afficitur, aut grauitas ĩ dextro hypochundrio percipitur: urina citrina, uel multum rubea mingitur: deiectiones malæ, & in substantia, & in colore apparent. & dolor in dextro latere magis se se ostendat.

Signa doloris capitis ex consensu splenis.

Quòd dolor capitis fiat à splene signum est, quia occupat sinistram partẽ capitis: splen enim positus in sinistro hypochundrio magis rectè ad illam partem fumos, & uapores dirigit. est tamen Serap. sentẽtia quòd à splene fiat dolor capitis trãsmisso humore melancholico ad uentriculum, hincq; ad caput euaporante itaq; uentriculus per se dolorem capitis causare potest: splen autem nõ per se, sed mediante uentriculo idem dicit de hepate.

Signa doloris capitis ex consensu intestinorum.

Intestina inuoluuntur panniculo quodam Myrach ab Arab. appellatur, qui ex directo fronti subsidet: & mittit uapores malos dolorem excitantes in parte anteriori capitis: unde ab hoc signo potissimum cognoscitur: & etiam quia in intestinis contorsio, & agitatio quædam simul adesse solet.

Signa doloris capitis ex consensu cordis.

Si cum ipso dolore affuerit frequẽs syncopis, pulsatio, respiratio laboriosa, & intercepta, anfietas, certus eris dolorem ex consensu cordis fieri.

Signa doloris capitis per consensum à matrice, & renibus.

Iste dolor percipitur in extremitate ossis sincipitis

cipitis prope ossa temporalia: & ut plurimum fit ex mensibus diminutis, uel ablatis, uel indebito tempore fluentibus. Solet etiam fieri post partum, uel abortum, tunc enim humiditates fœtidæ corruptæ ad exitum excitantur: quæ diu retentæ ad caput euaporant. Si autem fit per consensum à renibus cognoscetur, quia in illis aderit aliqua mala dispositio, aut grauitas, aut inflammatio, & dolor magis ad posteriora inclinabit.

Signa doloris capitis per consensum à diaphragmate.

Hic dolor est intensus cum aliquali mentis alienatione, cum difficultate anhelitus, angustia, cordis pulsatione, & quandoque cum syncopi.

Signa doloris capitis ob uermes.

Non solum uermes in cerebro geniti, uerum etiam in alijs partibus solent & dolorem capitis, & epilepsiã causare: qui dolor cognoscitur ex saliuæ multitudine, à fœtore oris, à uehementi corrosione, à narium pruritu, à doloris qualitate, nam est acutus, pungitiuus, & magis irritatur ex motu capitis, tunc uermes eleuantur, & uellicant.

Signa doloris capitis à sanguine.

Frequens pulsatio circa tempora, caliditas uehemens, sed non mordicatiua, uenæ circa tunicam adnatam satis eminentes, & tumidæ: facies rubea, urina rubea, & spissa, pulsus magnus, uictus præcedens lautus, & sanguinis augmentatiuus: ipsius hominis temperies sanguinea, habitus carnosus, somnus profundus, leuamen à rebus frigidis, & læsio à calidis hæc omnia attestantur dolorem capitis à sanguine.

Signa doloris capitis à bile.

Dolor ab ipsa bile conflatus non est mitis ut à sanguine, sed acutus mordicatiuus, associatur siti, & oris amaritudini adest facies citrina, pulsus uelox, frequens, & durus: vrina alba, bilis enim cum sit humor tenuis sursum ascendit, itaque urinam inficere non potest: narium nulla uel pauca excrementa, eaq; sicca: a frigidis iuuantur, læduntur a calidis.

Signa

Signa doloris capitis à pituita.

Grauitas capitis, ſegnities, albedo, & faciei pallor, pauca ſitis, pauca inflammatio, ſomnus profundus, & longus, ſenſus ſtupidi, pulſus lentus, tarduſq; : urina alba, & craſſa : corporis temperies pituitoſa, uictus præcedens pituitoſus, iuuari à calidis : hæc omnia dolorem a pituita eſſe oſtendunt.

Signa doloris capitis à melancholia.

Color faciei eſt liuidus, adeſt ſiccitas, coarctatio pectoris, vigilia, pulſus tenuis, tardus, dolor remiſſus : habitus corporis melancholicus, uictus qui præceſsit humoris melancholici aggregatiuus.

Signa doloris capitis à cauſis procatarcticis ſuperuacaneum eſt ſcribere, nam huiuſmodi cauſæ ſunt ægro, & medico per ipſum ægrum ita manifeſtæ, ut ad illas indagandas nullis ſignis indigeat.

Prognoſtica.

Quibus urinę perturbatæ, quales ſunt iumentorum, ijs dolor capitis uel adeſt, uel aderit. tales urinæ (ut ſcribit Gal.) fiunt materia craſſa, ac denſa à calore agitata. & cũ adſit ſpiritus flatuoſus una cum calore promptè fertur ad caput. nonnullæ urinæ diu manent perturbatæ: nonnullę citò ſedimen craſſum habent: & citò morbum ſolutum iri ſignificant. quæ uerò non reſident, ſi uires affuerint, lõgum fore morbum oſtendunt: ſin imbecillitas adſit ęgri mortem prænunciant.

4. Aph. 70

Vrina alba, & tenuis in febribus acutis, & in tempore criſis ſignificat per mutationem materiæ ad caput, eiuſq; dolorem futurum.

Dolor capitis poſt febres acutas perſeuerans oſtendit naturæ imbecillitatem in expellendo materiam morboſam : hinc itaque alia inſequetur ægritudo, ſicuti phreneſis, uel lethargus, uel apoplexia, uel paralyſis, uel mania, uel ſurditas, uel cæcitas ſecundum quod materia uel calida, uel frigida, uel ſimplex, uel compoſita fuerit: & ſecundum quòd ad hanc, uel illam partem inclinabit.

Dolor capitis, poſt quem ſequitur conuulſio, apoſtema,

ma, febris, oculorum eductio, aut nimia ſubuerſio peſſimus, & mortalis eſt.

Dolor capitis auferens cibi appetentiam, & ſomnum, lethalis eſt. Si dolor capitis in febre acuta ab ægro non percipitur malum: nam iſte, ut ſcripſit Hipp. mente non conſtat.

Cura.

Qui dolorẽ capitis curaturus eſt, aerẽ eligat ſerenũ, liberũ, procul à ſtrepitu, & à uaporibus, exhalationibuſq; fœtidis maleq; olentibus. Cibus ſit paucus in quantitate, & facilis concoctionis, optimiq; nutrimenti: præcedant cibi lubricantes, ſuccedant compreſsiui & aſtringentes, & præſertim in fine menſæ, ut ſunt pyra, & cotonea. Caueat à cibis uaporoſis, à carne, à piſcibus, à lacte, nam (ut teſtatur Hip.) lac febricitantibus, & caput dolentibus inimicũ. potus ſit aqua ex ſaccharo, uel mulſa: quòd ſi nauſeabundus à ſimili potu abhorreret, bibat uinum album pauciferum. Et quia in huiuſmodi dolore uentriculus ſympathiam habet cum cerebro, indeq; debilitatur: neq; perfectam concoctionem celebrare poteſt: optimum fuerit uictum attenuare, & eo magis ſi cum materia pituitoſa, uel melancholica talis coniunctus infeſtabit: nam in materia bilioſa ſecus quandoq; obſeruandum eſt. fugienda igitur repletio cibi, & potus: pariter fugienda fames, ieiunium, & ſitis. exerceatur ante cibum per horam: poſt cibum per duas, uel tres horas: ante cibum uehementius, poſt cibum remiſsiuus. quòd ſi alio modo exerceri nõ poteſt, frictiones crurum (trahunt enim à capite) uicem exercitij ſubeant. Confert etiam ad hanc intentionem abluere pedes aqua calida. Somnus ſit prolixus, & prolixior quando dolor capitis eſt cum materia, quæ per reuocationem caloris ad interiora melius concoquitur. Caput in ſomno non multum eleuatum teneatur, præſertim ſi à partibus inferioribus uapores aſcendant. Secus autem ſi fuerit in capite repletio, & nullus timor ſit de uaporũ aſcenſu. In quauis ſpecie doloris capitis aluus lubrica confert (ſic enim uaporum aſcenſus prohibetur.) Caueat ab ira, furore, cogitationibus, & à cæteris animi accidentibus.

Cura

Cura per pharmaciam uaria eſt, ſecundum quòd ſpecies doloris uariæ ſunt: non enim caput ab una dolet diſpoſitione ſed à pluribus: ideò dicit Gal. quòd quicunq; citra diſtinctionẽ doloris capitis auxilia ſcripſerunt, maius detrimentum, quàm emolumentum ijs, qui eis fidem habuere, attulerunt. Variatur primò ob eſſentiã, uel cauſam ipſius doloris: inde ob modum temporis pro ut eſt vel chronicus, uel breuis. tertiò, ſecundum quòd eſt per ſe, uel per conſenſum: quartò, ſecundum quòd eſt in parte anteriori, uel poſteriori, intra uel extra craneum. quintò, ſecundum quòd eſt intenſus, uel remiſſus. ſextò, ſecundum uaria accidẽtia, uel ęgritudines, quibus coniũgitur.

De comp. medic. per loc. 2.

Cura per chyrurgiam generaliter omni dolori capitis non conuenit, ſed alicui ſolummodo particulariter: ut in deſcriptis curis particularibus uidere licet.

Sunt nonnulla, quæ conferunt dolori capitis à proprietate, ſicuti radix plantaginis collo ſuſpenſa. Confert etiã coronare caput uerbena, aut ramis corni arboris.

Sunt etiam nonnulla aromata, quæ, quamuis ſua caliditate caput exiccare dicantur, in eo tamen dolorem excitare ſolent: vt caſsia lignea, coſtus, ſquinanthum, crocus, ſuccus abſynthij, uitex, polium, ſtyrax, eruca per ſe comeſta: item auellanæ, caſtaneæ, nuces, porrum, cepa.

De Dolore capitis ex intemperie calida.

Cap. VIII.

INtemperies calida quandoque eſt naturalis, & eſſentialis ipſius capitis: quandoq; accidentalis, & aduentitia: naturalis contrahitur à primo ſemine, & fit quia fortaſſe ipſi parẽtes hoc ſymptoma patiebãtur: uel quia in actu gñandi malè erãt affecti. accidẽtalis aũt fit à cã ꝓcatarctica, ut à ſolis ardore, à motu immodico, à balneo, à potu uini, ab ebrietate, à cibis uaporoſis, à crapula, ab ira, furore, à calidis odoramentis.

Cauſa.

Signa.

Naturalis cognoſcitur, nam quamuis aliqualiter, remedijs adhibitis, leniatur, nunquam tamen perfectè curari poteſt, nã ſemper aliqua portio huius mali relinquitur.

Accidentalis autem cognoſcitur, ex cognitione cauſarum, quæ præceſſerunt: & cauſæ cognoſcuntur ex relatione ipſius ęgri, & aſtantium. Accidentalis aliquando ex malo regimine, & ex cura incõueniẽti poteſt fieri eſsẽtialis.

Cura.

Ne igitur hoc fiat, tua intentio in curatione ſit infrigidatio. fugiat in primis aerem calidum, uaporibus plenũ, & nulla parte perflatum : eligatur qui ſit natura frigidus, aut qui arte talis parari poſsit, frondibus, & floribus per thalami pauimentum ſparſis, aut aqua frigida ex alto in ſubiecta uaſa cadente. Cibus ſit frigidus, vel ſaltem ad frigidũ uergens: cõuenit lactuca, portulaca, cucurbita, ptiſana hordei, oua ſorbilia, panis ex aqua, pulli gallinacei, auiculæ cũ omphacio cõditæ, piſces ſaxatiles, & huiuſmodi.

Potus ſit aqua hordei, aut aqua in qua parum cinnamomi ſit decoctum: quòd ſi à tali potu abhorreret, bibat uinum album, aquoſum, & optimè lymphatũ. parũ uigilet: ſomno utatur prolixo. ab exercitatione, à frictionibus, & ablutionibus capitis, à motu nimio, à coitu, ab ira, triſtitia, à malis animi accidentibus abſtineat, ſuperfluitatum procuret expulſionem.

Ad ea, quæ extra adhibentur deueniendũ: inter quæ nihil prę́ſtantius oleo roſato, non ueteri, ſed recenti unius anni: nã quod antiquũ eſt acuitatẽ quãdã induit: funditur ſupra uerticẽ capitis. ad hanc intentionẽ facit etiã oleum uiolatum, de nymphea, de ſalicibus: ſint hæc olea actu frigida: infrigidantur in niue, cuius ſi copia non datur, ponatur uas in aqua fontis, uel ſuſpendatur in puteo, ita ut ab aqua parum diſtet. & ut oleum maiorem habeat penetrationem admiſce aceti par pondus, uel duas partes, uel, ut leniter infrigidet quartã partem. acetum non multũ acutum eſſe debet: tale enim nõ eſt abſq; aliquali caliditate. ſi uerò uehementiori refrigeratione opus erit, ſemperui-

ui, aut

ui, aut lactucę, aut portulacæ, psillij, aut solani, aut omphacij succum adijcies: caue autem à succo mandragoræ, & papaueris, quantum potes, nā stupefacit. Caue pariter ab eo medicamento, quòd ultra infrigidationem notabiliter astringit: usu tamē exigente, quòd minus astringit eligito: huiusmodi est succus myrti, cotonei, mespili, malipunici. Interim sciendū est, quòd sunt quædā capita: quibus modica sufficit īfrigidatio ut senū, mulierū, eunuchorū, puerorū, & eorū qui molli carne prędīti sunt, albumq; obtinēt colorē: in ijs oleo chamæmelino uti tutius fuerit: nā à nimium frigidis lythargiā, uel paralysim, uel coryzā, uel aliquā catarrhi speciē vel oculorum, uel auriū ægritudines facilè incurrunt. Medicamenta igitur capiti applicanda hoc modo parabis,

R. olei ros. ℥. ij. aquæ ros. ℥. j. aceti ℥. s. misce, & diu agitentur, infrigidēturque, ut supra dictum est, magis, & minus pro ut expediens uidebitur. Aliud magis frigidum.

R. succi semperuiui, lactucæ, solani, an. ℥. j. olei ros. ℥. ij. aceti ℥. s. Aliud non ita frigidū pro pueris, mulieribus, & molli carne præditis.

R. olei chamæmelini ℥. j. s. aceti ℥. j. aquæ ros. ℥. s. misce, & in ijs uitta madefacta reiteratis uicibus apponatur super cōmissuram coronalem. Caue tamen ne huiusmodi infrigidantia medicamenta occiput tangant: illa. n. pars multū à frigidis læditur: est. n. principium spinalis medullæ. neque ab instituto nostro alienum est emplastrum ex folijs salicis, & capreolis vitis cū pauco aceto.

Gal. de cō posi. med. per loc. 2. cap. 1.

Item ad intensam caliditatem folia mandragoræ contusa cum farina hordei & aceto. Itē hęc embrocatio, ut

R. florum nymphex, seu nenufaris, cucurbitæ, uiolarū, rosarum, capitum papaueris an. m. j. coquantur in aqua: & ex ea tepida fiat embrocatio, postea caput absterge, & inunge cum aliquo ex prædictis oleis.

Item ualet hæc inunctio.

R. mucillaginis, seu cremoris psillij, seminum cotoneorum, seminum maluæ, succi portulacæ, semperuiui an. ℥. j. olei nenufarini ℥. iij. ceræ albæ ʒ. ij. bulliant ad succorum

consumptionem, & inunge. poteris etiam parare caputpurgium, ex oleo ros. cum lacte: vel ex oleo uiolaceo cũ pauca caphura. Interius autem assumantur electuaria, syrupi, zulapia, potiones, condita, aliaq; ad refrigerationem facientia.

De Dolore capitis ex intemperie frigida.

Cap. IX.

Frigida intemperies, pariter ut calida, quandoq; naturalis, & essentialis est: quandoq; accidentalis: naturalis fit à primo semine, sicut & cæteri morbi naturales. Accidentalis causatur ab ambiente nos aere frigido, potissimum ubi quis nudato capite in eo diutius moretur, & ab improuida frigidorum omnium siue interius, siue exterius admotione.

Causa.

Signa.

Porrò signa doloris capitis à frigiditate sunt primum quia facies ipsius ęgri non apparet contracta, neque arefacta, sed colorem; decoremq; amisit: deinde neque frigidis gaudet, neque ab eis iuuatur: tertiò oculi non rubent ue nulis eminentibus, sed pallore quodam deformantur.

Cura per rationem uictus.

Qui sic dolet fugiat aerem frigidum, & moretur in calido. Circa uictum ita se gerat, ut ab omnibus cibis, qui refrigerare possint, abstineat: & eius cibi minorentur, nam calor innatus à frigore debilitatus parum concoctioni indulgere potest. In potu vtatur uino odorifero, & subtili, moderatè, & ut Auic. placuit, quandoque cum seminibus calidis confecto. Motus omnis corporeus, per quem calor excitari possit confert. pariter balnea calida prosunt, somnus sit mediocris, & quantũ ad bonam concoctionem celebrandam sufficere possit: uigilia sit prolixior. à nimio coitu tanquam, à re perniciosissima abstineat. tristitiã, solitudines, intẽsas cogitationes, cæterosq; animi malos affectus fugiat.

Cura

Cura per pharmaciam.

Circa ipſam curam in primis ſolutio uentris procuranda: ſaltem cum clyſtere ut calor, & uirtus ſopita excitetur: inde ad vnguenta, emplaſtra, epithemata, embrocationes, ſuffumigia, caputpurgia, & ad ea: quæ in ore retinentur, deueniendum. vnctiones fiant ex oleo nardino, aut irino, aut laurino, aut de been, aut rutaceo, aut ex oleo, in quo pulegium ſit decoctum, aut hoc unguento.

R. olei rutacei, nardini an. ℥.v. pulegij, amaraci, cinnamomi, caryophyllorum an. ʒ.s. ceræ q.ſ. fiat unguentũ: ad cuius exẽplum multa alia per te formare poteris, magis, uel minus calida, pro ut affectus magis, uel minus intenſus fuerit. Emplaſtra ſint vt

R. meliloti, ſeminis anethi, florum chamæmeli, rutæ ſiccæ, amaraci ſiccæ an. ℥.s. miſce cũ ſucco mentæ, uel balſaminæ, & ponatur ſupra caput. vel

R. coſti, myrrhę, caſtorei, ſpicæ an. partes æqu. terantur, & conficiãtur cũ oleo roſ. uel liliaceo, vel alio, ſi placet, calidiori: fiat linimentũ. ad hanc intentionem thyriaca, vel mithridato, cum ſucco mentæ uti poteris. Epithema ſit vt

R. euphorbij, ſpumæ nitri, uel nitri, ſalis an. ℥.j.s. terantur omnia, & cum aqua amaraci miſceantur: in qua lineus pãnus poſtea madefiat, & calidus capiti apponatur. Aliud

R. uini ſublimati tribus uicibus (aquam uitis appellãt) lib. j. caryophyllorum, galangæ, nucis moſcatæ an. ℥.j. ferueant, & cum panno in eis madefacto fiat epithema. Aliud expertum.

R. aceti lib j. cineris ℥.iij. olei optimi ℥. iiij. bulliant ſimul, & epithema fiat ut ſupra. Embrocationes ſint ex decocto rerum calidarum, ut florum chamæmeli, anethi, amaraci, rutæ, foliorum lauri, & ſimilium ut

R. foliorum lauri, abrotani, ſiſymbrij, betonicæ, rutę, roſarum an. m. j. ligni aloes puluerizati ℥. j. uini quod ſatis ſit, coquantur omnia, & fumus ab ijs eleuatus per os, & nares excipiatur: eſt enim optimum ſuffumigium, cum eodem decocto embrocationes fieri poſſunt. Caputpur-

 gium

gium laudatum est succus amaraci cum mumia'. vel

R. melanthij, id est nigellæ maceratæ in aceto per duos dies, postea exiceatæ, & puluerizatæ q.s. & naribus excipiatur.

In huiusmodi affectu prosunt sacculi herbarum odoratarum pleni, & applicati, vt

R. serpylli, mentæ, stœchadis, pulegij, calaminthæ, florum rosarum, rosmarini an. m.j. caryophyllorum, nucis moscatæ an. ʒ. ij. trita omnia in sacculo ponantur sericino, uel lineo tenui: postea sacculus acceto parum irrigatus, & calefactus capiti admoueatur. vel

R. calaminthæ, pulegij, stœchadis, caryophyllorum, foliorum, & baccarum lauri an. ℥. s. siccata omnia, & trita includantur sacculo: qui calefiat fumo thuris, & cinnamomi dum super prunas comburuntur: & huiusmodi sacculo calefacto caput foueatur. non minus fortasse iuuabit usus orbiculi, seu pomi odoriferi hoc pacto confecti.

R. styracis calamitę ʒ. ij. caryophyllorum, maceris, ligni aloes, an. ʒ. s. lauandulæ ʒ. ij. galliæ moscatæ ʒ. j. s. moschi, ambari utriusque g. iij. tritis, & cribratis cum succo amaraci, & stacte, id est styrace liquido (ut dicunt) fingatur pomum odoratum. His non sufficientibus ad rubificantia deuenies, semper à leuioribus incipiendo, nam in eis sunt gradus intensiores, & remissiores. ex rubificantibus sunt sinapis, stercus columbinum, ruta siluestris, euphorbium, spuma nitri, seu nitrum, piper, pyrethrum, costus, & similia: ex quibus linimentum componere poteris, ut

R. fimi columbini ʒ. ij. s. piperis albi ʒ. ij. castorei ʒ. s. croci ʒ. j. confice cum aceto, succo absynthij, & oleo nardino. Aliud fortius.

R. fimi columbini, euphorbij, piperis an. partes ęquales terantur cum aceto, & caput illinatur.

Interius theriaca, diahyssopus, mithridatum assumptum confert.

De Dolore capitis ex intemperie sicca, aut humida. Cap. x.

QVamuis siccitas, humiditasq; per se nisi calori, aut frigori coniungantur (ut supra dictum est) dolorem excitare non possint. nulla enim res nisi occursu uehementi, & repentino dolorem facit: repentè autem uim inferre nequaquam consueuere humiditas, & siccitas cum sint qualitates passiuæ. attamen seorsum de dolore ab huiusmodi qualitatibus mentionē facere libuit, vt tyrones medicamentorum copiam haberent, si quando talis dolor si non per se, saltem accidentaliter causaretur.

Causa.

Causari solet, qui est à siccitate, ab ambiente nimis exiccante, à cibis, & medicamentis siccantibus, à fame, ab exercitio, à coitu, ab animi perturbatione. Qui autem est ab humiditate, ab aere humido, a balneis aquæ dulcis, a multis cibis humidis, a medicamentis humectantibus.

Signa.

Cognoscitur quando est ab intemperie sicca, quia oculi apparent concaui, nihil humidi emungitur a naribus, adest uigilia, & somno locus non datur.

Cognoscitur quando est ab intemperie humida: nam multitudo excrementorum emanat ab oculis, a naribus, & sopor incompessibilis concomitatur præsertim si cum humiditate coniungitur frigiditas.

Cura.

Qui a ficcitate dolent aerem habitent humidũ uescantur cibis humectantibus, quiescant, dormiãt, genio indulgeant, abstineant a fame, a coitu, a nimia exercitatione, & a se curas, & cogitationes expellant.

Quòd si propter humiditatem dolor infestat contrariã uictus rationē adhibere conuenit, nimirũ exiccantē: quã quisq; ex ijs, quę ĩ superioribus dicta sunt, & ẽt alibi dice

mus, facilè cognoſcet. nunc autem ſciendum omnes autores in hoc conuenire, uidelicet, quòd ipſa ratio uictus quinque conditiones habere debet: quarum prima eſt ut cibi ſint lenitiui, & nequaquam aſtringentes, & præſertim in dolore materiali: Auic. inquit oportet ut lenificatio naturæ uniuerſaliter perſeueret. ſecunda conditio vt cibi ſint medicinales oppoſiti in qualitatibus ſuis diſcraſiæ dolorem facienti: unde Auic. in dolore capitis à ſanguine dixit oportet quòd æger nutriatur cibis generantibus ſanguinem frigidum declinantem ad ſiccitatem, & craſsitiem. tertia conditio, ut cibi ſint boni ſucci, & facilis concoctionis. quarta ut ſint minus uaporoſi, & flatuoſi, quàm fieri poſsit. quinta ut ſint in pauca quantitate, & præſertim in dolore capitis à ſanguine, & pituita, ne fiat repletio. Ex ijs, quæ extrinſecè adhibita in dolore capitis à ſiccitate iuuant, ſunt caputpurgia cum oleo amigdalarũ, cum oleo de cucurbita, cũ oleo uiolaceo: quibus caputpurgijs utimur non ut euacuemus, ſed ut humectemus: & quandoque ut euacuemus ſi aliqua materia eſſet ad intra nares exiccata, quæ deinde humectata facilius extrahitur. Item inunctio ſincipitis cum prædictis oleis, quibus optimo ſucceſſu, pinguedines admiſcentur hoc pacto.

℞. olei uiolacei, de nymphea an. ℥. iij. pinguedinis uitulinæ, gallinæ, butyri recentis an. ℥. ij. miſceantur, & fiat linimentum. quibus non ſufficientibus recurrendum ad ea, quæ ab autoribus pro cura febris hecticæ ſcripta ſunt: & quandoque (magna urgente neceſsitate.) Ad ipſa narcotica.

In dolore capitis ab humiditate contraria curandi ratio adhibenda: quæ etiam uariabitur pro ut frigus, uel calor humiditati coniunctus fuerit.

De

De dolore capitis à sanguine. Cap. XI.

TAmetsi sanguis purus in homine non reperiatur, sed alijs cōmistus humoribus (ut bene Gal. in lib. de plenitudine testatum reliquit) attamen quando sui copia reliquos superat uocatur a prædominio sanguis, non autem bilis, neque pituita, neq; atrabilis, augentur omnes humores in uenis una cum sanguine seruata proportione unicuiq; conuenienti, ita ut primum sanguis in quantitate præcellat, deinde pituita, tertiò bilis, quartò atrabilis. & huiusmodi auctio modum in quantitate excedens uocatur græcè πληϑώρα. & fit à cibis boni succi copiosè assumptis, à potu uini meracioris, à balneis post cibum, à neglectu exercitij, sudoris, & aliarum rerum per quæ euacuatio, & naturalis, & artificialis fieri possit. à tali plenitudine, seu sanguinis redundantia dolor capitis multoties causari solet.

Signa ex Rasi. 9. Alman.

Cuius signa sunt primum quòd dolor est grauatiuus, rubedo adest in facie, tensio, grauitas, caliditas sensata, & ab ægrotante, & à Medico, pulsus magnus, urina apparet rubea, & spissa.

Curam ordiri poteris à debita sex rerum non naturalium administratione: eligatur itaque aer moderatè frigidus, temperatus in passiuis parum declinans ad siccitatē, immunis a uentis, & uaporibus malis: sit eius frigiditas magis, & minus, prout ægritudo, cui opponi debet, magis, & minus requirit. quòd si æger ad lethargum procliuis esset, aer procuretur luminosus: si verò ad uigilias, procuretur obscurus, in loco abdito, & procul ab hominum frequentia. Cibus sit potentia frigidus, uergens ad siccitatē, facilis cōcoctionis, non uaporosus, sed boni, et pauci nutrimēti. in hac specie doloris cōuenit ex olerib. lactuca, endiuia, portulaca, atriplex, spinacia, miliū, panis lotus, ptisana hordeacea, fercula cum omphacio condita.

abſtineat à carne, & ouis, quouſq; fuerit morbi declinatio: quo tempore conceduntur pulli parui cum omphacio, uel ſucco mali punici uel cum ſucco limonis. In fine menſæ fructus aſtringentes, & euaporationem à uentriculo prohibentes conceduntur, ut ſunt cotonia, & pyra cocta, & coriandrum ſaccharo incruſtatum, uel ſine ſaccharo. potus ſit aqua cocta ſimplex, uel cum ſaccharo, uel cũ ſucco mali punici. Vinum non conuenit, niſi in declinatione, & tũc etiam oportet, quòd ſit pauciferum, album, & optimè lymphatum. quieſcat caput, & eleuatum ſupra ceruical maneat: neq; operiatur, ne humores, & uapores ab inferioribus ad ſuperiora repant. Membra inferiora exerceantur frictionibus, loturis cũ aqua calida, quæ poſt uniuerſalem euacuationem fieri debent: & nulla exiſtente febre, ſaltem uehementi.

Circa inanitionem generaliter in omni capitis mala diſpoſitione aluus lubrica eſſe debet, ut facilius materiæ cõmunes educi poſsint, quæ ſuis uaporibus officiunt: & ut uiæ ſint apertæ, per quas natura poſsit ſuperfluitates expurgare. pariter euacuatio per urinam eſt paranda cum ſeminibus communibus, & cum alijs urinam prouocantibus.

Vomitus in dolore capitis non conuenit, niſi dolor ſit per conſenſum à uentriculo.

Coitus ut plurimum nocet, attamen aliquando confert, preſertim ijs, qui ueneri ſunt aſſueti, & qui ob ſpermatis retentionem dolent.

Somnus prolixus magis laudatur in dolore capitis à bile quam à ſanguine, & pituita. Caueat ab ira, furore, & à cæteris animi malis accidentibus.

Ad euacuationem poſtea deueniendum, quæ duplex eſſe poteſt, ſcilicet per phlebotomiam, & per pharmaciã. phlebotomia non ſemper admittitur, ſed quãdoq;, & nõnullis ſeruatis conditionibus: primo quòd uẽtriculus cruditate non laboret, & inteſtina non ſint fœcibus repleta, nam eo caſu cum clyſtere, aut cum aliquo lenitiuo materiæ communes prius educi debent. Secundò quòd dolor

lor non sit nimis intẽsus adeò quòd curam præuertet: nã tunc à doloris mitigatione incipiendum, iuxta Auic. monita dicentis cumq; ad diuersum trahere uolueris, dolorem illius membri prius seda. quomodo dolor mitigari possit habes supra de cura doloris in generali. Tertio quod uires, & ætas consentiant. Si igitur fuerit magna sanguinis plenitudo, & sit in fluxu ad caput: aut adsit mensium, aut hæmorrhoidarum suppressio, ex saphenis prius fienda phlebotomia: inde si caliditas, & dolor perseuerauerit, ex uena communi, uel cephalica eiusdem lateris. insuper si dolor occiput magis infestauerit ex uena frontis, aut eius uice sanguis ex naribus prouocetur cum hyrudinibus, uel alio ingenio. Si uerò dolor fuerit magis in parte anteriori fiat phlebotomia ex uenis post aures, uel ex uenis nuchæ, uel ibi cucurbitulæ applicẽtur. quòd si ætas, uel aliquid aliud phlebotomiam non admittat: per hyrudines talem euacuationem molliri poteris.

Quarta primi.

Sunt uenæ ex utraq; parte gutturis uersus collum; quæ ab Arabibus guidezi dicuntur: ex quibus si fiat phlebotomia in morbis extremis, ut in apoplexia sanguinea, in apostemate sanguineo præsentaneum creditur remedium. At si sanguinis fuerit multitudo, nõ tamen in fluxu ad caput, phlebotomabis ex uena communi eiusdem, uel oppositi lateris, secundum quod maior, aut minor procuratur diuersio. post phlebotomiam diuersiones cum ligaturis, frictionibus, ablutionibus præsertim partium extremarum, cucurbitulis, scarificationibus subsequi debẽt, & fieri incipiẽdo à partibus propinquis, & descẽdẽdo ad remotas.

Euacuatio per pharmaciam fit hoc pacto.

R. prunorum num. x. tamarindorum ℥. j. myrobalanorũ ℥. j. s. bulliant tamarindi, & pruna in lib. una aquæ ad consumptionem medietatis, & colentur, & in iure colato myrobalani satis tenuiter contusi per spatium unius noctis infundãtur: mane autem, forti facta expressione, tale ius saccharo dulcoretur, & celebrata præcedentis cibi concoctione, exhibeatur. Quòd si maiorem attendis lenitionem, remotis myrobalanis, uncia una mannæ, aut plus, aut

minus,

minus, pro ut necesse fuerit, in eodem iure dissoluatur, & propinetur. uel

R. cassiæ recentis extractæ ℥.j Rhabar. puluer. Elect. de succo ros. añ. ʒ.j. his admistis, fiat bolus, & ut supra exhibeatur. & quamuis tales medicinæ sint solutiuæ, in principio tamen absq; ulla præparatione exhiberi possunt, nã sãguini nulla debetur præparatio, ut est apud Auic. prima quarti tract. 2. c. de cura putridarũ in generali: & quãuis non euacuent sanguinem, euacuãt tamen bilem, in cuius naturam migrat sanguis ebulliens: præterea mundificãt intestina à fœcibus, à quibus mali uapores eleuantur. purgato, corpore, ad localia tutò uenire poteris, inter quæ oxirodinum principatũ obtinet: abradatur itaq; caput, & super commissuram coronalem fundantur oleum ros. aqua ros. & acetum simul agitata, & in niue infrigidata: quòd si niuis copia non daretur, prius ad ignem tepefiãt, postea dimittantur per funẽ in puteum, ut supra in dolore capitis ex intemperie calida dictum est, nam frigiditas aquæ penetrabit medicamenti partes rarefactas. Quòd si maiorem queris frigiditatem, admisce succum semperuiui, solatri, & si opus fuerit mandragoram, hyosciamum, cicutam, opium: attamen, quantum potes ab ipsis abstine opiatis. Ad idem ualet vng. infrigidans Gal. conquassatum cum aceto, uel succo solatri, uel plantaginis, supra quod postea ponãtur folia uitis, uel salicis, nam mira pręstat. Item vng. populeon. item huiusmodi embrocatio.

R. florum violarum, ros, foliorum salicis, nympheæ, maluarum añ. m. j. coquantur in aqua, & ex alto supra caput fundantur. uel

R. hordei mundi, seminis cucurbitæ, altheæ, lactucæ, portulacæ, capita papaueris, florum ros. uiolarum an. q. s. coquantur, & fiat ut supra. Quòd si aliqualem queris resolutionem, melilotum, & chamæmelum addere poteris. Ad idem ualet hujusmodi suffumigium.

R. sandalorum citrinorum, rosarum, florum nympheæ añ. ʒ. j. caphuræ ℈. j. spice ℈ s. ponãtur in uase strictì orificij cum aqua ros. bulliant & fumus ab orificio emanans

excipiatur ore, & naribus.

Aliud magis resolutiuum.

R. sandalorum, ligni aloes, ros. an. ℥.ij florum chamæmeli ℥.iij. aquæ ros. q. s. fiat ut supra. Ad idem ualet hoc caputpurgium.

R. olei violati, rosati, nymphææ, caphuræ ana parum misce, & naribus instillentur.

Notandum tamen quòd prædicta localia frigida non debent poni super partem posteriorem capitis, nam ibi est origo spinalis medullæ, pariterq; neruorum, qui à frigido multum læduntur.

De Dolore capitis à bile. *Cap.* XII.

Bilis redundantia (talis enim humor cum ex sui natura sit leuis facilè sursum repit) dolorem capitis intensissimum sæpe excitare solet. hic dolor cognoscitur, primò quia est mordicatiuus; pulsus est uelox, humoris nanque nimia caliditas inducit necessitatem euentationis in ipso corde: pallor faciem occupat: oris amaritudo, linguæ, narium, & oculorum adest siccitas. Cognoscitur etiam quia æger est temperaturæ calidioris, iuuenilis ætatis, pernix in negotijs peragēdis, labori, uigilijsq; deditus: uictus item qui præcessit, fuit humoris biliosi aggregatiuus.

Causa.

Signa.

Cura.

Circa curam ęger degat in aere frigido, & humido, qui etiā arte talis parari potest irrorando thalami pauimētū aqua frigida, & sternendo flores, & folia uiridia. uescatur cibis frigidis, & humidis. potus sit aqua, in qua parum cinnamomi sit decoctum: aut aqua hordei. à uino penitus abstineat. Quiete vtatur, & somno longiori. balneū ex aqua dulci tepida, vnctionesq; conferūt, oēs fugiat animi ꝑturbationes, & curas. Ad humoris biliosi euacuationē postea ueniendum, qui si fuerit sanguini permistus, aut cum sanguine educibilis, à phlebotomia incipies: sin autem non

per-

permiſtus, nec commodè cum ſanguine educibilis, uacuatio per pharmaciam ſatisfaciet. (niſi periculũ adſit de apoſtemate, nam tunc gratia diuerſionis etiã à phlebotomia incipere debes) prius præparato, & concocto aliqualiter humore: appello bilem concoctam non incraſſatam, neq; ita redditam, ut corpus nutrire poſsit, ſicuti cibus: nã talis concoctio in excrementis non expectatur: ſed uniuerſaliore ſignificato bilem coctam dicimus quando à natura deuicta eſt, & permutata, ita ut minori negotio per loca conuenientia euacuari poſsit. Cognoſcitur quando eſt cruda, quia flaua admodum, & acris, & malè olens: cocta autem quia pallidior, & minimum malè olens: ut grauiſsimè teſtatur Gal. medicamenta, quæ bilioſos humores concoquere ac alterare ualent ſunt, ut ſyrup. violaceus, de endiuia, de portulaca, de nymphea, de papauere, oxiſaccharum, ſyrup. de ſucco mali punici, limonis, citri, cum decoctis, vel aquis ſtillatitijs ex ſeminibus cucurbitæ, cucumeris, portulacæ, cichorij, nympheæ, uiolarum. vel

De vict. i acut. cõ. 2. tex. 44.

R. ſeminum communium frigidorum ℥.j. florum uiolarum, roſarum, nympheæ an. ℥.s. endiuiæ, cichorij, lactucæ an. m.j. capitum papaueris ʒ.iij. ſucci mali punici, ſeu uini mali granati ℥.iiij. bulliant omnia in lib. 4. aquæ ad conſumptionem medietatis: hinc cum expreſsione colentur, & iuri colato addatur ſacchari albiſsimi lib. s. quòd iterũ bulliat, ſed parum, & in aurora per quatuor uices ad pondus quinque, vel ſex vnciarum pro qualibet vice ęgro propinabis. Cæterum uacuatur humor bilioſus per abſynthij dilutum, vel aloen, vel hyeram picram per ſe, vel cum diacrydio: aut pilulis, quæ ex aloe conſtant, aut pilulis aſaieret, dempta maſtiche, aut pilulis aureis, aut diapruno ſolut. aut elect. de ſucco roſ. aut elect. de pſillio, aut Rhabar. diluto: vt

R. Rhabar. electi ʒ.iij. ſpicæ ℈.s. contundantur craſſo modo inde infundantur per duodecim horas in quatuor vncijs decocti endiuiæ, cichorij, bugloſſæ, lupulorum, hinc ualida facta expreſsione iuri colato addatur electuarij de ſucco roſ. de pſillio an. ʒ. j. s. & in aurora propinetur.

vel

vel pro delicatis.

R. facchari uiolati ℥.s. cinnamomi, maceris, masticheſ, an. g. iij. diacrydij. ℈. s. misce, & fiat bolus. Ipſa quoque clyſteria refrigerantia non parum iuuare ſolent ſub hac forma, vt

R. maluarum, altheę, violarũ an. m. j. hordei ℥. j. quatuor ſeminum frigidorum communium an. ʒ. iij. coquantur in aqua pluuiali, uel fontis ad tertiæ partis conſumptionem: poſtea accipe iuris decocti lib. j. caſsiæ fiſtularis, hyeræ picræ an. ℥. s. olei violati ℥. iij. mellis violati ℥. j. ſalis communis ʒ. j s. cõmiſtis omnibus fiat enema. poſt euacuationẽ, perſeuerãte dolore, capiti adhibeantur, quæ refrigerandi vim habent, vt eſt oleũ violatum, de cucurbita, de floribus ſalicis, nympheæ, & ſimilia, quæ ſupra ſcripſimus in cura doloris capitis à ſanguine. Poteſt etiam formari pomum odorandum cum huiuſmodi ingredientibus, vt

R. florum roſ. violarum, nympheæ, foliorum ſalicis an. ʒ. ij. caphuræ ℈. s. puluerizentur, & cum tragacantha, aut gummi arabico fiat pomum. Balneum aquæ dulcis tepidæ multis in hoc affectu præſentaneum fuit remediũ. Denique ſi per commemorata remedia dolor non cedit, ad narcotica confugies: inter quæ laudatur requies Nicolai: item trigonus paſtillus, qui recipit ſeminis alterci ſeu hyoſcyami, apij ſingulorum. ʒ. ij. aniſi ℥. s. opij ʒ. iij. teruntur omnia, & cum aqua roſ. paſtillus formatur, quo ſincipput iuxta commiſſuram coronalem illinatur. vel

Paulus li. 7. cap. 12.

R. caphuræ, opij an. g. ij. diſſoluantur in oleo de ſalicibus calido, & mittantur in aures, & nares in pauca tamen quantitate, & breui interpoſito tempore auferantur, ne putreſcant, & organum auditus lædant: quibus ablatis nocumẽtum (ſi quod relictum eſſet) corriges cum caſtoreo, cinnamomo, croco, omnibus in oleo chamæmeli contuſis, & adhibitis: uel cum theriaca antiqua, uel aliquo uino generoſo, & potenti.

Raſis 9. ad Alman.

De

De Dolore capitis à pituita. Cap. XIII.

DIctum à nobis in ſuperioribus ex ſententia Gal nullum dolorem à ſimplici humiditate cauſari poſſe: ideò quamuis pituita omnium humorum humidiſsima ſit, non propter humiditatem, ſed propter ſui multitudinem continuũ ſoluentem dolores excitare ſolet.

Signa.

Signa autem doloris capitis à pituita ſunt quia dolor eſt grauatiuus, & magis in occipitio ſentitur præſertim horis, in quibus pituita dominari ſolet, à tertia ſcilicet hora noctis uſque ad nonam: & ſomnus eſt longus, & profundus, & ſomniant res albas, flumina, lacus, & pluuias. facies eſt alba, oculi ſubtumidi. ſenſuum hebetudo, & ſtupor quidam. ſputaminibus, & ſaliua redundant. vrina pallida, & craſſa, pulſus lentus, tarduſque.

Si fuerit à pituita dulci ſputum erit album, mediocriter concoctum: aderit eructatio dulcis: cibi, & potus faſtidium.

Si fuerit à pituita ſalſa, aderit oris ſiccitas, & ſitis, proſtratio appetitus, nauſea, uomitus, & quibuſdam pruritus circa frontem. vrina flaua, uel ſubflaua.

Si fuerit à pituita acida cognoſcitur ab eructatione acida, ſeu acetoſitatem quandam redolente: à frigiditate regionem uentriculi infeſtante, ab eius tenſione, & grauitate: à flatu, & rugitu: ab urina pallida, & tenui.

Sin autem fuerit à pituita uitrea: ſputum apparet incõcoctum, inſipidum, album, ſpiſſum, globoſum, & pellucidum, formam uitri præſeferens: & dolor erit magis intenſus: deijcient fæces mucoſitatibus inuolutas: temperies erit pituitoſa, ſexus muliebris, tempus hyemale, regio frigida, & humida: & cætera huiuſmodi, per quæ pituita fouetur, incrementumq; ſuſcipit.

Cura.

Cura tres amplectitur intentiones: quarum prima uer ſatur

fatur circa debitam institutionem sex rerum non naturalium. secunda circa concoctionem, & euacuationem humoris dolorem causantis. tertia circa diuersionem, & circa ea, quæ exterius adhibentur.

Pro prima intentione perficienda, æger degat in aere calido, & sicco. cibi sint facilis concoctionis, & pauci excrementi, & cum aromatibus conditi. vino vtantur tenui. exercitium sit mediocre, & non vehemens, & præsertim ante purgationem cruda adhuc existēte materia. somnus sit potius breuis, quàm longus, & nocturnus, nam diurnus interdicitur. solicitè educat per regiones conuenientes ipsa corporis excrementa. vomitus, nisi in vētriculo pituita redundaret oĩno fugiendus. veneris nullus est vsus. Animi perturbationes, ut est mœstitia, intēsa cogitatio, uitare debet. Irascatur tamen aliquando, nam ex ira fit ebullitio quædam sanguinis, & calor excitatur.

Pro secunda intentione, humor pituitosus (nisi fuerit salsus) ferè semper ad hoc vt concoquatur, indiget attenuatione, & incisione: tale munus præstabit mel ros. oximel simplex, oximel compositum, oximel scylliticum: syrupus ex stœchade: decoctiones ex origano, hyssopo, amaraco, saluia, seseli, seu silere montano, folijs lauri, satureia, fœniculo, & huiusmodi alijs: quæ ad vsum ita parari debent videlicet.

R. Stœchadis, hyssopi, apij, betonicæ, saluiæ an. m. j. bulliant in aqua fontis, vel pluuiali ad sufficientem cocturã, hinc cũ expressione colentur, & iuris colati accipe ℥. iiij. syrupi ex hyssopo, ex stœchade, oximelitis scyllitici singulorum ℥. s. misce pro una vice, & sic pro alijs. vel

R. radicum fęniculi, petroselini, apij an. ℥. j. stœchadis, origani, satureæ, seseli, serpylli, amaraci, calaminthæ ana m. j. cinnamomi, maceris vtriusque ʒ. j. s. coquantur in aqua iustæ quantitatis ad medietatis consumptionem: inde ius coletur, & saccharo dulcoratum ad vsum seruabis: de quo singulo die in aurora dimidiam libram ægro propinabis. quod si dolor esset cũ catarrho associatus, debes cum prædictis intercoquendum admiscere ea, quæ ultra

 cali-

caliditatem habent ét uim aſtringendi, & fluxũ ſiſtẽdi vt

R. olibani, maſtiches, fructus cupreſsi, an. ℥. j. nucis moſchatæ ℥. s. ligni aloes ʒ. ij. cum mellis, & ſacchari ana lib. s. fiat ſyrupus ſecundum artem.

Cum autem humor præparatus, & cõcoctus fuerit, medicamentis poſtea conuenientibus uacuabitur. medicamenta conuenientia ſunt pilulæ cochiæ Rhaſis, recipiunt ſpecierum hyeræ picræ ʒ. v. colocynthidis ʒ. j. s. ſcammonij preparati ʒ j. turbith, ſtœchadis an. ʒ. ij. s. contundãtur tenuiſsime, & cum melle roſ. fiant pilulæ: doſis erit ʒ. j. itẽ medicamentum conueniens erit hyeralogodion, hyera compoſita Gal. pilulæ aggregatiuæ, diaturbith maius, hyera Pachij ex deſcriptione Nicolai.

Pro tertia intentione complenda dico, quòd ultra quatuor ſpecies diuerſionum, quæ communiter fieri ſolent, ſcilicet per frictiones, per ligaturas, per balneationes, per cucurbitulas habes clyſteria, caputpurgia, maſticatoria, & gargariſmata clyſteria ſint, ut

R. mercurialis, bliti, caulis, matrum violarum an. m. j. fiat decoctio, cuius decoctionis accipe lib j. caſsiæ, hyeræ picræ, ſacchari an. ℥. s olei communis ℥. iij. miſce pro clyſteri. Aliud validius.

R. centaureæ maluarum, hyſſopi, mercurialis, betæ an. m. j. agarici, colocynthidis, carthami an. ʒ. ij. ſalis gemmei ℥. s. bulliant in ſ. q. aquæ, & poſt debitam expreſsionem, accipe huius decocti lib. j. hyerælogodionis ℥. s. olei cõis ℥. iij. miſ & inijce. Sciẽdum tamen eſt, quòd colocynthis inteſtinorũ tunicis adhærere ſolet, ſæua inducẽs ſymptomata: dũ itaq; decoquitur in panno lineo maneat inuoluta, vt eius facultas, & virtus in decocto reſideat, non autem propria ſubſtantia. Quòd ſi æger clyſterium abhorreret: eius vice indantur ſuppoſitoria, ut

R. mellis ℥. j. ſalis gemmei ʒ. vj. ad ignem formetur peſſulus lõgitudinis digiti indicis, & ſupponatur: quẽ ſi validiorẽ facere cupis, accipe ſpecierũ hyeræ cõpoſitæ, hyerælogodionis, ellebori an. ʒ. j. mellis ℥. j. miſce ad ignem, ut ſupra, erit aut hoc quod ſequitur validiſsimum.

Recipit enim centaureæ, ellebori, stercoris muris, esulæ, seu tithymali, euphorbij, fellis tauri an. ʒ.s. diagrydij j. mellis q.s. formetur vt supra.

Secundus modus diuersionis propositus fit per caputpurgia quorum leue, & domesticũ est succus amaraci, fortius erit si ꝓ media parte addatur succus cyclamini, adhuc fortius si addatur aliquid euphorbij, aut castorei, aut ellebori, aut fellis alicuius. proprium caputpurgium est nigella, seu melãthiũ præparatũ, vt in cura doloris capitis ex intemperie frigida diximus: pariter oleũ ex cucumere asinino. quòd si aliqualis ardor intra nares induceretur, succurre cum attractione aquæ tepidæ simplicis, aut aquę violaceæ.

Tertius modus per masticatoria: quorum leue est mastix, fortius erit si addatur radix capparis: & iterum fortius fiet per additioné piperis pyrethri, aut sinapis. cauẽdũ tñ est, ne dẽtes lædantur, ideo à leuioribus incipiẽdũ.

Quartus modus fit per gargarismata cũ oximelite simplici, vel cõposito, cum melle scyllitico, cũ decoctione saluię, hyssopi, origani, sinapis, pyrethri. gargarismate tñ nõ vtatur, qui in pulmonibus patitur, aut dispositus sit ad talem passionem: vel cui materia acuta descendit à capite.

Naribus insup odoramẽta calida adhibere cõducit, quę ipsum cerebrũ calefacere, & exiccare valeãt, ꝓ exemplo.

R. ladani, ligni aloes, styracis calamitæ ana ʒ. j. caryophyllorum, nucis moschatę an. ʒ.s. moschi, ambræ an. g. ij. cum aqua ros. fiat pomum odorandum. multa alia ad hãc intentionem per te formare poteris. mulieribus tamẽ huiusmodi odoranda vt plurimum sunt vitanda: in quibus matrix facilè vertitur ad superiora. Exterius adhibẽtur embrocæ, vnctiones, linimenta, epithemata. Embroca conueniens est hæc

R. Abrotani, amaraci, chamæmeli, foliorum lauri, meliloti, sabinæ, stœchadis an. m. j. coquãtur, & ex decocto fiat stillicidium, seu embrocatio: & cum ijs herbis calidis possunt etiam fieri fomentationes, & epithemata.

Vnctiones sint ex oleo chamæmeli, rutaceo, laurino, de

ſpica, liliorum alborum, de amaraco: quod Meſue de ſam pſuco appellat: cōfert enim omnibus diſpoſitionibus frigidis, paralyſi, torturæ oris, laſsitudini: iniectum autem auribus ſedat tinnitus, & flatuoſitates, quæ in eis ſunt. Itē ſi magis calefacere intendis, accipe oleum de coſto, de piperibus, de caſtoreo, de euphorbio, de lateribus, & addes vt habeant penetrationem parum aceti: vel vt facias linimentum parum ceræ. quæ ſi nimis calida videbuntur admiſce vel oleum roſ. vel violatū: vel de nymphea, ſeparatim, vel omnia ſimul prout expediens videbitur.

Electuaria caput corroborātia: quæ in hoc affectu, & in cæteris frigidis paſsionibus exhiberi ſolent, ſunt aromaticum roſ. pliris arcoticon, diambra, diamargariton, confectio de gemmis, & huiuſmodi de quibus infra cap. de Apoplexia, & paralyſi.

De dolore capitis ab humore melancholico, ſecundū ordinem propoſitum vt agere debeam locus admonet: veruntamen cum hæc materia diffuſius in cap de Melancholia ſit pertractanda, ne bis idē repetatur, & ne ſim superuacaneus, ad ea, quę ibi dicentur pro cura huius affectus me remitto. hęc interim de dolore capitis primogenio, & primario, ſeu per propriā eſſentiā orto ſufficiāt. modo reliquū eſt, vt ad dolores capitis per cōſenſum accedamus.

De dolore capitis per conſenſum uentriculi. Cap. XIIII.

MAximam ſympathiam cum ore ventriculi per ſextum par neruorum caput habere ſolet: itaque affecto ventriculo, afficitur & ipſum caput. Contingit autem uentriculum infeſtari, & præſertim os ipſius ab humoribus acrioribus, à quibus maligni vapores ad caput aſcendunt.

Cognoſcitur hæc doloris ſpecies à nauſea, à mordacitate, & quia per inediam magis augetur, & oculi quadam caligine obduci videntur.

Cura varia eſt: nam aliquando humorem bilioſum, aliquando putridum, aliqn̄ pituitoſum reſpicit, ſecundū

quòd

quod hic, uel ille ad ventriculum fluit, in ipsoq; insedit. Si igitur humor biliosus fluens (talis enim vt plurimum fluere solet) morbum foueat, & ad hoc ventriculi debilitas adiuuet: vnde homines infelices à generatione uocantur: cura erit exhibere aliqua frigida stiptica, quibus bilis compescatur, & ventriculus corroboretur, vt est panis assatus, & in vino omphacino, uel granatorum intinctus, vel pacta ex cotoneis, & saccharo confecta: vel rob cotoneorum, vel rob de ribes.

Aui. 4 primi cap. de phleb.

Quòd si neque ob prædicta, ne bilis ad ventriculum fluat prohiberi poterit procuretur uomitus: post uomitũ quiescat ne ob corporis agitationem noua bilis effusio suscitetur.

Quòd si ventriculus frigidus fuerit, & pituitosus, & tamen ad eum bilis per porum felleum, vel aliunde fluat: nam hoc esse potest, ut benè sentit Galenus, quę superius acetosa, stiptica proposita sunt, conueniunt quidem, sed condita cum aromaticis calidis. & quia potest euenire, quòd his acetosis sic etiam conditis ventriculus offendatur: ideo tunc exhibeas panis buccellam ex iuleb puro, idest miua simplici, vel cum aromaticis admista.

2. reg. acu. tex. 29.

At si dolor capitis causatus fuerit à putridis humoribus in ipso ventriculo repertis: humores purgandi sunt vel per vomitum, vel per secessum: postea æger nutriatur cibis facilis concoctionis, parum excrementosis, boni succi, & inclinantibus ad illam qualitatem, quæ malæ dispositioni ipsius ventriculi aduersetur, quæ si fuerit calida inclinet ad frigidum, si frigida ad calidũm, & in quibus adsit uirtus discutiendi vapores, & flatus, qui in tali ventriculo excitari solent: & virtus subducendi, & leniendi: quæ omnia reperiuntur in iure galli, gallinæ, pulli, caponis, in quo prius parum cinnamomi, aniforum, vel fænicu li decoctum fuerit.

Cum verò pituitosus, aut acidus, aut salsus humor dolorem fecerit, magis in totius ventriculi spatio continetur, quàm quòd in ore ipsius firmetur: optimum autem fuerit in fundo ipsum contineri, facilè enim relicto uen-

Gal. de cõposit. med. per loc. 2.

tre in intestina delabitur. pessima autem fit affectio ubi vitiosi humores in uentris tunicis ineluibiliter fuerint imbibiti. quorum optimum remedium (si per vomitum fortiorem æger nō adiuuatur) exhibere hyeralogodion, vel hyeram Archigenis, vel Ruffi cū decocto epithymi, ut R. epithymi m.s. passularum ℥.s. bulliant parum, & iuris decocti accipe ℥.iij. hyerælogodionis, vel hyeræ Archigenis, vel hyeræ Ruffi ʒ. ij. misce, & fiat potus, in aurora exhibendus.

Denique his nihil, vel parum proficientibus ad incisionem arteriarum temporalium, vel ad cauteria in ipsis temporibus fienda confugies: attamen interim optimum fuerit cætera prius experiri, quàm deuenire ad hæc extrema remedia: quæ (vt benè scripsit Gal.) non semper conferunt: neque omnes huius auxilij beneficio curantur. Coactus igitur ijs utere, obseruatis regulis ab ipso Auic. traditis.

De loc. affec. 3. ca. 8. prima tertij.

De dolore capitis per consensum hepatis, & cæterorum membrorum interiorum. Cap. XV.

PAriter cura doloris capitis per consensum hepatis perficitur cum his, quæ superius dicta sunt, scilicet cum fructibus stipticis ascēsum vaporum prohibentibus: quòd si materia continetur in gibbo, conferunt diuretica: tunc enim facilius per uias vrinæ expurgatur. Si continetur in concauo, per secessum educetur cōmodius: si autem vtrobique fuerit, per vtrasque vias euacuabis, incipiendo semper ab ea, quæ fit per solutionem ventris. Epithemata astringentia, ex spodio, rosis, myrtis, absinthio, & similibus supra iecoris regionem exterius applicentur: quæ uapores ascendentes prohibeant. Sciendum tamen est, quòd hæc magis conferūt, quando materia est in gibbo, nam quando est in concauo magis prosunt interius assumpta. pariter sciendum est, quòd existentibus obstructionibus, epithemata adhiberi non

non debẽt, nisi post minoratam, aut eradicatam materiã.

Si verò dolor fuerit per consensum splenis, matricis, vel aliarum partium internarum curabitur ad curationẽ illarum partium, de quibus singulis suo loco dicetur. Vniuersaliter conferunt diuersiones per clysteria, per suppositoria, per cucurbitulas, per balnea, seu per extremitatum lotiones, & frictiones: & præsertim si dolor fuerit per consensum matricis: in quo expertum est, quòd cucurbitulæ appositæ alchatim, idest circa extremitatem spondilium propè anum: & ad intra coxas uersus pudenda maximi sunt iuuamenti.

In dolore per consensum à diaphragmate pariter conferunt cucurbitulæ super hypochõdria, & retro supra dorsum positæ: item frictiones, ablutiones, & balnea.

Interim caput corroboretur, & eius dispositio ad recipiendum auferatur, in principio cum repercussiuis, ipsum caput à proprietate respicientibus, vt cum oxirodino: in processu autem cum astringentibus calidis, vt cum oleo chamæmelino, & myrtino, in quibus grana cupressi parum bullierint, & hoc in affectu frigido, nam in calido ab ipsis oxirodinis discedere non debes.

De dolore capitis per consensum membrorum exteriorum. *Cap.* XVI.

SI autem dolor fuerit per consensum à mẽbris exterioribus, vt à brachio, vel à crure, vel à pede: cura amplectitur quatuor intentiones: quarum prima euacuat materiam in membro contentam. secunda ascensum vaporum prohibet. tertia materiam euaporabilem diuertit. quarta discutit, si quid materiæ in membro relictum est. prima intentio perficitur pharmacia: & chirurgia. pharmacia quidem educendo materiam, & per vomitum, & per secessum, prout per hãc vel per illam partem euacuare commodum fuerit. chi-

rurgia, venam seccando, ipsum membrum scarificando, hyrudines applicando: ut verbi causa si dolor fuerit per consensum à pede, vel crure, & æger sentiat aliquid eleuari ab illis partibus, tunc (manifesta existente repletione) ex saphena phlebotomari, vel cucurbitulis super crura appositis euacuari debet. postea aliquo stomaticho laxatiuo, sicuti diaphinicone, vel aliquo alio simili purgabitur.

Quòd si nulla fuerit repletio deuenies ad secũdam intentionem, & vaporum ascensum prohibebis. stringantur itaque crura, vel brachia (si ab ijs fuerit consensus) & sensim vsque ad inguina, vel vsque ad ascellas ligando procedatur. hinc pro tertia intentione fricentur pedes cum sale, & oleo cheirino: quæ fricatio infra locum, in quo materia euaporans continetur fieri debet: sic enim utilior erit diuersio. quarta intentio perficitur fomentis, ablutionibus, emplastris, & localibus desiccantibus, & resoluentibus residuum materiæ, positis super locum: in quo materia euaporans continetur: quibus minimè sufficientibus, ipsum aperies locum cauterio actuali, uel potentiali: & procurabis vt tandiu apertus maneat, quousque materia tota effluxerit.

ex Auic.

De dolore capitis per consensum à toto ut in febribus. *Cap.* XVII.

QVi febricitant vt plurimum dolore capitis infestantur: & cum febris sit morbus uniuersalis pariter, & hic dolor non per consensum alicuius membri particularis, sed per consensum totius corporis effici dicitur. Quapropter (vt scribit Trallianus) considera diligenter, num crisis ratione, an alia de causa oriatur: constat enim quòd si capiti dolor huius gratia contingat, vt in ijs, qui sanguinem ex naribus profundunt, aut vomunt, nihil tentare oportere, aut tumultuari,

tuari,aut curationem adhibere. nam ea, quæ admouentur præterquàm quòd nihil iuuant, etiam naturam ſubinde impediunt. Itaque in nullo dolore critico, & præſertim in die critica neque repercuſsiuum, neque mitigatiuum,neq; alteratiuũ adhibebis, ne natura ab opere ſuo perficiendo impediatur, vel ne per incongruas regiones expellere cogatur. quòd ſi propter indoctos aſsidentes, ne te vt ignauum Medicũ vilipendant, neceſſe fuerit aliquid moliri,facias quę obeſſe non poſsint, ſicuti quidã, qui plantas pedum oleo roſaceo fricari iuſsit: hoc enim multis fore proficuum dicebat. Verum ſi natura nondũ criticaret, ſed tantummodo aliqua ſigna futuræ criſis prę mitteret: & propter hoc dolore caput infeſtaretur,adiuuabis naturam, ducendo per conuenientia loca,vndecunque ipſa repit: ut ſi æger percipit nauſeam, & uentriculi ſubuerſionem,& tremorem in labio inferiori, & uniuerſaliter ſint ſigna quòd natura tentat euacuationem per vomitum,exhibebis aliquod lene vomitiuũ ex oximelite ſimplici,cum decocto maluarum, uiolarum, & atriplicis. Hyp.

Quòd ſi æger perſentiat grauitatem, & rugitum ſub vtroque hypochondrio, & habeat alia ſigna materiæ ad partes inferiores deſcendentis:tunc expedit cum lenientibus & lubricantibus,per ſedem infuſis,vel per os aſſumptis naturæ opitulari: & in hoc confert ſyrupus de prunis in aqua coctis, & per ſetaceum expreſsis, & iterum cum ſaccharo albiſsimo ad mellis ſpiſsitudinem bullitis. Item conferunt pruna remotis nucleis infuſa in iulep ſimplici hoc pacto,

R. iulep ſimplicis aquæ roſaceæ ana ℥. iij. pruna damaſcena nu. xij. bulliant ſimul: inde facta diligenti expreſſione decoctum actu tepidum propinetur. pariter ſyrupus ex tamarindis eodem modo apparatus, & exhibitus. idem præſtant conſeruæ violarum in aqua hordei, vel in quatuor vncijs iulep ſimplicis aſſumptæ. ad hanc intentionem etiam laudatur caſsia fiſtularis,vel manna ad pondus trium unciarum in aqua hordei diſſoluta.

Quòd si in partibus renum, & sub costis dorsi adsit grauitas vergēs ad posteriora:& ardor in virga percipiatur, & multitudo vrinæ cū cæterarum fœcum retētione subsequatur, certus eris de crisi per uias urinæ futura: unde cum diureticis mederi debes: ut

R. oximelitis simplicis ℥.iij. seminum melonum, citruli, cucurbitæ ana ʒ.ij. contundantur semina, & cum oximelite exhibeantur. Aeger autem cotoneis coctis, uel diacytonite cibetur: nam huiusmodi cibus ob sui astrictionem, prohibet ascensum vaporum ad caput: & prouocat vrinam non quidem per se, sed per accidens comprimendo enim humiditates ad inferiora expellit.

At si ægro cum dolore capitis appareant radij multi luminis, & rubores, uel res flauæ eius oculis per multum tempus obuersentur, signum est quòd sanguis ex naribus eruptionē quærit: ad quam sternutationibus incitari debet: sternutatio autem multis modis prouocatur: facillimè autem aceto, uel vapore eius per nares attracto: uel si æger exposuerit nares patulas radijs solaribus: eosque subito inspicere conatus fuerit, & inde oculos clauserit.

Denique si dolor capitis adfuerit cum punctura post aures, vel sub alis, vel in inguinibus signum est, quòd crisis per apostema in his partibus futura est: unde emplastris, & cucurbitulis attrahentibus super prædicta emunctoria appositis adiuuabitur.

In his uerò capitis doloribus, qui in principio cum febribus irruunt, vena secanda est post primam, aut secundam remissionem, nisi quid impediat, & præsertim in corporibus bonæ habitudinis, & multo sanguine redundantibus. at animaduertendum est num ob vapores à ventre sublatos, aut ob alui suppresionem capitis dolor contingat. Quòd si serius post septimum irruat diem (dummodo crisim non significet) aluo per clysterem notabiliter præeuacuata, cucurbitulæ occipitio, vel ceruici affigendæ sunt, & capiti irrigationes admouendę ex oleo rosaceo in calidioribus, ac hora æstiua, & cum exiguo aceto. chamęmelino verò in frigidioribus habitudinibus,

Gal. de cō po. med. per loca 1. cap. lib. 2.

Diacytonite: per accidens non ... [handwritten margin note]

ac hyeme quinta aceti parte adiecta, aliæ insuper infusiones, quæ ex papauerum capitibus constant expediunt: & multa alia, quæ superius in cura doloris capitis ex calida intemperie, uel ex bile causati, scripsimus: ad quæ (perseuerante dolore) confugiendum. cæterum ad capitis dolores ex febribus varia medicamina sunt ab auctoribus in ipsarum febrium tractatibus præscripta. hæc autem, quæ sequuntur, non solum in dolore capitis, per consensum stomachi, sed omnibus etiam alijs circa caput obortis affectionibus sunt uitanda, vt viticis semen, absinthij succus, lac in potu, glãdes quercinæ in cibo, oliuæ nigræ, arbuti fructus, mæmecylon græcis appellatus: eruũ, quòd ipsum etiam articulos dissoluit. amplius autem offendunt myrrha, thus, hæderæ cacumina. mentem etiam perturbant lẽtisci fructus, crocus, peucedanum, cyclaminus sicca cum vino potata. Styrax paucus quidem potatus tristitiam vultus discutit, multus verò somnos multum turbulentos inducit.

De dolore capitis à flatu intrinseco, & extrinseco. Cap. XVIII.

DOlor capitis causatus à vaporibus crassis in ipso capite retentis, & à ventriculo genitis curabitur, si æger abstinuerit ab omnibus cibis flatuosis: & post purgationem cum hyeralogodione, vel cũ hyera Ruffi vsus fuerit diacimino, diacalamintho, dianiso, aromatico rosato, & similibus flatus crassos in ipso ventriculo discutientibus: & caput inunxerit cum oleo myrtino, vel ladani, vel irino, vel mastichino: & generaliter cum oleis, in quibus adest, & caliditas, & aliqualis astrictio.

Quòd si vapores fuerint in ipso capite geniti, & nequaquam à ventriculo mandati, cognoscentur, quia nullam inflationem, nullum rugitum, qui caput petere credatur

in ipso ventriculo persenties: & neque propter ciborum repletionem, neque propter inanitionem percipietur doloris augumentum, vel decrementum. curabitur itaque talis embrocãdo caput cum decocto chamæmeli, anethi, cumini, calaminthæ, marathri, siue fœniculi (præcedente semper purgatione si necessaria fuerit) & cum inunctionibus sub hac forma,

R. olei rosati, de spica, anethini ana ℥.s. misce, & inunge: & apponendo naribus res odoriferas attenuantes vt puluerem ireos, amaraci, rosmarini, caryophyllorum.

Si autem dolor capitis fuerit à flatu extrinseco, duo sunt consideranda. primum an ventus, seu flatus sit calidus vt austrinus, vel frigidus vt borealis. secundum an penetrauerit ad caput per nares, vel per aures: nam si fuerit calidus, & per aures v. g. introierit, destillato in aures oleum chamæmelinum, aut cheirinum, aut anethinum simul cum pauco oleo rosaceo: quæ olea sint actu tepida, & potentia moderatè calida: quoniam in nullo dolore capitis à flatibus extrinsecis quamuis calidis, & in tempore calido localia frigida adhiberi debent: nam intentio est discutere flatus, non autem constipare, & includere.

In dolore autem à vento frigido inunctiones, embrocationesq́;, & alia localia calidiora esse debẽt: inungatur itaque caput cum oleo de castoreo, de spica: quæ etiam in aures, & nares intromittantur: & embrocetur cum decocto chamæmeli, amaraci, betonicæ, rutæ, foliorum lauri, calaminthæ: & odoret castoreum, moschum, galiam moschatam, & huiusmodi: & abstineat à fabis, castaneis, à pomis crudis & coctis, à prunis recentibus, & ab omnibus (ut dictum est) flatuositates crassas generantibus.

De

De Dolore capitis ab malis odoribus. Cap. XIX.

CVra huiusmodi doloris est olfacere res temperatè frigidas: nam odores etiam mali ut plurimum sunt calidi: euaporabilia enim omnia inclinant ad caliditatem, & caliditas in se est euaporationem faciens: non autem debent olfacere res frigidas absolutè: frigida enim eleuata in gradu non permittunt uaporum resolutionem fieri: at si vapor in capite retentus multus fuerit, medicamina odoranda ad moderatam caliditatẽ inclinare debent. Quòd si patiens ex huiusmodi odoribus malis iam peruenerit ad vertiginem, & scotomiam, embrocari debet ex decocto rerum tẽperatarum: & persentiens in capite magnã caliditatem odoret caphuram, & sandalos: & abluatur caput aqua tepida ex malua. persentiens verò caliditatem cum siccitate: vt frequenter accidit illis, qui calcem conterunt, sulphur fundunt, uel arsenicum, & sandaracã, vel calcanthum, & cuperosam effodiunt: iuuatur olfactu caphuræ admistæ oleo de cucurbita, uel oleo de salicibus: & inunctione ad intra nares ex eis facta: pariter sternendo thalami, in quo degit, pauimentum folijs salicis, lactucæ, floribus nymphea, uiolarũ, & similibus, quæ aerem per nares attractum ad frigidum, & humidum alterare posſint.

Sed quæritur an talia remedia conferant his, qui caput dolent ex malo odore argenti uiui, & carbonum sub terra extinctorum: & certum est, quòd non conferunt: nam vapor argenti viui, paralysim, & membrorum tremorem causare solet, sicuti experientia ostendit in ijs, qui opus inaurandi exercent: necnon in ijs, qui in fodinis argentum viuum colligunt, cito enim membrorum incurrunt debilitatem: & nunquam ad senium perueniunt. pariter multi dum in thalamo clauso, & non euentato calefierẽt ad ignem carbonum sub terra extinctorum paralytici facti sunt: istis igitur non conuenit humectatio, sed exiccatio

catio

catio: vapores enim huiusmodi sunt humidi crassi, nec fumosi sicci.

Non modo odores mali: uerum etiam ipsi boni odores quandoque dolorem capitis causare solent. quare dicũt nonnulli quòd multum benè olentia lædunt sanos, quia distrahunt eos à naturali temperie: vt patet quando sanus olfacit lilium, vel moschum, nã caput eius grauatur, & dolorem incurrit: & curant infirmos, per ea enim ad propriam temperiem reducuntur, dummodo eorum qualitas sit contraria, qualitati ægritudinis.

Cura huius doloris non sunt odores mali, sed boni cõtrariantes primis in caliditate, vel frigiditate, vel humiditate, uel siccitate: pro ut per hanc, vel per illam qualitatem affectus magis constiterit.

Notandum tamen est, quòd sæpissimè boni odores lædunt caput, non tantum sua qualitate, verum sua quantitate, qua replent: & tunc prima curatio est cum euacuantibus, postea cum odoribus contrarijs.

De dolore capitis ex ebrietate. *Cap.* XX.

ANtequam ad curationem huius doloris accedamus, non ingratum fortasse ipsi lectori fuerit, scire diffinitionem, causas, uarios effectus, & tandem curam ipsius ebrietatis. moraliter igitur loquendo, ebrietas nihil aliud est, quàm insania voluntaria. physicè autem, ebrietas est morbus officialis, obstructio scilicet ventriculorum cerebri cum neruorum relaxatione, & mollitie, à multitudine vaporũ, vel à vino, vel à cibo, vel à medicamento narcotico eleuatorum. & ebrietas diuiditur, quia aliquando intensa, aliquando remissa. item diuiditur, nam aliqua ebrietas fit à causa intrinseca: aliqua verò à causa extrinseca. causa intrinseca est multus vapor in corpore repleto, ob agitationem, & motum eleuatus ad cerebrum, eius lædens operationes. causa extrinseca est aut potus vaporosus, aut cibus, aut medicamentum.

mentum. potus inebrians est ceruisia, vel vinum potens: cibus verò ut panis loliaceus: Medicamentum inebrians est ut opium, mandragoræ cortex, radix, & eius poma, semen hyosciami, & generaliter omnis medicina narcotica simplex, vel composita. Sed ebrietas quæ fit à vino est, de qua absolutè intelligere, & in præsentia tractare debemus. uinum enim sua veloci penetratione, & euaporatione est ebrietatis potissima causa efficiens. non tamen omne vinum ebrietatem facit, nam vinum oligophoron, seu pauciferum, nihil ferè euaporans, raro inebriat: & quos inebriat, habent cerebrum multum debile, & paucorum spirituum. secundo loco est vinum ponticum astringens, quòd vulgò bruscum vocamus, nã ultra quòd parum euaporat, astringit os ventriculi, & vias, per quas euaporatio emittitur. itaque ferè nunquam ebrietatem facit. tertio loco est vinum dulce, quod ob crassam substantiam difficilè penetrat: & cum sit medium, temperatumq; in calido, & frigido, est naturæ amicum: & ante integram concoctionem auidè, & velociter attrahitur ab hepate, & à membris: vnde paruam moram ducens in uẽtriculo, malè ad cerebrum euaporare potest. Quare dicebat Arist. quòd vini dulcis potatores non fiunt ebrij, quia vinum dulce est inodorum: odor autem omnis caput tentat, & grauat: & quia est lene, ac lentum, itaque foramina obfarcit, & intersepit: imò tale vinum super alia vina potatum ebrietatem prohibet, deprimens ipsa ne euaporent. quarto loco est vinum mustum, quòd raro inebriare solet ob quinque causas. Primò, quia celerem affert saturitatem, vnde in minori assumitur quantitate. Secundò, quia crassum existens parum penetrat. Tertiò, quia dulce est, & (vt diximus) dulce parum inebriat. Quartò, quia cum sit graue non fluctuat, sed descendit velociter ad intestina. Quintò, quia frigidius, & humidius uino veteri.

Tertio probl. 12. & 13.

Erit igitur vinum inebrians vinosum, potens, substantiæ tenuis, odorum, saporis acuti, gratum gustui, citò penetrans ob suas partes igneas. quod vinum, ieiuno, & famelico

melico ſtomacho exiſtente, ſi bibatur magis inebriare ſolet, quàm aſſumptum poſt ciborum ſaturitatem: nam non habens cibi permiſtionem citius penetrat, & caliditas ventriculi ſuper ipſum reuocata magis, & melius ad actum reducit, & euaporare facit. interim dubitatur an vinum purum, ipſo lymphato facilius inebriet. ex ſententia Ariſt. & Auic. tenendum eſt, quòd vinum lymphatum ob tres cauſas ebrietatem inducere poteſt. prima, quia melius penetrat, nam pauca aqua cum multo vino dat penetrationem ipſi vino: & hinc eſt, quòd ebrietas à vino parum diluto difficilius ſoluitur, nam tale vinum ad loca anguſtiora penetrauit: ad quæ non penetraſſet merum exiſtens ob ſui craſsitiem. ſecunda cauſa eſt, quia de eo magis bibunt, quàm de mero. tertia cauſa eſt, quia merũ vt cætera concoquit, cum ſit calidius, ita etiam ſe ipſum conſumit: diluto autem illo è contra agitur.

Tertio ꝓblem. 3. & Auic. tertia primi.

Diuerſitas, variaq; vinorum inter ſe miſcella, ad celerẽ ebrietatem concitandam multum facit: item lignũ aloes in vino infuſum. item

R. mandragoræ, opij, ſeminis hyoſciami an. ʒ. j. nucis moſchatæ ʒ. ij. galliæ moſcatæ, ligni aloes an. ℈. s. fiant trochiſci: quorum vnus in vino diſſolutus, & potatus vehementer inebriat. Item hyoſciamus niger, cortices mandragoræ in aqua coquuntur, quæ deinde cum vino bibitur.

Qui inebriari cupit (dicebat Auic.) vt membrum medicatione dolorem faciente ſanetur, vel abſcindatur abſque dolore in vino miſceat aquam lolij: aut accipiat fumiterræ, opij, hyoſciami an. ʒ. s. nucis moſchatæ, galliẹ moſchatæ, ligni aloes an. ℈. s. cõterantur ſimul: inde ex eis quãtum ſufficit in vino propinetur.

Qui validum habet cerebrum non facilè ebrietate afficitur.

Qui autem imbecilli cerebro præditus eſt, citò, & ex leui de cauſa inebriatur: talis itaque parum bibat, & miſtum multa aqua. Homines bonam ſortiti temperiem tardius, & minus incurrunt ebrietatem, eò quòd ipſius cauſæ

causæ ob temperamenti fortitudinem magis resistunt:& aliquando ab ea correpti citius absoluuntur.

Mulieres, quoniam habent cerebra debilia, & spirituũ paucitatem, malè vaporem vini discutientium, facilius quàm viri inebriantur. pueri quoq; citò ebrij fiunt: in ijs enim multa insurgit euaporatio, & ob debilitatẽ pauca adest resistentia. Iuuenes citius incurrunt ebrietatem quàm in primo senio constituti. Decrepiti tardius ebrietate soluuntur, quoniam in ijs paucus calor discutiens viget. Pueri omnibus alijs citius ab ebrietate liberantur propter facilem suorum vaporum resolutionem.

Assueti vino tardius inebriantur, quàm nõ assueti, quoniam ab assuetis non fit passio.

Scribunt nõnulli quòd semel, vel bis in mense inebriari confert, non propter ebrietatem, sed propter vomitũ, sudorem, secessum, per quos motus corpora mundantur. veruntamen cum hæc uia expurgandi sit ignominiosa, & ab omni vrbanitate longè remota, neque satis tuta, & cũ ebrietas assimiletur insipientiæ, & furori, consulo ut fugiatur: nam vinum vinosum in multa quantitate assumptum à virtute digerente ventriculi, & hepatis superari non potest: vnde vapores crassi ad cerebrum ascendentes mollificant neruos, conturbant instrumenta sensus, conturbant virtutem imaginatiuam, cogitatiuã, & memoratiuã, & sunt caliginosi ipsi animæ, sicut nubes soli.

Dicit Halyabbas non oportet ebrietati assuescere: corrumpit enim mentem adducit hecticam, sanguinis screatum, morbos acutos, morbos articulares, neruorum debilitatem, epilepsiam, tremorem, apoplexiam, paralysim, anginam, & repentinam mortem: repletis enim cerebri ventriculis, non est locus spiritibus, quare extinguuntur, sicuti ignis in lucerna per affusionem superflui olei.

1. pract.

Sciendũ est quòd ex vini potu nõnulli incurrũt capitis dolorẽ: nonnulli ebrietatem: & hæc duplex est: nam qñq; est vigilatiua: quandoque soporosa. Vigilatiua ebrietas fit in ijs, qui habent ventriculum, & cerebrum frigidum: in quibus vinum euadit acidum: quare eius vapor

acetosus membranas cerebri pungens, & vellicans hominem reddit uigilem. Ebrietas vigil pariter fit in stomacho, & cerebro calidis, & siccis: in quibus vinum resoluitur in vapores igneos, sicut oleum, vel pinguedo in igne proiecta inflammatur. Ebrietas soporosa fit in ijs, qui habent uentriculum calidum; cuius calor repressus à potu vini superfluo temperatur: hinc vapores mites, & suaues generat: à quibus somnus causatur.

Potissimum signum ebrietatis est nescire numerare remota: ideo ijs, quos ebrios putamus esse, ostendimus digitos, eleuando aliquos, & deprimendo alios: & dicimus ridentes numerate quot nam sint, vel qui sint isti. Aliud signum est, quia lingua ebrij errat proferendo verba, & balbutit: cuius rei quatuor causas assignat Arist. Prima quia sicuti totum corpus in ebrietate fallitur: & non pōt suas edere operationes: ita & lingua pars corporis existēs. Secunda causa est, quia spongiosa est linguæ caro, & rara, & madefit repleta vini humiditate, vnde incrassatur, & intumescit: itaque sic disposita, neque sufficiens, neque conueniens est ad motum: quare difficilè, & malè sermonem profert, & dearticulat. Tertia causa est, quia sicuti sub aqua ob aeris absentiam loqui non possumus: ita neque cū nimium in nos humorem indidimus: igitur quòd vinolentorum lingua in nimio humore se voluit, idcirco exprimere sincerè non potest. Quarta causa, quia vinolentorum anima compatiens corpori peccanti: at si anima ita affecta est, linguam quoque affici consentaneum: inde enim omne loquendi initium ducitur: quo fit vt etiam sine vinolentia, quando anima aliquem hausit affectū, lingua pariter sentiat, atq; compatiatur, vt in metuentibus patet.

Aliud signum ebrietatis est, quando omnia in girū moueri, & volui videntur: cuius rei causa est, quia conspectus à calore vini compellitur, atque commouetur, nihil verò interest conspectus moueatur, an res conspectui obuia, fit enim ratione vtralibet vt id, quod modo dixi videatur.

Ebrij

Ebrij ſunt magis proni ad lachrimas, quàm ſobrij: nam ebrij efficiuntur calidi, & humidi, caliditate, & humiditate vini: & eorum humiditas tantum augetur, vt inconti nentes fiant, & lachrymas continere non valentes.

Pueri, & adoleſcentes, quando inebriantur magis min gunt quàm viri, & in primo ſenio conſtituti: primo quia pueri calidi, & humidi exiſtentes, multam aggregant hu miditatem: vnde in eis multa fit fluxibilis ſuperfluitas ca liditate vini diſſoluente, & fluit in veſicam, & cum vrina emittitur. Sed viri, & in primo ſenio conſtituti, quoniam habent membra magis ſicca, & pororum maiores uacuitates, per quas fit humiditatis vini maior attractio: itaque cum modicum ſit, quòd fluit in veſicam, minus mingunt. Secundò quia pueri ſunt ipſis viris, & in primo ſenio con ſtitutis magis ſomnolenti: & in ſomno ob bonam concoctionem multiplicatur vrina, & ſuperfluitatũ ſequeſtratio: vnde plus mingunt. omnes tamẽ mingunt plus quàm ſobrij. & decrepiti in hoc aſsimilantur pueris: nam multa humiditas cruda in illis multiplicatur, quæ à caliditate vini diſſoluta ad veſicam deſcendit.

Quæritur cur eſt, quòd qui leuiter ſe inebriauerunt, delirant, & fatua dicant, non autem qui vehementer: an quòd (vt dicit Ariſt.) neque tam parum biberunt, vt ſimiles ſobrijs ſint: neque adeo multum, vt ſoluantur, & langueant: ſicuti efficiuntur, qui multum hauſerunt. Adde quòd ſobrij ratione iudicant, penitus temulenti ne tentant quidem iudicare: leuiter inebriati iudicant, quoniã penitus vino non detinentur: ſed prauè id faciunt, quia ſobrij non ſunt: quo fit vt mox contemnant alios, & contemni ab alijs ſe ipſos exiſtiment.

Quæritur etiam cur temulenti aquas ſalſas, & uitioſas magis ſentiunt, ſobrij minus: quia ſimile à ſimili impoſsi bile eſt ſentiri, cum vtrunq; ſit eodem modo diſpoſitum: ſed contraria contrariorum ſunt ualdè ſenſibilia. vinolen ti itaque quòd dulces intra ſe contineant humores (nam vini naturam talem eſſe videmus) hinc vitioſi ſaporis ſen tientes magis ſunt. ſobrij aũt, quòd acres, ſalſosq; habent

humores saporem eundem percipere non possunt.

Ebrij pro vt diuersam sortiti sunt temperiem: diuersa incurrunt symptomata: nam sanguinei rident, puerilia, & stolida dicunt. biliosi loquaces fiunt, & furorem quodammodo præseferunt. pituitosi stupiditate, & graui somno occupantur. Melancholici magis tristantur, & sua ingemunt peccata.

Prognostica.

Hip. 5. Aph. 5. Si ebrius quispiam repente obmutuerit: conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet.

Tempus, quo crapulæ soluuntur non præcisum, neque circumscriptum omnibus una mensura, dicebat Gal. in com. quidam enim postridie à crapula sunt liberati: quidam verò sequenti nocte: quidam verò tertio die prorsus: & fit hoc pro multitudine, ac ui epoti uini, & eius, qui potauit natura. Sicuti igitur neque cibus unũ habet in oĩbus tempus coctionis præfinitum, sic neq; vinum. aut oportet nos ægri naturam habere experientia comprobatã: aut postremũ terminũ obseruare, in quo si neq; febricitare, neq; loqui anticipauerit conuulsus morietur.

Hip. 7. Aph. 7. Ex multa potatione vini, rigor, & desipientia malum. nam per talem rigorem denotatur magna extinctio caloris innati non potẽtis extrema calefacere. per desipientiã denotatur magna læsio virtutum animalium: quę duo perseuerantia in ipsis ebrijs vel citam mortem, vel ægritudines frigidas futuras ostendunt.

Cura.

Cura vel est ab ebrietate præseruatiua, uel est ipsius ebrietatis factæ remotiua. Cura præseruatiua perficitur diæta, & pharmacia. Circa diætam dicimus quòd quicũq; vult multo vti uino, oportet ut eo die parum comedat, & à cibarijs dulcibus abstineat, nam dulcia replent: unde locus uino assumendo non datur. Si autem cupit multum bibere, & non inebriari, sed ab ebrietate præseruari assumat amygdalas salitas, vel lentos salsas, vel cappares, vel oliuas sale cõditas. & comedat carnem cum

caulibus.

caulibus. & post potum confert acetositas citri, aut rob de ribes, aut cotonea mala, aut punica assumpta. Denique omnes Autores concordant caules prohibere ebrietatem: causam habemus apud Arist. quia inquit brassica habet succum dulcem, purgatiuum, discutientemq́;, & infrigidatiuum. fit igitur detentis ab ebrietate ut eius succus humores in aluum detrahat, qui vinosi, crudiq́; te nentur: & ipsa supra in ventriculo remanens corpus refri geret: quo fit vt tenues humores ad vesicam labantur. quare cũ humor vtrinq; educatur, corpusq́; refrigeretur: rectè liberari à crapula possint. Circa pharmaciam:

Tertio [illegible]ble.

R. seminis caulium, cumini, amygdalarum decorticatarum, salis, menthastri ana quantum satis est, absynthij, rutæ siccæ, ammios an. ʒ.ij. cum aqua frigida ieiuno exhibe, dummodo febris non adsit. vel bibat rob de vua omphacina cum semine caulium. syrupus ebrietatem tardãs sit conficitur,

R. succi caulium, succi mali punici acidi an. ℥. ij. aceti ℥. j. sacchari ℥. iij. bulliant parum: de quo ante vini potum bibat. ℥. j. Dicunt quòd flores myrti à ieiuno assumpti prę seruant ab ebrietate. Idem præstat succus trifolij, & ipsum trifolium comestum.

Cura remotiua ebrietatis principaliter vomitu perficitur, & somno, vt infra dicemus.

Affirmant nonnulli quòd puluis hyrundinũ cõbustarũ in potu exhibitus ebrietatẽ fugat. lapis hæmatites gestatus hominem ab ebrietate tutũ reddit: & bonũ conciliat intellectũ. Iecur anguillæ, cum felle suo in calicem potatoris clam iniectum facit, vt in posterum vinum odio habeatur. Vinum in quo piscis mulus fuit necatus vini tædiũ facit. Si spumam, quæ, inuenitur circa testiculos æqui, uel asini, dum fatigatur, homini potatori in vino exhibueris per mensem vinum postea abhorrebit.

Dolor igitur capitis ab ebrietate conflatus, durante ebrietate non percipitur, quoniam mens ægrotat, at cessante ebrietate, cum iam æger resipiscere incipit, tunc dolor magis illi molestus est.

Accidit ebrijs ſicuti febre acuta laborantibus, qui paraphrenitidi, & alienatione occupati ludũt magis, quàm doleant: ſed poſtea ab alienatione leuati dolent, & non ludunt: pariter ebrij facti ſtupidi, & à recto diſcurſu deuij, non curant de dolore, neque conqueruntur, quia non ſentiunt: ſed paulò poſt, ſoluta crapula, in ſe ipſos reuerſi dolorem percipiunt, & non ludunt.

Cura talis doloris duobus modis perficitur videlicet euacuatione, & refrigeratione. Iubendi igitur ſunt, ſi crudum adhuc vinum in ſtomacho fluctuet, ut tepida aqua hauſta vomant per ſe ſola, aut pauco aceto, vel ſyrupo acetoſo permiſta. vel vomitus prouocetur oximellite, & ſemine raphani ſimul contuſo, vel oximel cum ſucco raphani, uel cum aqua hordei. quòd ſi vomitus non fuerit obediens, quia æger vomere non eſt aſſuetus: uel quia abhorret à tali remedio ob timorem ne vena in pectore rumpatur, unde empycus, & tandem phthiſicus fiat: venter ſoluatur cum hyera picra, confortata cũ ſcammonio. Quòd ſi aliquid impedit huiuſmodi pharmaci exhibitionem, vt potè calidi, vel quia febricitat, vel quia de febre futura timetur, vel quia patiens eſt temperaturæ nimis calidæ, & biliosæ, ſoluatur cum decocto mirobalanorum, aut cum caſsia, aut cum tamarindis: aut cum ſucco mali punici, hoc pacto,

R. duo mala punica craſſa, vnum dulce, aliud acidum, à quibus grana, & granorum ſepimenta eximito, inde prelo diligentes ſuccus auferatur, & cum g. vj. diagridij admiſtum propinato.

Quòd ſi ob aliquod impedimentum æger huiuſmodi euacuantibus vel quia puer in delitijs habitus, vel quia mulier pregnans vti non poſſet: vſque ad vini coctionem dormire debet: vinum iam concoctum, & digeſtum cognoſces ab ipſa vrina: quæ in progreſſu magis ruſſa efficitur cum hypoſtaſi cum in principio eſſet tenuis, & clara, & abſque ſedimento.

Sed quoniam ebrij vix dormire poſſunt, & præſertim à dolore infeſtati, fricato pedes cum ſale, & oleo violato

tepido: vel patiens in balneo aquæ dulcis tepidæ usq; ad ceruicem mergatur (prius exonerata aluo) ut uapores uini, vel vt mala eius qualitas impressa, ad partes extrinsecas diuertatur: & commodius somnus conciliari posit.

Refrigeratione postea vtendum est, si per supradicta remedia dolor minimè cessauerit: quæ refrigeratio nequaquam vehemens esse debet, ne vapores ita incrassentur vt inde resolui minimè possint. Sit igitur refrigeratio mediocris, quæ caput corroboret, & ascensum uaporum prohibeat: & in capite detentos aliqualiter resoluat: ad hoc negotium facit optimè oleum rosaceum per se, aut cum pauco aceto, aut cum hederæ seu brasicæ succo. aut oleum rosaceum cum pari mensura olei chamæmelini, & pauco aceto. quin ipsa brasicæ folia in aqua calida macerata & capiti circumposita, quadam naturali facultate ad hoc conuenit.

Cæterum ipsius uictus maxima ratio habenda est: cibus sit boni succi, & aliqualiter refrigerans: laudatur ptisana, sorbitio ex alica, panis ex aqua, oua sorbilia, lentis iuscu lum præsertim ijs, qui humidiore ventriculo præditi sunt. ex oleribus lactuca, brasica, borago: & vbi dolor mediocriter se habuerit, exhibeantur gallorum testiculi, alæ, turdi, merulæ, ficedulæ, columbarum pulli, pisces saxatiles, vuæ passæ. & post mensam pyra, aliqua quidem cruda, aliqua verò cocta: & mala cotonea, quæ ventriculum cor roborant, & ne vapores ascendant compescunt. Potus sit aqua in principio, vel vinum mali punici: at si in processu talem fastidiret potionem, & dolor multum remissus esset, vtatur vino tenui aquoso.

Denique manifestum esse puto, omnes, qui caput dolent, quandiu dolor est in augumento, & statu quiescere melius esse: declinante verò, idoneis locis deambulare. Idonea verò sunt ijs, qui calefieri desiderant, calidiora: qui refrigerari frigidiora: & ante cibum pluribus deambulationibus vtendum: à cibo autem paucis, & lentis. oportet verò neque comedere multum, neq; statim deam bulare, sed post duas, aut tres, aut plures horas.

Quòd si aliquando ex vaporibus, & humoribus in caput subleuatis, reliquiæ quædam sint tenuioribus meatibus impactæ: & ob id etiam capitis dolor perseueret: à rosaceo quidem desistendum, & vtendum primò chamæmelino moderatè calido, postea irino, vel nardino, uel costino, si maiori resolutione opus fuerit. In balneo caput aqua calida perfundatur, non solum ob id, vt quippiam circa ipsum discutiatur: sed & somni conciliandi gratia. quapropter ex Galeni monitu etiam secundum, aut tertium quoque ad vesperam balneum apparandum est acceptis ab eo lactucis ex aceto multum diluto. & hæc sint de ebrietate, & de dolore capitis ab ea.

2. de cōp. medic. per loc.

De Dolore capitis à percussione uel casu. *Cap.* XXI.

IN curatione doloris capitis à percussione, vel casu, tria præoculis habere debes: primò doloris mitigationem: secundò apostematis prohibitionem: tertiò, si vulnus adfuerit, vulneris sanationem: quæ omnia vt commodè assequaris, prius victum conuenientem ægro imperabis: abstineat igitur à vino, carnibus, & à cibis plenioribus, solidioribusq; & à cibis acidis, acribus, & salsis. vtatur succo ptisanæ, ouorum luteis, malua, lactuca, cucurbita. præterea quies corporis, & trãquillitas animi necessaria est. caueat à clamore, à contentione, à sole, à balneo. Dolor mitigari poterit congruis capitis irrigationibus ex oleo dulci: fouendoq; caput omni ex parte ne rigeat, ex lana oleo imbuta. conueniũt quoque fomenta per spongias aqua calida imbutas: & ipsæ embrocationes.

ex Auic.

Deinde quòd te oportet facere in hac cura est phlebotomare ægrum ex cephalica, vel ex communi vena, vt humores diuertantur, ne fluant ad locum contusum, ibiq; apostema faciant. Si materia fuerit in capite, venam cephalicam secare debes: si autem repletio fuerit in toto corpore, & materia est in fluxu sectio venæ cōis magis cōuenit: & nisi percussio fuerit cum vulnere, à quo magna

sanguinis

ſanguinis quantitas ſit euacuata, antequam ad medendũ accerſitus fueris, copioſam facies phlebotomiam.

Quòd ſi per ætatem, aut virium imbecillitatem, aut quia repletio fuerit ex alijs humoribus, nequaquam cum ſanguine educibilibus, venam ſecare non licuerit: ad clyſteria acuta confugies: quæ ſimul cum fœcibus humores educant, ne euaporent ad caput augentes dolorem, & apoſtema: ut

R. vtriuſque centaureæ, mercurialis, abſynthij, betonicæ an. m. j. radicis ireos ʒ. ij. pulpæ colocinthidis ʒ. s. coquãtur, & iuris colati accipe lib. s. in quo diſſolue hyeralogodionis ℥. s. mellis roſati, olei liliacei an. ℥. ij. ſalis ʒ. ij. miſce, & fiat clyſter. Quòd ſi patiens febricitauerit: ne per huiuſmodi calida febris augeatur, ipſa clyſteria temperabis admiſcendo cum frigidis, vt cum lactuca, portulaca, floribus violarum, nympheæ, & ex ſupraſcriptis demendo pulpam colocynthidis, & minuẽdo cætera, prout expediens videbitur.

Illi autem, qui abhorrent enemata, vtantur pilulis cochijs, vel fœtidis, vel benedicta, vel hyera Ruffi: educunt enim à partibus ſuperioribus ipſos humores: exiſtente autem febre ſatis valida, ne magis inflammentur aſſumant poſt pilulas immediatè aquam hordei, vel decoctum florum violarum, vel lactucæ. hinc pars contuſa obducatur localibus aſtringentibus, repercutientibus, & aliqualiter reſoluentibus, vt

R. roſ. rub. ſiccarum m. ij. meliloti m. j. balauſtiorum ʒ. ij. contundantur, & cum aqua decoctionis myrti fiat emplaſtrum. vel

R. aluminis de pluma ℥. j. roſarum rubearum ſiccarum m. j. puluerizentur, & cum aqua ſalicis, & vino odorifero conſpergantur, & fiat vt ſupra: & fortaſſe inunctiones ex ſolis oleis roſaceo ſcilicet, myrtino, vel liliaceo ſufficiẽt.

Quòd ſi in loco contuſo apoſtema fieri incipit (id. n. à febre, & ab intellectus conturbatione cognoſces) adhibeto magis aſtringentia, & repellẽtia actu frigida, ut ſunt balauſtia, myrtus, folia myricę, cortex, & fructus cupreſſi, olibanum,

olibanum, & similia cum succo cotoneorum admista: vel ex istorum decocto fiant embrocationes, & ex sedimento crasso fiant deinde emplastra.

Si autem dolor capitis fuerit cum vulnere, vulneri mederi debes, primò sistẽdo sanguinem, ne nimis effluat, cũ albumine oui, & stupa in eo madefacta: & suendo vulnus, si cutis hinc inde diducta appareat, radendo pilos circa ipsum vulnus, & malam temperiem alterando cum oleo rosaceo completo.

Quando vulnus penetrat vsque ad pericraneum non est absque timore mortis: sed quando penetrat ad duram menynga maior inest timor: & adhuc maior quando peruenit ad piam matrem. Cæterum, autore Gal. ex Archigene, membranam cerebri vulneratam egregiè conglutinat calaminthæ succus infusus, & farina milij inspersa: deinde butyrum, & rosaceum, ac adeps suillus insulsus vetus omnia tepefacta, & infusa.

Et quando in dolore capitis egreditur sanguis ex naribus, vel auribus propter vehementem casum ex alto, uel propter percusionem: post phlebotomiam, & per aluum euacuationes, diuersionesq;, securus de apostemate non fiendo: æger per tres dies gallinarum, cerebellis cibandus est (in istis enim cerebellis inest proprietas confortandi substantiam cerebri humani teste Auic. 2. lib. cap. de cerebro) & superbibat succum mali punici acetosi, vt à nausea, & vomitu prohibeatur: qui vomitus simul cum febre ijs, qui in cerebro vulnerati sunt ferè semper superuenire solet ob consensum, quem habet cerebrum cum ore ventriculi per sextum par neruorum.

Hip 6. Aph. 50. 7. Aph. 58.

Quibus autem cerebrum ex percusione, vel casu concussum fuerit, quòd (ut inquit Hip.) cognoscitur, si magna est concusio, quia statim muti fiunt: si parua concusio, & adest suspitio de apostemate, in primis phlebotomia conuenit: inde repercusiua: & post euacuationem, & diuersionem tua sit intentio confortare cerebrum, resoluere eius superfluas humiditates ex debilitate generatas, & partes laxas aggregare, & astringere: ideò tunc

laudatur

laudatur syrupus de stœchade, vel puluis stœchadis in aqua mellis exhibitus. Si uerò cerebrum auelli contigerit, aut aliquam eius partem conuelli: qui ita patiuntur (inquit Galenus) non amplius restituuntur: ideò medicina non indigent.

Si autem cum prædictis doloribus capitis vigiliæ adfuerint oleum violaceum, vel nymphœæ in aures, & nares patientis instillato.

De Dolore capitis ex coitu. Cap. XXII.

Coitus superfluus dolorem capitis inducere solet, aliquando propter siccitatem, aliquando propter malam, & imperfectam coctionem, quæ ab ipso causatur: & præsertim in ijs, qui multis se replēt cibarijs, credentes vires deperditas sic restaurari, & se labori venereo ita melius resistere posse.

Causa.

Coitus q̄nque licet non sit superfluus, est causa doloris capitis, agitando motu corporeo, & animali materias in corpore inuentas versus caput: vel agitando eas, quæ sunt in capite, & præsertim si coitus fuerit ab assumpto cibo, uel à cibo nondū concocto, vel in hora inconueniēti: & quandoque ab oībus prædictis complicatis causis fit dolor: nam corpus dari potest exiccatum naturali humiditate scatens tamen extraneis, & inconcoctis humiditatibus, euaporātibus ob inordinati, & indebiti coitus agitationem.

Signa.

Signa doloris capitis ob exiccantem coitum sunt, quia oculi profundi, & liuidi apparent: & facies pallida, & extenuata: quòd si dolor fuerit à vaporibus crudis, & inconcoctis ob coitum facies apparebit tumida, & œdematosa.

Cura.

Cura doloris capitis ex coitu exiccante, est abstinere à coitu,

coitu, & abluere caput, & vniuersum corpus aqua tepida, vt humectet, & extraneam caliditatem extinguat: quæ ut plurimum tali copulatur siccitati. quies confert, & somnus. odoret sæpius oleum violaceum: & nutriatur cibis humidis, & multi nutrimenti: vt sunt carnes pullorum, hœdorum, gallinarum, oua sorbilia cõdita cum cinnamomo, & croco. utatur vino claro, rubro, tenui, non pontico, neque penitus dulci: & à prandio, & cæna comedat nucleos pinearum recentes, pistacia, & sumat sæpè de aliquo elect. restauratiuo: & dormitum iturus inungat sibi hinc inde supra regionem renum cum huiusmodi vnguẽto humectante renes, & præseruante ne vlterius exiccentur.

℞. pinguedinis anatis, anseris, gallinæ an. ℥.j. olei violacei ℥.iij. ceræ ℥.s. misce, & fiat unguentum ad ignem.

In cura doloris ex coitu inconcoctionem causante, & superfluitates multiplicante uictus sit cibaria assa: raro autem elissa: & condita cum aromatibus exiccantibus, sed non multum calidis: & partiatur cibus in multas vices, & singula vice parum comedat: beneficium ventris quotidie habeat spõtaneum: vel suppositorio, aut clystere prouocatum. motu vtatur temperato, & ante cibum. post cibum uerò dormiat, & quiescat.

In cura doloris ex agitatione coitus causati, in primis venus interdicatur, quòd si ab ea excusari non potest, uel quia incontinens: uel quia uxori, & matrimonio satisfaciendum: saltem caueat, ne ieiunus, & famelicus, & ne immediatè post repletionem coeat: & nutriatur cibis boni succi, facilis concoctionis, & appetitum coeundi reprimentibus, vt sunt lactucæ coctæ per se, vel cum alijs ferculis. postea (existente corporis vniuersali repletione) phlebotomari debet: & hinc pharmaco expurgari: & tandem caput inungi, & corroborari cum oleo rosa. vel myrtino, ne amplius vapores recipiat. Quòd si ambæ causæ coniungantur scilicet exiccatio, & repletio, tunc incipiendum à cura repletionis, non negligendo curam exiccationis.

De

De dolore capitis ex somno. Cap. XXIII.

DOlor capitis post somnum eueniens, duplicem habet causam: nam quandoque accidit ob bilem in ventriculo tempore somni aggregatam: quæ postea, completo somno excitatur, & mouetur, & euaporat ad caput: & iste dolor mitigatur statim ab assumptione alicuius cibi astringentis, & vaporũ ascensum prohibentis.

Quandoque accidit ex vaporibus clausis in capite tempore somni: & tunc curatur uapores detentos resoluendo, & ascensum eorum prohibendo: ad hoc iuuat emplast. factum ex cinere, & aceto adhibitum fronti, & temporibus: corroborat enim caput ne recipiat: exiccat materias, à quibus uapores eleuantur, dummodo sint in capite. & cinis melior est ex ligno fici, qui præter modum exiccat: ita ut ad exiccandas fistulas etiam adhibeatur: idem præstabit cinis ex radicibus, & stipitibus caulium.

De dolore capitis post purgationem. Cap. XXIIII.

DOlor à purgatione fit uaporibus in capite subleuatis, à medicamento purgante, præsertim violento, aut imperfectè vacuante, aut materiam mouente in capite, sed non educente: aut à causa aliqua externa superueniente, vt nimio calore, vel algore.

Curatur, si fuerit à uapore sursum ascendente, reuellendo ad contraria. Si uerò iam sit eleuatus, idemq; calidus, humeralem venam incidimus. Si autem frigidus est, curabitur vt alij dolores à causa frigida: & confide in phlebotomia saphenæ, quoniam est potens in hoc. Si uapor fuerit crassus, & frigidus: cura nota est. verum si materia fuerit mota post debitam concoctionem iterum purgabitur.

bitur. Denique si fuerit propter malam intemperiem ab ipsa medicina conflatam, curatur cum alterantibus contrarijs conuenientibus.

In dolore capitis à cibis, & medicinis calidis utere phlebotomia conuenienti: & iuleb cum mucillagine seminis psylij, & seminis portulacæ exhibeto: & sandalos pulverizatos, & in pollinem cum aqua rosſ. redactos capiti applicato. olfaciat caphuram, nympheam, & violas. Denique cura perfecta huius doloris erit uomitus post tales cibos, vel tales medicinas assumptas, cum syrupo acetoso, & aqua calida: & nutriatur cibis frigidis stipticis: potus uerò iuleb rosſ. vel saccharum rosatum cum aqua frigida.

De Cephalea. *Cap.* XXV.

QVotiescunque dolor capitis grauis, diuturnus, ac difficilè solubilis hominem detinet, cephalea tàm à græcis, quàm à latinis; ab arabibus autem ouum, nux, & galea appellari solet. qui dolor à parua occasione vehementes habet accesſiones, vt neq; strepitum, neq; vocem elatiorem, neq; luminis splendorem, neque vini potum, neque medicamenta caput replentia, neque motum ægri tollerare posſint: sed in quiete, & tenebris, ob doloris vehementiam, decumbere volunt.

Causa.

Causa cephalæ generatiua est humor malus, in parte capitis aut in toto contentus: qui humor est crassus cum debilitate virtutis impotentis ipsum humorem expellere: aut est apostema fixum, & perdurans, siue sit calidum, siue frigidum: ut plurimum tamen est apostema melancholicum, nam persistit: & ferè semper ipsa causa detinetur in medio membranę, siue ea sit exterior, siue interior, nam affectus toto capiti ita melius cõmunicatur: & multoties

toties cephalea contingit ob ægritudines præcedentes: quæ caput debilitarunt, & dispositum fecerunt ad recipiendam quamuis malam intemperiem. Causæ extrinsecæ duæ potissimum esse possunt (inquit Gord.) multa comestio rerum fumosarum: & nimia capitis coopertura. solent enim nonnulli gestare pelles supra caput, hinc addunt duo capucia linea, deinde biretum laneum, & sic ipsum membrum rarefaciunt, & proprium eius debilitant calorem. nonnulli autem frequentius, quàm par sit, caput abluuntur, & fortasse hora, & modo inconuenienti: vnde quando omnes istæ causæ concurrunt, vel ijs similes, superuenit cephalea incurabilis.

Signa.

Signa sunt: quippe nonnulli (vt scribit Galenus) veluti malleo se percuti arbitrantur: Alij caput contundi, distendiq; sentiunt: non paucis ad oculorum quoque radices dolor extenditur. quin huiusmodi accessiones, veluti in morbo comitiali intermissiones habent, interceditq; tempus, quo perfectè liberari videntur: & hoc affectu fœminæ vehementius infestantur, propter capillorum lotiones, & culturam (ut inquit Cælius Aurelianus) manifestum est, quòd sicut in cephalalgia, idest in capitis dolore, sic etiam in hac affectione consimilem aptitudinem capitis habent ægri: quia videlicet facillimè ipsum afficitur, vel propter propriam imbecillitatem, uel propter sensus exuperantiam, atque hoc est ipsis commune. differunt tamen, quia per cephaleam affectæ capitis partes multò redduntur, quàm in cephalalgia debiliores: & sicuti cephalalgiam patientibus quibusdam capitis inuolucra dolore infestabantur, alijs autem pericraneum, idest exterior caluariæ membrana: ita quoque in cephalea contingit, prout quidam has, vel illas partes magis dispositas habent vt afficiantur. dolores cum grauitate humorum multitudinem significant: cum mordacitate verò, aut humorum, aut vaporum acredinem: cum pulsu uerò inflammationem: at cum tensione, si citra grauitatem, & pulsum fiant, flatus tenuis, & ventosi multitudinem demonstrant:

De loc. af fect. 3. ca. 9.

Et de cõpo. med. per loc. 2. cap. 2.

mõstrant: cum pulsu uero membranosi corporis inflammationem. Si uero cum grauitate distentio fiat, humorũ multitudinem, intra membranulas contentam. & dolores in superficie hærentes membranæ os caluæ ambientis affectionem significant. qui uerò in profundo sunt, cerebri inuolucrorum radices. Quibuscunque enim affectio intra caluariam est, his usque ad oculorum radices dolores procedunt, propterea quòd oculorum tunicæ ex cerebri inuolucris habeant ortum. Si verò humor putrefactus calidior fiat, cum febri caput dolitant: febricitant autem omninò & qui ex inflammatione dolent. hæc omnia signa habes à Galeno descripta.

Prognostica.

Cephalea chronica, fixa, & in qualibet accessione multum perseuerans, & medicamentis malè cedens, denotatur fieri à pituita crassa viscida in substantia cerebri impacta.

Cephalea antiqua, omnium capitis dolorum est pessima, nam (vt scribit Gordonius) epilepsiam futuram denotat.

Cura.

Curam exordiri debes conuenientẽ diætam instituendo: in primis æger degat in aere obscuro, non fumoso, tutus à ventis, à strepitu, à clamore, & ab hominum frequentia: qui aer declinet ad caliditatem, vel frigiditatem, humiditatem, uel siccitatem: secundum quòd per has, uel per illas qualitates contrariari potest materiæ morbum fouentis: dormiat, & quiescat immunis ab ira, furore, mœstitia, & cogitationibus. Cibi sint facilis digestionis alterati ad contrarium causæ doloris: & sint boni nutrimenti exhibiti in pauca quantitate: & nequaquam uaporosi. Abstineat à fructibus putredini multum dispositis. potus in cephalea calida sit aqua hordei: in frigida uerò sit hydromel. postea si talis affectus fuerit à sanguine, uel à bile sanguini admista, uenam secabis iecorariam, vel communem: & eam sanguinis quantitatem extrahes, quam uires ipsæ consentire uidentur. Si uerò velut debile existens

stens caput ad se sublatos humores, ac uapores suscipit: materiam reuellere oportet in totum corpus, atque ita particulæ mederi. per clysteres reuulsio fiat: & ligaturis extremitatum, & pluribus infernarum partium frictionibus. interdum etiam sanguinis ex cubito detractione. quòd si amplius sanguis redundare videatur etiam ex naribus aperta uena.

At si bilis non fuerit sanguini admista, neque cum sanguine educibilis, sed per se sola negotium fecerit: eius euacuationem minoratiuam per pharmacum tentabis, exhibendo scilicet cassiam fistularem, vel mannam, vel tamarindos in sero caprino dissolutos. inde humor biliosus digeratur cum syrupo acetoso simpl. ex saccharo: cum syrupo de endiuia, uel de nymphea, uel uiolaceo, uel de papauere, cum aquis, uel decoctis appropriatis. humor postea præparatus eradicatiuè ruacuabitur cum Rhabar. & scammoneo per mastichem correcto: uel cum hyera exacuata.

Denique post reiteratam totius corporis euacuationẽ, tutò ad ea, quæ caput purgant accedes, apophlegmatismos scilicet: & medicamenta alia: quæ naribus induntur ἔρρινα græci uocant: eiusmodi est elaterij succus cum lacte infusus, vel etiam aridum elaterium inspiratum, succusq; cyclamini, & porri. Hæc, quæ sequuntur sunt medicamenta à Paulo descripta. Medicamentum, quod naribus inditur ad veteres cephaleas, lippitudines, & morbos comitiales: Melanthij ℥. s. salis ammoniaci, elaterij an. ʒ. ij. tusa oleo irino excepta, vt cerati fiat spissitudo, naribus induntur. uel

℞. mumiæ g. iij. conterantur cum ℥. j. olei uiolati, & utitor. Hoc, quod sequitur, naribus ĩspiratũ pituitã extrahit.

℞. cyclamini sicci ℥. s. elaterij ʒ. ij. accuratè trita calamo scriptorio naribus inspirabuntur. Aliud

℞. euphorbij ℥. s. thapsiæ, iridis an. ʒ. j. succi radicis betæ, mellis cocti an. q. s.. Aliud

℞. succi cyclamini ℥. j. succi foliorum hæderæ. ℥. s. peucedani, elaterij an. ʒ. j. in uitreo uase reponito, usu uerò ex-

 postulante,

postulante, lacte muliebri dissoluta naribus infundito. Apophlegmatismi fiunt ex sinapi, aut hyssopo, cum passo cocto: aut ex staphide agria cum pipere, aut cum melle trita. uel

℞. piperis albi, staphisagriæ, origani, myrrhæ an. ʒ.j. passularum, aut ficuum pinguium carne mandenda præbe: mandentes uerò deorsum pronuere oportet, & per interualla hiare, quo collectus humor destillet. post uerò etiã aqua calida in ore continẽda, & ubi multam perceperint mordacitatem, etiam frigida exhibenda est.

Perseuerante dolore, ad epithemata confugies: quæ parumper ad uim stupefaciendi inclinabunt, ut vehementia doloris mitigetur: sint tamen multò magis resolutiua: nã in resolutione tua principalis intentio esse debet. ut

℞. sanguinis draconis ℥.s. croci ʒ. ij. opij ʒ.s. conterantur, & cum terebinthinæ ℥.ij. misceantur: & frons usque ad tempora liniatur. uel

℞. croci ʒ.ij. gallarum ℥.s. trochiscorum stellæ ℥.j. misce cum aqua ros. in materia calida: vel cum aqua betonicæ in materia frigida: & frontem, & tempora illinito. Trochisci stellæ describuntur ab Auic. prima 5. tract. 8. cap. 1. vbi de eorum laudibus dicit, quòd non permittunt uitã recedere: & quòd sedant dolorem capitis.

Porrò si ob biliosum humorem, aut quandam intemperiem orta cephalea prorogetur diutius, eorum usus ueniet, quæ in sermone de dolore capitis comprehensa. Si neque sic quidem dolor finitur, neque cucurbitulis, neque hirudinibus adhibitis, sed suspitio sit humores per arterias in caput esse distributos, non absurdum fuerit (inquit Paulus) & arteriam post aures incidere. porrò humidioribus etiam balnea naturalia rectè adhibentur.

De

De Hemicrania. Cap. XXVI.

HEmicrania (ut dicit Gal.) est affectio dolorosa in dimidia capitis parte, nūc dextra, nunc sinistra excitata. distinguit autem dextram capitis partem à sinistra, futura per lōgitudinem ipsius protracta: sub qua intra capitis ossa linea medium cerebrum diuidens protenditur: ad quam etiam peruenit anteriorum duorum ventriculorum septum. & dicitur hemicrania, quasi affectus medium craneum occupans. & vt plurimum hic dolor per circuitus exacerbatur: & ipsorum ægrotantium nonnulli circa temporum musculos uehementer dolitant. quidam verò dolorem ad sublimiora ascendentem habent. quidam in intimis capitis partibus. & quidam adeò uehementer dolent, ut neque manuum contactum facilè ferant: & in ijs palam est pelliculam caluam ambientem esse affectam, & neque ipsam cutem ab affectione immunem esse.

Causa.

Circa causas dicā rationabile esse vaporum crassorum, aut humorum, aut vtrorumq; influxum, à toto, uel à partibus, siue per uenas, siue per arterias, siue per vtrasque hemicraniam conflare. & illa, quæ fit ab humoribus, quādoque fit ab humoribus calidis, vt sanguine, vel bile: quandoque ab humoribus frigidis, ut pituita, uel atrabile. & illa, quæ fit à uaporibus: quandoque fit à uaporibus eleuatis, & impulsis à toto, ut in febribus: quādoq; à uaporibus eleuatis ab aliquo particulari membro ut à stomacho.

Signa.

Signa Hemicraniæ sunt primum excitatio doloris in altero duorum laterum capitis. secundum signum est fixio, & perseuerantia ipsius diuturni doloris. tertium est reuolutio periodica, in exacerbationibus, & afflictionibus eius.

Signa Hemicraniæ ab humore frigido sunt pariter tria.

primum quia æger alleuiatur à remedijs calidis. secundum quia dolor in hemicrania ab humore frigido nõ ita latè se diffundit, ut in ea, quæ fit ab humore calido: nam proprium frigidi est constringere, calidi uerò dilatare. tertium in hemicrania frigida, percipitur frigiditas ad tactum in loco doloris, propter humoris frigidi præsentiã.

Signa hemicraniæ ab humore calido sunt prædictis signis omnino contraria.

Prognostica.

Illi, quorum stomachus bile redundat: quorum caput facilè repletur: & in quo flatuositates aggregantur sunt ad hemicraniam multum dispositi.

Hemicrania multò durans tempore, & quæ incurabilis facta est, ad malas oculorum ægritudines uisus scilicet debilitatem, & cæcitatem perducere solet.

Hemicraniæ accessiones, aliquando ita seuæ, ut patiens neque sonum timpani, neque tubarum clangorem, neq; tonitrui strepitum, neque uoces magnas, neque lumen radiosum sustinere possit: sicuti etiam superius in cephalea, aliquando contingere dictum est.

Cura.

Mesues.

Hemicrania curatur quandoque regulariter: quandoque irregulariter & coactè: cura regularis uersatur circa remotionem ipsius causæ morbum fouentis. cura uerò coacta solummodo præsentem mitigandum dolorem intendit: quando scilicet ita vehemens esset, ut uires periclitarentur: neque tempus daretur ad regulariter operandum: & hæc fit cum stupefactiuis: quorum usus ferè semper est suspectus.

Cura regularis triplici perficitur instrumento scilicet diæta, chirurgia, & pharmacia. Circa diætã ne sim superfluus, idem sæpius repetendo, recurre ad ea, quę superius de dolore capitis, & in generali, & ĩ particulari dicta sunt. ægrotantes tamen interim maximè uitabunt ea, quæ uaporum acrium copiam sursum ad caput mittere solent: ueluti sunt allia, cepæ, sinapi, raphanus, & similia. quæ tamen conceduntur in hemicrania per consensum stomachi

chi frigida intemperie affecti, ut infra ex Tralliano dicemus. Hinc ad secundum deuenies instrumentum ad chirurgiam scilicet: quotiescunque sanguis redundabit: uel hemicrania à sanguine fuerit: uel si fuerit ab alio humore, talis tamen humor erit cum sanguine educibilis, & cõsentientibus uiribus, ætate, & cæteris ad phlebotomiam requisitis, satis copiosam à uena communi eiusdem lateris facies phlebotomiam: inde à vena frontis, & tandem à vena nasi.

Quòd si bilis peccauerit hemicraniam causans, ad tertium recurre instrumentum dictum: & post minorationem, & debitam concoctionem euacuabis auxilio medicinarum, quæ à proprietate id facere possunt: & ex eis est infusio mirobalanorum citrinorum, & infusio aloes in aqua endiuiæ, & hyera, & scammonium, & rhabarbarum.

Quòd si hemicrania in suis accessionibus aliquem periodum seruat: proderit ante paroxismum ʒ.j. ex infrascriptis pilulis in materia biliosa post cœnam per quatuor horas exhibere: ut hemicraniæ aduentus tardetur: & eius vehementia mitigetur. Recipiunt enim specierum hyeræ simpl. Gal. ʒ.ij. pilularum arabicarum ʒ. iij. trochiscorum mirobalanorum citrinorum ʒ.j.s. rhabarbari ℥.s. spicæ ℈. ij. cum syrupo violato fiat magdaleon. Pituita uerò redundante,

℞. Agarici trochis. ʒ.iij. pilularum arabicarum, specierum hyeræ simpl. Gal. an. ʒ. j. s. trochiscorum mirobalanorum chebulorum, florum stœchadis an. ʒ.j. cum oximelite misceantur: & cum oportunum fuerit, æger assumat ex eis ʒ.j. pro qualibet vice, modo, quo supradictum est.

At si ex nigra bile hemicrania genita fuerit,

℞. pilularum prædictarum, pilularum de lapide lazuli an. ʒ.j. epithimi ʒ.ij.s. specierum hyeræ simpl. ʒ. j. trochiscorum mirobalanorum indorum ℈. iiij. cum syrupo de fumoterræ misceantur, & usu exposcente, vt prædictis utitor.

Si hemicrania stomachi affecti consensu oriatur, uel dum ipse in concoctione infirmatur, vel cum materiam

Ex Tral-liano.

in se biliosam, vel pituitosam continet, nec humores hi probè coquuntur: perpende rursus, utrum ex calida intemperie, aut frigida proueniat.

Si igitur ex frigida intemperie calefacientibus ei prospicere oportet. sin ex calida frigidis, & contẽperãtibus.

In frigida utitor primũ fomẽtis ex uino, & oleo: quòd Græci œnelæon dicũt, nardo, gleucino, Dioscoridis styrace, mastiche. Deinde etiam emplastris ex ruta, menta, absynthio calamintha, in uino, & oleo mastichino ebullitis. Item unguento marciato dicto: quòd flatus in stomacho subortos strenue discutere potest. Cibus esto eiusmodi, qui simul calefaciat, & extenuet, nec non robur apponat: confert oximel potum, & porra cocta in cibo sumpta. Item quod ex malis cotoneis conficitur, piper, & gingiber recipiens. ex oleribus fœniculus, petroselinum, borrago, cappares, & beta cum sinapi. Allium uerò diuturnos frequenter dolores discutit.

Iuuat hos, & uomitus à cibo, & purgatio, quæ fit per catapotia diacolocynthidos ipsorum talis est compositio,

R. Aloes hepatici, euphorbij, nitri an. ℥. iij. colocynthidis, medullæ, scammonij, gummi, bdelij ana ℥. ij. ueratri nigri corticis ℥. j. s. misce, & cum melle rosaceo conficiantur: & ipsa ad pondus ℥. j. per uices exhibeto. hæc enim non superficiariam uacuationem moliuntur, sed ex alto, & ueluti ab ipsa radice recrementa extrahunt: & si quis rectè usus fuerit, non modo hemicranicum, sed etiam uetustum dolorem, stomachicos affectus, morbos comitiales, articulares, & coxendicum vitia sanare possunt.

Si biliosus humor dolorem pepererit, sumant ægri ante omnia panem ex aqua temperata, ut quę supra modum ipsis auxiliatur. cæterum etiam malua, & lactucæ comestæ prosunt: in uniuersum cibus sit humectans: & balnea temperata: denique purgatio, quæ ex picra, scammonio, rhabar. & alijs, quæ bilem purgare solent adhibeatur. vniuerso corpore uacuato, Apophlegmatismis idest pituitã per os ducentibus: & ἐρρίνοις, idest his, quæ naribus indunt ur in superiori capite descriptis medicamentis utendũ:

& ad

& ad localia remedia ueniendum.

Si calor multus in hemicrania percipitur cum refrigerantibus: si ille non adsit, ijs, quæ vehementer calefaciũt instabis: utrisque autem aliquid corroborans, quòd adstrictoria facultate præditum sit misceatur. In calido affectu conuenit aqua rosacea, uiolacea, nympheæ: succus lactucæ, portulacæ, sandali, caphura cum aceto admisto.

Nõ cessante dolore, narcotica ponãtur super tẽpus partis affectæ, sicut opiũ, cortices mandragoræ, anethũ, hyosciamus, caphura, ex quibus linimẽtũ formabis hoc pacto

R. opij g. vj. corticis mandragoræ, seminis hyosciami albi an. ℈. j. succi anethi, uel seminis eius ʒ. j. olei ros. ℥. ij. caphuræ ℈. s. misce, & utitor. uel

R. aquæ ros. ℥. iiij. opij g. vj. corticis mandragoræ, seminis hyosciami albi, anethi an. ℈. j. caphuræ ℈. s. pulverizanda pulverizentur, & fiat linimentum super frontem; & tempora: in parte ubi est dolor. & hæc sit cura coacta. Anethum in his linimentis inseritur ut eius caliditate retũdatur aliorum frigiditas, quæ calorem innatum mortificare solet: & etiam ut somnus concilietur, incitat enim ad somnum, & præcipuè oleum eius: ibi testatur Auic. li. 2. tract. 2. cap. 7.

In frigido affectu optimum erit remedium, hoc unguẽtum, quod accipit oleorum anethini, irini, singulorum ℥. s. piperis albi, serpilli, utriusq; ℈. j. s. castorei ℈. j. euphorbij ℈. s. ceræ quod satis est, fiat vnguentum, quod dimidiæ frontis parti, & musculo temporis illinatur. mirificè etiã in hoc malo confert illud tepidum in aure infusum, quod recipit olei dulcis ℥. j. euphorbij ℈. j. hiscomistis gutta una in aurem instilletur. plus aũt, & minus euphorbij adijciẽdum, pro ut corpus acri, uel hebeti sensu præditũ fuerit.

Cęterum naturali quadã rõne, aut potentia euphorbiũ ad hemicranicos facit, aceto dilutũ: & si quidem dextrũ tempus dolet, illinito sinistrũ: si verò sinistrũ dolet illinito dextrum: nam celerrimè sanat dolorem. Item intestina terræ. i. lumbricos tritos; & cochlearum carnes lateri patienti illitas cõferre prodidit Aetius. prosunt etiam per-

ſicorum nuclei triti, ac parti malæ affectæ appliciti. Item epithema ex amygdalis amaris, & thure, ac myrrha.

Mulier quædã (vt ſcribit Paulus) in hemicranicis hoc, quod ſequitur epithemate vſa, mirandum in modũ incla ruit: Radicem cucumeris ſilueſtris uiridẽ minutim conci ſam, abſynthiumq; cũ hydreleo incoquebat dũ intabeſcerẽt: ac hydreleo calente mediocriter partẽ affectã irrorabat. radicẽ verò, & abſynthiũ in pollinẽ contrita obline bat. nõ incongruũ eſt ẽt malagma ex baccis lauri: quod re cipit baccarũ lauri, quibus cortex ſit ablatus ʒ. ij. foliorũ rutæ ʒ. j. s. ſinapios ʒ. j. omnia cõtundantur, & cũ aqua ad emplaſtri formã redigãtur: & adhibeto. Ad idẽ ex Meſue,

R. Succi rutæ agreſtis, ſucci aſphodeli an. ℥. iij. caſtorei, euphorbij, pyrethri ana. ʒ. vj. piperis, ſinapis, ſtaphidis agriæ, calaminthæ, gingiberis an. ℥. s. croci ʒ. iii. fiãt ex eis trochiſci, & cũ neceſsitas urget, ex eis unus diſſoluatur in aceto acerrimo, & locus oblinatur, & ſtringatur cũ pila: eſt. n. multũ efficax, & eius erit uſus, qñ cætera nõ cõtulerint. & qñq; cũ li. j. olei, & li. s. vini, & ceræ ℥. iij. bulliãt oĩa ad vini cõſumptionẽ: inde colẽtur, & fiat unguẽtũ, qd' erit mirabile. Aliud cõferẽs hemicraniæ difficili, & chronicæ quę difficulter remouet, & hoc, nõ eſt qd' magis cõferat,

R. emplaſtri ſinapiſmi lib. j olei ſcillitici ʒ. ij. coſti, radi cum capparis, euphorbij an. ʒ. j. s. omnia trita cum aceto, aut uino odorifero q. ſ. aggregabis, & adhibebis.

Nos etiam (dicebat Aetius) vtimur cataplaſmate ex cã tharidibus, & mirificè facit, dum per longum tempus ulcuſcula ab hoc pharmaco facta ſanie manant: Recipit cãtharidum remotis capitibus, & alis ℥. s. fermenti, ceræ an. ℥. j. fiat ceratum, & calidũ lateri dolenti adhibeatur. opor tet autem munitam eſſe veſicã per lactis potum, ac irrigationes eò quòd facile ab unguentis ex cãtharide lædatur.

Perſeuerante verò affectione, ne aqua ad oculum deſcendat, & æger uiſum amittat, ſecandæ ſunt arteriæ circa aures, vel cauterio inurendę: & præſertim quæ in temporibus ſunt. adhibentur autem cauteria nucleo formia, ubi magis dolor hæret.

FINIS LIBER PRIMVS.

DOMINICI LEONI LVNENSIS

Artis medendi humanos, particularesq; morbos à capite vsque ad pedes, Sectionis primæ

LIBER SECVNDVS.

περὶ φρενίτιδος *De phrenitide.* *Cap.* I.

Φρενῖτις phrenitis ἀπὸ τοῦ φρενός, idest à mente dicitur morbus ille: in quo φρένας, idest mentem læsam uidemus: quam & νοῦν, & διάνοιαν, idest intellectum, & intelligentiam uocamus. ab Auic. Karabitus, & Sirsem calidum appellatur. Karabitus est dictio arabica alienationem mentis, & furiam significans: Sirsem uerò est nomen Persicum apostema in cerebro, uel in eius uelaminibus denotans: & tametsi phrenitis sit symptoma, diffinitur tamen tanquam morbus: vnde Paulus inquit phrenitis est inflammatio, seu apostema membranarum cerebri: quas meningas Græci dicunt, nunc quidē ipso quoque cerebro simul eam experiunte, nunc autem calore præter

Gal. 1. prorrh. tex. 4.

præter naturam in eo consistente.

Dubitant quæ membrana magis sit disposita huic affectioni: & per Rasim primo continentis nonnulli asserunt quod pia mater: est enim substantia mollis, uenis, & arterijs referta, & ob hoc calidior existens, ad inflammationẽ magis prona videtur.

In contrarium sunt alij, qui Serapionis autoritati innituntur dicentis phrenitidem apostema esse panniculi duri, qui est sub craneo, idest ipsius duræ matris. Amplius in panniculo capaciori tale apostema fieri deberet, sed huiusmodi est dura mater: & eo magis, quia cum sit plus remota à membro nobili idest à cerebro, minus etiam natura est solicita de eius tutela.

Insuper Auenzoar lib. primo tract. 3. cap. 5. innuere videtur quòd frequentius fiat in panniculo crasso. postpositis his rationibus, & auctoritatibus; quia vnusquisque nihil in hoc certi habens, profert quod sentit: dicendum duram matrem facilius à causis extrinsecis: piam verò matrem à causis intrinsecis inflãmari, seu apostemari posse. nec sequitur hoc membrum est mollius, & habet plures venas ergo frequentius inflammatur, nam sic pulmo frequentius quam musculi inflammaretur. nec sequitur hoc membrum est ignobilius & capacius ergo frequentius apostematur: quia unguis est ignobilior, & crassior panniculo, similiter os, quam quædam caro non tamen frequentius apostematur.

Nec habeas pro inconuenienti substantiam cerebri (ut scribit Auic.) apostemari posse, licet Serapio contrariũ senserit: nam omnia membra siue dura ut ossa siue mollia, vt cerebrum, & pulmones, dummodo nutriantur, & nutrimento augeantur, & estendantur apostema pati possunt attamen membra dura sicuti ossa, & membranæ frequentius à materia calida tenui, si apostemantur per uiã defluxus. membra verò molliæ à materia frigida, & crassa. quando autem hoc fit per uiam paulatinæ cõgestionis tunc apostema conflatur secundum naturam sui nutrimẽti, & superfluitatis, quæ inde decidit.

Quæritur

Quæritur cur in phrenitide minuitur uirtus sensitiua, & aliquando penitus aufertur. motiua verò permanet, & ad tempus intenditur, & fit vegetior: nam multi phrenetici apparent fortiores in motu, quam essent in sanitate constituti: dicunt hoc prouenire quia cerebrum est principium sensus, & motus: sensus in patiendo: & motus in agendo: quando igitur cerebrum inflammatur materia calida, caliditas illa facit ad agendum, non autem ad patiendum. insuper uirtus sensitiua viget in anteriori parte cerebri: quæ pars in phrenitide maximè læditur. motiua verò viget in cerebro posteriori: ubi nulla, aut parua adest læsio: & quamuis caliditas extranea illi quoque parti communicetur: attamen reddit neruos motiuos sicciores, & per consequens ad motum validiores. in parte anteriori nerui sensitiui nimis exiccantur: & ideò inhabiles reddũtur ad sensum. phrenitis est morbus in quãtitate, in qualitate, & in continui solutione.

Duplex est phrenitis exquisita scilicet, & non exquisita. phrenitis exquisita, & vera est, quæ in loco generatur, ubi princeps animæ pars residet: siue is, qui primo afficitur locus, cerebrum sit: siue membrana tenuis, siue crassa: sat est quòd principes functiones, quæ in ipso cerebro perficiuntur, læsæ sunt.

Phrenitis non exquisita, quę etiam paraphrenitis appellatur fit per consensum quandoq; totius, ut in acutarum febrium statu, ac vigore plerunque accidere solet: deinde rursus in declinationibus cessare: atque id delirij proprium est, quòd febres per tota eorum tempora non perseuerent, sed conquiescant: phrenitis autem vera semper perduret.

Trallianus.

Quandoque phrenitis non exquisita fit per consensum partis, ut septi trãsuersi inflammati, à quo excitatum delirium parum ab eo, quod in vera, & exquisita phrenitide apparet, distat, adeò vt veteres putarint eodem septo transuerso inflammatione affecto (ut testatur Gal.) homines phreniticos euadere: atque ob eandem suspitionem φρένας hoc est mentem, eam partem appellauerunt, tanquam sapienti

de loc. affec. 5. ca. 4.

ſapienti parti conferat quippiam . Quandoque fit per conſenſum ipſius ventriculi malis humoribus repleti : à quibus vapores acres ad cerebrum eleuentur . quandoq; per conſenſum à matrice : à veſica : à renibus: ab inteſtinis : ab hepate : à pulmone : & ab omnibus ferè membris inferioribus .

Phrenitis uera, & exquiſita diuiditur in plures ſpecies: ſed in tres principaliſsimas: aut enim imaginatiua facultas ſolum læſa, ſeruatur autem ipſis ratiocinatiua, & memoria . aut ratiocinatiua ſolum læſa eſt, ſeruatur autem imaginatiua, & memoria : at uerò ubi memoria deperdita eſt in febrilibus morbis, ſimul perit omninò & ratio , & imaginatio . de imaginatiua læſa, manente ratiocinatiua, & memoria, affert exemplum Gal. de ſymp. diff. cap. 3. ipſius Theophili Medici ægrotãtis: qui tibicines quoſdam angulum domus, vbi decubuit, occupaſſe, aſsidueq; ſonare, tum pulſare putabat : atque hos ſe intueri rebatur partim illic ſtantes , partim ſedentes , adeoq; ſine intermiſsione ſonantes, ut neque nocte, neque die uſquã , vel minimum tempus quieſcerent: exclamare igitur non ceſſabat, atque iubere vt domo eijcerentur: poſtquam autem conualuit , tum reliqua omnia, quæ ingredientium quiſque dixiſſet , feciſſetq; narabat : tum imaginationis de tibicinum tedio meminit .

Aetius 5. cap..

De ratiocinatiua facultate læſa, manente imaginatiua, & memoria, attulit idemmet Gal. exemplum cuiuſdam , qui intrinſecus ſibi feneſtras occluſit: ac ſingula vaſa promens accedentes interrogabat, imperarent'ne, ut ea proijceret: illi uerò ridentes, plaudenteſq;, ut ea proijceret rogabant : tum ipſe deinceps omnia arripiens eiecit : at illi magnis riſerunt acclamationibus. poſtea iuberent'ne puerum quoq; proijci cum eos interrogaſſet : atque id illi iuſſerunt : illico ipſum deiecit : quem ab alto cadentem uidentes ſuppreſſo riſu ſtatim accurrerunt, & confractum puerum ſuſtulerunt .

De loc. af fec. 4. c. 2.

Memoriæ læſæ , & cum ea ſimul reliquarum facultatũ, habemus, & ab ipſo Gal. exemplum ſumptũ à Thucydidis hiſtoria :

historia: scribit ille nonnullos, qui à magna illa Athenis peste conualuerunt eatenus omnium, quæ præcessissent oblitos, vt non solum propinquos, sed etiam se ipsos ignorarent.

Sunt qui ponant, vt Aetius, & Auic. in anteriori cerebri parte ipsam imaginatiuam: in medio cerebri uentriculo rationalem facultatem: in posteriore autē circa occiput ipsam memoriam. Sed has animæ potentias secundum cerebri partes esse distinctas non meminit Gal.

Causa.

Causarum phrenitidis aliæ extrinsecæ: aliæ intrinsecę: extrinsecæ seu procatarcticæ esse possunt in primis aer calidus, & siccus: mora sub sole: exercitium vehemens: balneum: fortes capitis frictiones: calidorum appositio, præsertim corpore repleto existente: cibus, potus, vel medicina calida: superfluitatum retentio: crapula: ebrietas, ira: furor: casus: percussio.

Causæ verò intrinsecæ, aliæ antecedentes, aliæ coniunctæ: antecedentes sunt humores tenues, calidi, acuti, apti ad penetrationem in membranas, ut sanguis biliosus, bilis ipsa pallida, vel flaua: & quandoq; humores adusti tenues, vt sanguis, & bilis adusta: frequentius tamen fit à sanguine adusto, & est benignior morbus: deinde à bile siue pallida, siue flaua adusta, & est sæuior: postea ab humore melancholico adusto: & tunc omnium est pessima: nam cum dæmonio esse solet.

Auenzoar tertiò Theisir vult quòd à melancholia fœcali phrenitis causari possit: & quòd licet humores calidi sanguis scilicet, & bilis sæpius faciant negotium, non sunt tamen puri, sed sunt phlegmati aquoso permisti: à quo cerebrum non denudatur.

Causæ coniunctæ sunt idem humores actu apostema facientes. Gal. scribit, quòd idem humor, qui est causa febris ardentis est etiam causa phrenitidis, pro loci, quem tenet diuersitate: nam cum in vasorum capedinibus vna cum sanguine continetur flaua bilis vtcumq; accendatur contingit febres ardentes prodire: præcipuè verò vbi in

De morb. uulg 1. com. 2. tex. 7 5.

vetris, aut iecinoris, aut pulmonis venis bilis efferuescat: at quando ad solidas corporis partes perueniat, ac ea permeet rigorem constituit: sin autem in cerebrum eiusq; membranas impingatur phrenitides inducit.

Signa.

Signa phrenitidem præcedentia sunt dolor capitis, febris continua: vigiliæ incompescibiles: quòd si dormiũt, parum dormiunt: & tunc somniant somnia horrenda: & statim cum clamore, & furore excitantur: interdum maiore cum tumultu, aut temeritate respondent, prȩsertim vbi antea aliquis fuerit mansuetus: atque ij omnes exiguo vtuntur potu. Spiratio ipsis rara est, & magna: pulsus minores, magisq́, neruosos habent: & lucem abhorrent: adest ventris astrictio: vrina emittitur tenuis, pellucida, quæ vrina etiam limpida appellatur, & talis apparet propter fluxum materiæ biliosæ ad superiora, non tamen semper necessarium, ut talis sit eius color, quia datur aliquod corpus in quo bilis sufficiat, & ad phrenitidem faciendam, & ad tingendum lotium. obliuio insequitur irrationalis, ut laborantes aliqui cum matellam petiuissent, meiere tamen neglexerint: aut cum lotium emitterent, ipsam matellam prodere haudquaquam meminerint: sunt procliui ad iram, & odium, absq; manifesta causa: strident dentibus. ad hæc concurrit temperies sanguinea, vel biliosa: ætas iuuenilis, vel puerilis: rarò enim phrenitis in ætate senili fit: & quando fit non euadunt.

Signa.

Signa phrenitidis factæ sunt oculi vehementer squalidi: aut ex altero ipsorum acris lachrima effunditur: ac deinde lippitudo innatat: & venæ ipsorum sanguine plenȩ videntur: & sanguis stillat è naribus, quo tempore nihil, quòd exactè ad prudentiam pertineat respondent: & floccos auellunt, festucas carpunt: atq; aridiore febre continua torquentur: ad hȩc lingua salebrosa, coloris quandoque nigri, quandoq; flaui est. non nulli interdum audiendo falli uidentur: ac interdum mœsti iacent, & prostrati, uix quicquam respon dentes: atque dispositione dolori-

fica

fica affecti, vel acrius premente aliquo, eam minimè sentiunt.

Signa.

Signa phrenitidis à sanguine sunt febris continua: rubedo in facie, & circa oculos: magnitudo pulsus: complexio sanguinea: victus, qui pręcessit, sanguinis generatiuus: insuper delirant cum risu: & anhelitus magis, quàm in aliis phrenitidis speciebus magnificatur, cuius causa est magna necessitas, & conueniens obedientia instrumentorũ pectoris ad dilatationem, non enim exiccantur, & indurãtur, vt in phrenitide biliosa. destillatio sanguinis per nares, vt plurimũ superuenire solet: item lachrymæ ab oculis destillare solent: eorum lingua crassescit, & redditur tarda ad loquendum: quę in principio apparet aspera, rubea, in processu verò nigrescit: & imaginantur se res aspicere rubeas: & inquieti modo sedẽt, modo stant, absque ratione: & causa est, quia calor incitat ad surgendum, & ad motum, sed grauitas propter sanguinem opprimit, & erectionem prohibet.

Signa.

Signa phrenitidis à bile sunt fębris continua causonica: vel tertiana continua: mentis alienatio: corporis agitatio: capitis leuitas, nõ quidem absoluta, sed respectiuè ad phrenitidem sanguineam: uigilia intensa propter caliditatem, & siccitatem ipsius bilis: oculi fiunt ualdè mobiles, quos sæpè fricant propter pruritum, & mordicationem ab humore acri concitatam: lingua fit aspera, citrina, & tandem nigrescit: imaginantur se aspicere res flauas, fiũt maniaci, rapaces; in disceptãdo audaces, garruli, litigiosi, rixosi, & incautos assidentes quandoque uerberãt: in istis nares attenuantur circa extrema: frons ad superiora contrahitur, ac conuulsione quadam afficitur.

Signa.

Signa phrenitidis à bile adusta sumuntur ab oculorum obscuritate, & cauitate, à colore cutis atro: à propria, & naturali ægrotantis temperie: à uictu præcedenti atræbilis generatiui: à symptomatibus horrendis, quoniam hæc phrenitidis species est cum dæmonio, cum saltu, cum rixa, &

xa, & inquietudine: magnificatur anhelitus, non quòd instrumenta ſint magis obedientia dilatationi, imo ſunt minus propter maiorem ipſius humoris ſiccitatem: ſed quia fixi perſiſtunt in ſuis imaginationibus, & anhelare obliuiſcuntur: tandem à neceſſitate coacti magnum emittunt anhelitum: inquirunt, & contrectant manibus modo hanc, modo illam rem, neque hanc, neque illam accipiunt: lingua ſtatim arida, & nigra apparet.

Signa phrenitidis à qua nulla ſperatur ſalus, ſunt febris acuta: pulſus paruus, & creber: uentris conſtipatio: vrinæ retentio, quòd ſi ad eius emisſionem irritantur, ipſam emittunt aquoſam, cum prius eſſet rubea: crura conueluntur: abhorrent lucem: vigilijs infeſtantur: iactant hinc inde manus: floccos, & feſtucas carpunt: interogati uix reſpondent: fatua dicunt, & quæ ab alijs intelligi non poſſunt, nam imperfectus, & irrationalis eſt eorum ſermo: horrendum aſpiciunt, oculis quandoque lippis, quandoque lachrymantibus, & quandoque ſiccis: extrema ſunt frigida, interiora vruntur: & huiuſmodi ſignis apparentibus rarò vltra quartum euadunt diem.

Signa non exquiſitæ, neque veræ phrenitidis procedentis non à cerebro, ſed ab aliqua alia parte: ſunt quia in hac, vt in vera non adeſt perpetuum delirium, niſi à ſepto tranſuerſo proueniat, cuius vitio excitatum delirium parum à continuo diſtat. item hæc non vera phrenitis, diſtinguitur à vera ex oculorum accidentibus, & ſanguinis à naribus ſtillis, atque ſpirationis ſpetie: quippè (ut dictum eſt) in vera phreneſi ſpiratio magna eſt, & ex longis ſemper interuallis: cōtra ubi à ſèpto oritur delirium, inæqualis, ut modò exigua ſit, atque frequens, modò magna, & anguſtioſa.

Gal. de loc affe. v. cap. 4.

Rurſus præcordia intendi proprium inditium eſt illicò ab initio ſepti tranſuerſi affecti, id quòd affecto cerebro poſterius accidit. Calor quoq; circa caput, & faciem vehementior eſt ijs, qui ob cerebri vitium delirant: &, vt ſumatim dicam, eorum ſignorum, quæ phrenitidem antecedere diximus, aut nullum apparet, aut ſi apparuerit

rit aliquod id perexiguum eſt in his, quibus ſeptum inflammatione laborare incipit. pariter phrenitici ueri à reliquis delirantibus per conſenſum diſtinguuntur per febrem acutam, & per deliria in his non ita ualida, neq; perpetua, ſed auctam febrem ſequuntur, ea uerò remiſſa quieſcunt.

Signa, per quæ poſſumus cognoſcere, an apoſtema ſit in cerebro, vel in eius membranis ſunt: quia ex apoſtemate cerebri dolor eſt obtuſus, & adeſt rubedo, aut flauities in oculis, ita ut appareant ophthalmici, & pulſus eſt undoſus. Contraria ſigna ſequuntur apoſtema membranarum eius, nam oculi uidentur quaſi exeuntes, & dolor præter modum affligit, propter meningarum extẽſionẽ.

Prognoſtica.

Phrenitis terminatur multis modis, quandoque ſuppuratur: quandoque reſoluitur: quandoque permutatur ad aliam ægritudinem: & quandoque per uiam criſis euacuatur. Salubris eſt illa, quæ reſoluitur, & quæ criticè euacuatur, inſalubris uerò, & periculoſa quæ ſuppuratur, & ad aliam permutatur ægritudinem, ſicuti ad lethargum, ad hecticam, & ad ſphacelum.

Phrenitis in lethargum mutatur, uel quia materia pituitoſa tranſit ad partem poſteriorem: uel quia bilis cum pituita admiſta reſoluitur per inſenſibilem euaporationem: & pituita ipſa remanens, & occupans cerebri partẽ poſteriorem cauſat lethargum: uel quia in phrenitide ſanguinea quandoque localia nimis frigida adhibentur, quę infrigidant ſanguinem, & reddunt ipſum pituitoſum.

Phrenitis à materia bilioſa quandoque permutatur in hecticam ob intenſam caliditatem, quæ adurens exiccat membra, & in eis habitum febrilem imprimit: quandoq; non permutatur ad hecticam, ſed hectica illi aſſociatur, & complicatur: & læthifera eſt.

Phrenitis tàm à materia ſanguinea, quàm bilioſa quandoque in ſphacelum permutatur: & tunc æger triduo moritur, ut ſcribit Hipp. inquiens, quibus cerebrum ſphacelatur, hi triduo moriuntur.

Phrenitis ex bile adusta, uel ex melancholia adusta quã doque permutatur ad maniam dæmoniacam: uel potius cum mania complicatur: & moriuntur.

Phrenitis non uera quandoque ad ueram permutatur propter malam intemperiem impressam à uaporibus calidis, & siccis eleuatis à partibus communicantibus.

Crisis in phrenitide fit ut plurimum per sudorem: uel per fluxum sanguinis ex naribus: uel per hemorrhoidum apertionem: quandoque per deriuationem materiæ ad loca glandulosa post aures.

Senes à phrenitide non corripiuntur: & qui corripiuntur, non euadunt.

Phrenitis, quæ fit in dura membrana proculdubio mala est: peior autem quæ fit in tenui meninge: sed omniũ pessima, quæ fit in substantia cerebri.

Quando in phrenitide apostema ita augetur, ut separet commissuras: & tumor in partibus extrinsecis iam apparet, læthale est.

In phrenitide permistio rationis cum fletu, & risu: malum.

Phrenitis facta ex permutatione peripneumoniæ ad ipsam mortalis est: quod dictum sit tàm de phrenitide non uera, facta à multis, & malignis fumis à pulmone inflammato ad caput transmissis, quàm de phrenitide uera, facta ex permutatione symptomatica ipsius materiæ ad cerebrum.

Hipp. 6. Aph. 12.

Conuulsio phrenitidem subsequẽs præsertim ob siccitatem mortalis est.

Vomitus bilis rubeæ, aut flauæ, ad quem nullum sequitur leuamen malus: mortalis autem uomitus bilis æruginosæ.

4. Aph. 72

Quibus phreniticis urinæ emittuntur claræ, limpidæ, aquosæ: ita malæ sunt, ut Gal. ipse nullum uiderit phreniticum, in quo talis urina apparuisset saluatum. pariter alba deiectio mala est, ut idem primo prorrh. tex. 13. ostendit.

Phrenitis, quę cum risu incipit, & cum risu perseuerat

minus

minus periculosa: unde Hipp. desipientię, quæ cum risu fiunt securiores. 6. Aph. 53

Si phreniticus bibens aquam suffocari uideatur anhelitu ipsius impedito, citò morietur.

Si phreniticus desiderat aquam, & parum bibat: quia uarijs distrahatur imaginationibus: malum.

Vocis interceptio, aut propter conuulsionem, aut quia loqui obliuiscuntur: malum.

In phrenitide anhelitus diuersus, & inordinatus, aliquando interceptus propter doloris uehementiam: aut quia anima est ad aliud conuersa, vnde anhelare obliuiscuntur: malum.

Cura.

In principio quoniam phrenitis est morbus acutus nō dans inducias festinandum est: nam si expectaueris quan diu materia fuerit fixa incassum laborabis. Cura quidem est possibilis, sed non apud negligentes, & ignauos. accersitus itaque statim (lenita aluo clysteri, uel aliquo lenitiuo per os assumpto, si per se non fuerit lubrica) copiosā facies phlebotomiam: dummodo uires, & ætas, & cætera consentiant: imò, sanguine peccante, æger in phlebotomia ducendus est usque ad syncopim exclusiuè: quam sin copim propinquam cognoscere poteris, tangendo pulsum: & quando tremulum inuenies, & descendentem ad percussiones minores, ut assimiletur caudæ muris in acu tum tendentis: & sit diuersus, & inordinatus: & eius percussio modo sit magna, modo parua nullum in hoc seruans ordinem: tunc syncopis est in propinquo: igitur sanguinem supprimere debes.

Quòd si bilis peccauerit uel adusta, uel non adusta, & fuerit cum sanguine educibilis pariter fienda phlebotomia, sed non ita copiosa: nam phlebotomia ducens ad syn copim timenda est in corporibus biliosis.

In omnibus itaque phrenitidis speciebus semper uenæ sectio conuenit, obseruatis conditionibus obseruandis: nisi phrenitis esset à bile pura adusta, uel nō adusta intensæ acuitatis, & à sanguine separata, quæ non posset cum

ſanguine educi: imò per ſanguinis miſsionem timeretur de eius ebullitione, & furia.

In phrenitide ſanguinea phlebotomia cōpetit per ſe, & directè. In bilioſa autem competit per accidēs, & indirectè: ſcilicet in quantum prohibet fluxum humoris, ne tendat ad locum dolentem: & in quantum euacuans ſanguinem, euacuatur aliquid de bile: unde natura redditur potentior ſupra reſiduum.

In phrenitide ſuperuenienti alijs ægritudinibus, ut puta febri: de phlebotomia diſtinguendum eſt: nam aut fuit facta in principio febris, uel alterius morbi præcedentis, aut non: ſi non fuit facta, fiat incipiente phrenitide, eo modo, quo ſupra dictum eſt: ſi uerò fuit facta, ſed non ſufficienter, tunc eam reitera, & tantum ſanguinis extrahatur, quantum ad prohibendum apoſtema ſufficiat. Sin autem copioſè facta fuit: tunc de ea reiteranda, non eris amplius ſolicitus, ſed eius uice hyrudines apponito ſuper uenam frontis, aut ad extremitatem naſi, aut poſt aures.

Et, quia multum ſcire refert, quæ nam uena in hoc affectu prius ſecari debeat: dico quòd tres dantur caſus: in quibus uenæ longinquæ, ueluti ſaphenæ ſecari prius debent: primus caſus eſt, ubi corpus eſſet plethoricum: & tunc poſt phlebotomiam ſaphenarum, quæ ut dixi præcedere debet, interpoſito duodecim horarum ſpatio, ſecabis uenam communem: tertiò uenam cephalicam in manu, ſi maiorem quæris diuerſionem. In brachio ſi quæris maiorem euacuationem. poſtea ſecabis uenam frōtis, aut naſi, aut per hyrudines ab ijſdem euacuabis. Secundus caſus eſt, ubi phrenitis acciderit ob mēſium, aut hæmorrhoidum retentionem: & tunc ſectio uenarum, quæ ſunt in curuatura poplitis præcedens multum confert: quæ ſi fieri non poteſt, ijſdem locis cucurbitulæ ſcarificatæ, uel hyrudines applicentur: & procede ut in primo caſu. Scire tamen debes quòd in phrenitide ab hæmorrhoidibus retentis, hyrudines ano appoſitæ præſentaneum ſunt auxilium.

Tertius caſus eſt, ubi phrenitis ſuccederet alteri morbo;

bo, scilicet sinochæ, causoni, & tertianæ continuæ: & in omnibus his, in quibus materia trãsmitteretur à membris inferioribus, & propriè infra hepar ad superiora. post quam phlebotomiam secentur aliæ uenæ, si necesse fuerit, ut supra.

In omnibus alijs casibus communiter cephalica, uel iecoraria, uel media prius secari debet in parte opposita si maiori intendis diuersioni. In parte læsa, quando maiori intendis euacuationi. deinde phlebotomentur aliæ uenæ particulares, ut dictum est, uel hyrudines illis applicentur.

Aliquando tamen possumus exordiri à phlebotomia particulari ut à uena frontis, uel narium, non præmissa uniuersali: ut v. g. Si corpus non esset positum sub dominio sanguinis: uel si in principio phlebotomia uniuersalis necessaria existens, dimissa fuisset: & iam tota materia non amplius in fluxu, sed fluxa esset.

Quod si phlebotomia uniuersalis, nec particularis fieri poterit propter ętatem scilicet puerilem, uel propter aliã causam: hyrudinum appositione, & cucurbitulis cum scarificatione succurrendũ est. Interim cauere debes ut uitta super uenam phlebotomatam sit eo modo ligata, ut nec per motum, neque per ipsius infirmi irrationalem agitationem remoueri possit. quandoq; enim ob imaginationem corruptam, ab ipso dissoluitur, & abijcitur.

Post hæc ad ipsa medicamenta uentris eductiua deuenies. Si corpus exiccatum fuerit cassia fistula, manna, prunis, tamarindis, uiolis, & similibus uti poteris. quòd si phrenitis fuerit cum furia ob multitudinem bilis peccantis licebit in principio uti medicinis scammoneatis, nedũ alijs mitioribus: nam exrremi morbi extrema remedia requirunt, ut dicit Hipp. Est sententia nonnullorum, quòd in phrenitide biliosa, post euacuationem per pharmacũ electiuè trahens, phlebotomia sit etiam admittenda, parca quidem, & solum quatenus per eam euacuatur sanguis ebullitioni dispositus, & aptus ut in naturam bilis conuertatur.

Medicamentum conueniens in phrenitide à bile non adusta erit hoc quod sequitur.

R.casiæ fistulę ℥.s.Rhabar.electi puluerizati ʒ.ij.seri caprini ℥.v.misce,& exhibe. Aliud

R.pulpæ tamarindorum ℥.s.Rhabar.ʒ.ij.cum aqua hordei fiat potus. Aliud

R.mannæ electæ ℥.ij. pulpæ tamarindorum ℥. s. elect.de succo ros.ʒ.j.dissoluantur in decocto prunorum,colētur, & in aurora propinabis. Si uerò materia fuerit adusta, addatur ipsis prunis inter coquendum senæ, epithymi, polypodij,an.ʒ.ij. Aliud solutiuum bonum Nicoli.

R.florum uiolarum, nympheæ, boraginis, buglossæ, fumiterræ ana p.j. pruna num.x.seminis endiuiæ, seminum maiorum frigidorum ana ℥.s.coquantur simul in aqua, & colentur, & in iure colato q.s.dissoluatur tamarindorum, mannæ, uel casiæ nuper tractæ ana ℥.s.elect.de succo ros. ʒ.ij.misce.

Sciendum est, quòd huiusmodi medicamenta eductiua, exhiberi debent in forma lubricæ potionis: non autē in forma pilularum: quoniam, cum morbus sit biliosus, & calidus, imminet timor nimiæ exiccationis, quæ à medicamento actu humido non æquè benè causari potest: præterea pilulæ ipsæ cum sint duræ diutius in uentriculo morantes trahunt ad uentriculum humores acres, & biliosos, qui euaporantes ad caput augent phrenitidem: at à medicamento humido citò ad intestina descendente hoc expectandum non esse satis constat.

Circa euacuationem per uomitum, dico quòd uomitus fortis, & laboriosus, siue spontinus, seu arte prouocatus rarò laudandus est, mouet enim materias ad caput, & exagitat. Ideo auctores in cura huius affectus de tali uomitu nullam fecere mentionem. Auic. tamen de uomitu leui inquit, & multoties accidit eis uomitus, & iuuantur eo, præsertim quādo aliqua materia euaporans ad caput in uentriculo contineretur: qui uomitus facilior fieri poterit exhibēdo aquam tepidam simul cum oleo rosaceo, uel uiolaceo humectandi, & refrigerādi causa: prout monet

net Alex. Trallianus noui autẽ me (inquit) etiam hydre-leo uſum in quibus ſiccitatem immodicam, & bilem ſupe riora occupare, nihilq; ab inteſtinis notatu dignum ex-cerni uiderem: hinc calor mitigatus fuit, & uiſcerum in-cenſiones, inflammationeſq; relaxatæ, bilioſa per aluum, & uomitiones excreta, ut æger non multis adhuc diebus ad uniuerſum prorſus morbum depellendum indigeret.

Digerentia materiam phrenitidis ſunt ſyrupus uiola-ceus, de nymphea, de portulaca, de endiuia, de papauere, de limonibus, oxiſacchara, cum aquis, uel decoctis endi-uiæ, portulacæ, oxalidis, & ſimilibus. Syrupus de papa-uere in hoc eſt præſtantiſsimus.

Digerentia in principio non exhibentur, quoniam ma teria eſt turgẽs, & furioſa: quæ feſtina indiget euacuatio-ne, non autem concoctione: poteris tamen concoquere inter euacuationem, & euacuationem, uel quotieſcunq; materia non eſſet multum furioſa, ſed mitis, & daret in-ducias ad regulariter operandum.

Pro illis autem euacuandis, qui medicamenta per os aſſumenda abhorrent: & nullo mortis timore ad ea indu ci poſſunt, uſus enematum, & glandium tibi reſtat. enema ta, ſeu clyſteria ſint lenia, refrigerantia, & humectantia: niſi fęces eſſent nimis exiccatæ, & cum lenientibus mun-dari non poſſent: nam tunc eorum uis augeri, & mordica tiuis, & naturam ad excretionem ſtimulantibus admiſce-ri debent: & præſertim finitq fluxu, & remiſſa caliditate, & furia ipſius materiæ. Clyſter conueniens ſit ut

R. maluarum, mercurialis, florum uiolarum, nymphea, lactucæ, ſingulorum m. j. hordei ℥. j. coquantur omnia in aqua fontis. q. ſ. & iuris colati accipe lib. j. olei uiolati ℥. iij. ſacchari rubei ℥. ij. caſsiæ nuper tractæ ℥. s. ſalis commu nis ʒ. ij. miſce, & ante cibum indatur. uel

R. ſucci bliti lib. j. olei uiolati ℥. iij. ſalis ʒ. ij. uel

R. foliorum bliti, maluæ, mercurialis, uiolarum, lactu-cæ, ſcariolæ, ana m. j. coquantur in aqua hordei, colentur: cuius decocti accipe lib. j. ſacchari uiolati, olei uiolati an. ℥. ij. elect. de ſucco roſ. ʒ. iij. miſce, & fiat ut ſupra.

Glandes, seu ipsa suppositoria sint ex speciebus hyeræ picræ simpl. Gal. ex melle, & sale. uel (uirtute sopita existẽte) ex speciebus hyeralogodionis, ex puluere centaureæ, ex melle, & sale: quibus etiam: si acutiora facere intendis: tantillum diagrydij addatur.

Interim capiti abraso repercussiua super commissurã coronalem sunt adhibẽda ex oleo rosaceo, aqua rosacea, & aceto, diu agitatis, deinde tepefactis: nam inflammato cerebro, uel membranis eius, frigiditas tuta non est, sicut neque uehemens caliditas: Si quidem frigiditas constringit meatus, neque sinit excrementa è capite discuti: caliditas autem feruorem in capite auget. poterit insuper parari decoctum ex rosis, uiolis, hyosciamo, lactucis, nymphea, capitibus papaueris, cui admiscendo rosacei, chamę melini quantum sufficit, aut rosacei in æstate, & parum aceti, irrigatio supra caput fiet. odorata quoque naribus obijciemus, rosas, uiolas, nympheæ flores, & huiusmodi. nares quoque ipsas intus succis prædictorum medicamentorum illinemus. & sternutamenta prouocabimus non cũ electuario, uel puluere uehementer calido, & sicco, ut piperis, uel hellebori: sed cum puluere caphuræ insufflato: aut cum penna intincta in oleo uiolaceo: in quo puluis caphuræ sit admistus, & profundius naribus immissa: uel cum setis porcinis, aut festuca pariter naribus immissa. & hæc fiant ante morbi confirmationem: quo etiam tempore uarias diuersiones moliri poteris cum ligaturis extremitatum, cum frictionibus, cucurbitulis, & crurum, & manuum ablutionibus. & per interualla parum ex infrascripto electuario ad bilem compescendam exhibebis: & ad conciliandum somnum: quòd recipit mucillaginẽ psyllij infusi in aqua anguriæ ℥. iiij tragacanthæ, gummi arabici, seminis citruli, melonis, cucurbitæ mundati ana ℥. j. amyli ℥. s. seminis portulacę, & hyosciami contusi ana ʒ. ij. sacchari albi ℥. j. s. misceantur, & utitor: dosis sit usque ad ℥. s. pro uice.

Et quoniam somnus est ipsorum delirantium maximum remedium: non ab re fuerit nonnulla commemorare,

rare, quibus tàm intus, quàm extra adhibitis conciliari posſit: pro oxirhodino itaque, ac iam dicta irrigatione poſſet caput inungi ex oleo de nymphea, uiolaceo, de papauere cum pauco aceti: aut decoctum fieri ex lactucæ folijs, uiolarum tum folijs, tum floribus, hyoſciamo, roſis, capitibus papaueris albi, mandragoræ pomis, uel radicibus, aliquid aceti admiſcendo, ex eoq; uel caput irrigando, uel ipſum olfaciendo. Nares præterea, ac frontem, & tempora illines ex unguento populeone. Sub ceruical capita papaueris, aut poma mādragoræ ſubdantur ex Aetij monitu. Confert etiam ad ſomnum ſilanus iuxta cadens, hoc eſt aquæ riuus, ut inquit Celſus. In potu danda eſt aqua: in qua ſemen papaueris, aut hyoſciami ſit decoctum.

Denique, his parum proficiētibus, ad antidota ſomnifera confugies: ut ad tripheram magnam, ad requiem Nicolai, ad philonium Romanum, vel Perſicum: in quorum adminiſtratione, illud obſeruandum eſt, ne in uigore, ſed in exacerbationis declinatione dētur. At aſsiduum uſum medicaminum ſtupefacientium, potionum, irrigationū, ac linimentorum uitare oportet: facilè enim in his (ut inquit Aetius) qui nimis perfrigerantur trāſitus fit à phrenitide in lethargum: quo fit, ut quem obdormire uolumus, excitare poſtea non poſsimus. Si enim uires imbecillæ fuerint, tunc maximè uitabis ne quid torpori, ſomnoq; inducendo accommodum exhibeas: nā in his, qui infirmas uires habent (Tralliano teſte) nō uulgaris noxa, imò interdum mors talium potionem comitatur. Domeſticum ſomniferum eſt hoc.

R. conſeruæ uiolarum, nymphææ ana ℥.s. ſeminum papaueris albi, hyoſciami ana ℥.j. ſacchari quantum ſatis ſit.

In morbi augumento uſque ad medium ſtatus, hoc eſt tranſactis quatuor diebus, diſcutiētia medicamēta ſimul cū ipſis repercutiētibus ſunt admiſcenda: in quē uſum cō memoratam irrigationē admouere licebit, ſuper additis florib. chamęmeli, anethi, meliloti, altheæ, & ſimilibus.

Et quoniam inualuit conſuetudo, ut indiſcriminatim, in

in omni phrenitidis specie tàm in principio, quàm in alijs tẽporibus arietum pulmones, catuli, galli, palumbes per medium scissi, & adhuc palpitantes super caput patientis apponantur, dubitat Gentilis maximus interpres Auic. vtrum hmõi remedium in hoc affectu absolutè conueniat: & uidetur quòd nõ cõuenit, nã nec Auic. nec Rasis, 9. Almans. nec Mesues, nec Halyabbas, nec Abinzoar, nec Alexander, neque alij antiqui Illustres Scriptores ullã de tali remedio fecere mentionem: & videtur incredibile quòd tot Doctores celeberrimi tam famosum remedium (si necessarium fuisset) sicco pede præterijssent. insuper quòd materias trahit ad caput non conuenit, sed talia animalia trahunt materias proprio actuali calore, & uirtuali, sunt enim calidæ complexionis, ergo & cætera.

In contrarium sunt omnes Neoterici practicantes, pro solutione huius dubij sciẽdũ est, quòd etsi Auctores Græci, & Arabes de hoc remedio non meminerint: non tamẽ neganda est eius utilitas. vnde quidam ex recentioribus, ut Theodorus Priscianus, præcipiunt pulmonem ueruecis, uel pecudis, quamprimum ab animali extractum est calidum adhiberi, quidam catulum per medium scissum magis probant: quidam gallum: alij uerò columbã: sunt qui applicant gallum scissum, & in aceto madefactũ. sunt denique qui pulmonem arietis aliquo decocto rerũ uel frigidarum, uel callidarum (prout illis magis expedire videtur) imbibitum adhibent. His præmissis, dicendum quòd phrenitis uera, de qua loquimur, uel est in principio, uel in augumento, uel in declinatione. In principio, & in augumento usus pulmonis, uel dictorum animaliũ non competit: ratio est, quia in principio oportet uti puris repercussiuis: in augumento uerò repercussiuis cum resolutiuis: talia autem animalia quando pura applicantur non repercutiunt, quia calida: uerum infusa in aceto, uel in aliquo decocto conuenienti in augumento conferre possunt. & ego quandoque usus sum pulmone arietis infuso in decoctione capitum papaueris, rosarum, uiolarum, hordei, chamæmeli. In statu autem: nullo amplius

exi-

existente fluxu: prædictis, & præsertim pulmone tutius uti poteris: nam in pulmone satis tepida, & mollis inest caliditas: unde resoluit sine attractione, & leuiter mollificat: & expertus sum quòd somnum inducit. Gallus uerò, uel columba, uel canis, materia multum calida peccante, non penitus tutò adhibentur. Si autem phrenitis fit in declinatione usus istorum magis est securus: conferunt enim resolutionem perficiendo. debet Medicus con siderare excessum caliditatis materiæ: ad quem respicien do, utatur modo cane, modo pulmone, modo gallo, modo columba, ut expediens fuerit.

Notandum est, quòd phrenitis non uera, quandoq; causatur ab aliqua materia uaporosa in capite retenta, quæ usu prædictorum localium curatur: & indocti putant hominem à uera phrenitide curatum fuisse. Ego etiam uidi quosdam ranas scissas capiti adhibentes: quosdam autem non scissas, sed uiuas, & somnum inducunt: sicut in doloribus iuncturarum quandoque præcipiuntur, & fortasse melius conueniunt in augumento ueræ phrenitidis.

Post morbi confirmationem: idest in ipso statu, nullum frigidum actu, uel potentia capiti applicetur, nisi aliqua intentio prouocandi somnum tibi superesset.

In declinatione, & fine phrenitidis si uestigia aliqua delirij, uel aliquæ malæ dispositiones relictæ fuerint ex uaporibus non benè resolutis, fiãt embrocæ super caput ex decocto florum chamæmeli, anethi, amaraci, rosarum rubearum. uel ex decocto altheæ, meliloti, anethi, fænugræci, chamæmeli, & similium.

Circa debitam administrationem sex rerum non naturalium: in primis aer, in quo patiens degit, inclinet ad tẽperatum: ut sit neque nimis crassus, neque humidus, neq; frigidus, neque nimis calidus, ne capiti meatuũ dẽsatio, aut repletio superueniat: in quo animalis spiritus tempe rie ipsius refocilletur, ac relaxetur. sit redolens ex asper sione florum, & foliorum benè olentium, nec non asper sione aquæ rosaceæ. sit magis lucidus, quàm tenebrosus, ut æger per huius sensum ad cõsuetorum perceptionem,

ac

ac conſcientiam perueniant: & hæc fuit Tralliani ſenten tia. Sed quo ad lucem, & tenebras ſpectat, uoluit Aetius, quod hi, qui ad lucis ſplẽdorem reſipiſcunt, in loco luci do detineantur: & qui ad lucem effrenãt in tenebricoſa domo degant. Celſus his utitur uerbis, ferè uerò antiqui tales ægros in tenebris habebant, eo quòd eis contrariũ eſſet exterreri, & ad quietem animi tenebras ipſas confer re aliquid iudicabant. At Aſclepiades tanquam tenebris ipſis terrentibus in lumine habendos eſſe duxit. neutrum tamen perpetuum eſt: alium enim lux, alium tenebræ ma gis turbant: reperiunturque, in quibus nullum diſcrimen deprehendi uel hoc, uel illo modo poſsit. optimum itaque utrumq; experiri, & habere eũ, qui tenebras horret, in luce: eum, qui lucem in tenebris. at ubi nullum ta le diſcrimen eſt, æger, ſi uires habet, loco lucido, ſi non habet, obſcuro continendus eſt. & à thalamo, in quo decumbit, abſit hominum frequentia, flatus, ſtrepitus, & picturarum uarietas. Ingrediantur ad ipſum amici quidem gratiſsimi: qui oportunè interpellent, & nonnunquam blandè, & leniter alloquantur, nonnunquam acerbius increpent.

Cibus ſit ptiſanæ cremor, aut panis in aqua ebullitus, & ſeminibus melonis contuſis conditus. ex oleribus ueſcantur intybo, lactuca, & malua elixis: eiuſque generis alijs: quæ refrigerare, atque humectare poſſunt. in morbi declinatione piſces ſquamoſi, & ſaxatiles dari poſſunt: mala quoque punica, & cotonea cocta ſunt offerenda, cerasa, & perſica, pariter, ſed raro, & pauca.

Potus ſit aqua: in qua parũ cinnamomi, aut hordei ſit decoctum, aut aqua cocta cum uino granatorum admiſta, bibere autem ipſos crebrius, & paulatim aquam tepidam conducit (dicebat Trallianus) neque enim multam potionem appetunt: neque iuuantur ſi cumulatè bibant. frigidam autem aquam per ſe ſolam uitare oportet, eò quòd tuta non ſit: nam ſi inflammatio circa ſeptum transuerſum, aut aliam quampiam particulam inuenta fuerit, non exiguum periculum ſequitur. At ubi concoctionis

Hinc eſt quòd Hip. 1. prænot. & 6. epid. part. 11. aph. 6. Βραχυπότας nominat.

nis notæ in lotio apparuerint, & febris uehementia remi ſerit, atque uires non ſatis robuſtæ fuerint, uinum tenue, & aqua dilutum, quod ολιγοφόρον Græci nuncupant, dandum. quòd tutius certè fit in iis, qui ſani hoc bibere con ſueuerunt, & uentriculum natura imbecillum, ac frigidum obtinent.

In ocio, & quiete ægri detineantur, ſi diuites fuerint famulorum aſsidẽtium adminiculo, ſin pauperes uinculis; nam inordinatus motus uires deiicit.

Somnus prouocetur omni ingenio (ut dictum eſt) ad quem multum confert balneum aquæ dulcis tepidũ, modo corpus ſqualidum, & aridum ſit. neq; enim mali quãtitas tantum, quantum ipſa nocet ariditas, ac uigiliæ immodicæ: quare, cum balneum humectet, & refrigeret, nõ ſolum ſiccitatem, uerum etiam immodicas uigilias, mentiſque alienationem una cũ febre profligare poteſt: eius tamen uſus ſemper ſit (prius uacuato corpore.)

Vẽter ſit lubricus: quòd ſi naturaliter nequaquam ita ſe habeat: clyſterijs, & ſuppoſitoriis, ſaltem alternis diebus leniri debet. & quoniam urinam emittere obliuiſcuntur: prouocari debet ſcalpendo inter anum, & uirgam, ubi eſt collum ueſicæ, aut cimicem, uel ſexcupedem in orificio virgæ imponendo: & his non ſufficientibus, ueſicæ regionem comprimendo, & fouendo cum oleo de parietaria, & ſimilibus. præterea ſupramodum officiũt phreneticis animi perturbationes, proinde nihil, quod mœſtitiam inferat, aut feruorem bilis augeat ijs permittendum eſt. Caueant aſsidentes ne æger exiliat per feneſtras: ne enſem, bacculum, aut aliquod telum arripiat: & ne ſeipſum, aut alios percutiat, aut interficiat.

Ad ſuccurrendum autem linguæ ſiccitati, & aſperitati abluatur os aqua pſyllij, & oleo uiolaceo.

Cura.

Cura paraphrenitidis: ideſt non ueræ phrenitidis, quæ aliorum membrorum ſequitur ægritudines, licet inter ipſarum febrium accidentia, tractanda ſit: attamen ſcire debes, quòd omnia illa localia, quibus uera phrenitis curari ſolet:

ri solet: in hac pariter conueniunt: at phlebotomia vniuersalis in hac, ut in uera, non est fienda, quoniam natura debilitata ex afflictione præcedentis morbi impedit phlebotomiam uniuersalem: quòd ferè semper uerū est: in corpore tamen multum repleto, in quo uirtus sit ualida: & in quo times ne paraphrenitis in ueram phrenitidē euadat: phlebotomia uniuersalis fieri potest: idē de pharmaco tàm lenitiuo, quàm solutiuo statuendum: euacuatio tamen leuior, & minor in hac conuenit. reliqua uerò omnia, per quæ natura non multum prosternitur, possunt fieri absque periculo, ut in cura ueræ phrenitidis dictum est.

De Lethargo. Cap. II.

Ethargus dicitur ἀπὸ τῆς λήθης, idest obliuione, & ἀργῆς, idest inertia: ac si diceres inernem obliuionem.

Celsus li. 3. c. 20.

Est enim marcor quidam, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas cum obliuione omnium rerum. latinè ueternus, ab Auic. sirsen frigidum appellatur. est affectus phrenitidi contrarius: in qua homines dormire, in hoc autem expergisci non possunt. & connumeratur inter symptomata functionum principum memoriæ scilicet, ac rationis abolitæ, imaginationisq; infirmæ, & ueluti deficientis: & hoc symptoma sequitur non tantum inflammationem cerebri à pituitoso humore, uerum etiam ipsam putredinē ex pituita citra inflammationem in ipso cerebro ortam. & tametsi sit symptoma, consideratur tamen, & definitur ut morbus: unde Auic. ĩquit lethargus est apostema phlegmaticum factum intra craneum in cerebro, uel in panniculis eius, uel in utrisque excitatum: quod apostema uocatur ueternus, seu lethargus, quia semper aduenit cum obliuione inerti, & cum somno. & quando fit in cerebro, aut fit in eius substantia, aut in meatibus, aut amphratibus,

Gal. de locis aff. 3. & de sympl. diff.

bus, aut in uentriculis: & quando fit in membranis, aut fit in dura, aut in pia matre, aut in utraque: ueruntamē Auic. innuit, quòd ut plurimum fit in meatibus ſubſtantiæ cerebri, abſque uelaminibus, & uentriculis, & eius ſubſtantia: ratio eſt, quia pituita rarò congregatur, & penetrat in panniculos cerebri propter ipſorum duritiem: neque in ſubſtantiam cerebri propter ipſius uiſciditatem. ex hoc enim quòd pituita non facilè penetrat ſubſtantiam cerebri, ſequitur quòd non facilè penetret in uentriculos: qui intra ſubſtantiam cerebri ſunt locati. unde quidam dicũt ſi in uentriculos penetraret, faceret epilepſiam, aut apoplexiam: & non lethargum: poſsibile tamen eſt ut fiat talis penetratio, ſed rarò: ſicut etiam rarò accidit, quòd pleuritis fiat à pituita propter eãdem rationem, ideſt propter difficultatem penetrationis materiæ uiſcidæ in ſubſtantiam duram.

Duplex eſt lethargus uerus ſcilicet, & non uerus: lethargus verus eſt apoſtema à materia frigida, ut plurimum pituitoſa intra craneum: cuius inſeparabile accidens eſt obliuio, & ſomnolentia: dixi ut plurimum fieri à materia pituitoſa: nam quandoque (licet rarò) fit ab ipſo humore melancholico. Lethargus non uerus, ſed nothus fit abſq; apoſtemate in capite, ſed per conſenſum aliarum partiũ: à toto, ut in febre quotidiana, ſeu hemitriteo. à membro particulari ut à pulmone apoſtemate pituitoſo laborante. & hic lethargus modo adeſt, modo abeſt, modo intenditur, modo remittitur, ſecundum motum, & quietem, incrementum, & declinationem ægritudinis, quã ſequitur: & ſecundum quòd uapores pituitoſi, frigidi, & humidi, plus, uel minus aſcendunt: qui lethargus nothus poteſt etiam fieri à mala intemperie frigida, & humida cerebri ſine materia, uel cum materia: & huiuſmodi lethargo notho laborant ſæpiſsimè ſenes decrepiti: in quibus ob calorem diminutum, neque excrementa pituitoſa, neq; uapores diſcutiuntur. hinc patet quando lethargia eſt morbus, & quando eſt ſymptoma. eſt autem morbus quando eſt apoſtema frigidum cerebri cum febre: eſt ſymptoma

quando ſequitur febrem, aut alias ægritudines.

Lethargus diuerſificatur ſecundum modum terminationis, quoniam aut reſoluitur eius materia: aut ſuppuratur: aut criticè expellitur per euacuationem manifeſtam: aut per exituram, aut per indurationem: aut quia ad proxima deriuatur: aut quia ad aliud membrum permutatur: aut ad alium morbum. & ſalubrior eſt cuius materia reſoluitur: deinde cuius materia manifeſtè euacuatur exitum, & eruptionem faciens per aures, nares, uel os: tertiò cuius materia deriuatur ad emunctoria, & membra uiliora ut poſt aures.

Qui uerò ſuppuratur, aut ad aliud membrum nobile, ut ad pulmones permutatur, aut induratur, ſemper eſt ſuſpectus: pariter non ſemper tutus eſt: qui permutatur ad alium morbũ, ut ad epilepſiã, apoplexiam, tetanum, paralyſim, anginam, & huiuſmodi.

Et notandum eſt, quòd duplici de cauſa ſomnus profundus fit in lethargo. Primò, quia exiſtẽte magna obſtructione in poſteriori uentriculo cerebri, uapores, qui ad inferiora detrudi ſolebant, reflectũtur ad medium, & primum uẽtriculum, & eos pariter obſtruunt: unde ſpiritus ad inſtrumenta ſenſus permeare non poſſunt. Secundò quia nocumẽtum poſterioris cerebri communicatur anteriori, à quo frigido, & humido cauſatur ſomnus profundus.

Serap. ſcribit, quòd apoſtema lethargicum, & peripneumonicum in tribus conueniunt. Primò in membrorum complexione, quoniam utraque membra ſunt mollia, & humida: non quòd pulmo naturaliter ſit humidus: nam potius eſt ſiccus: ſed dicitur humidus accidentali humiditate defluente à ſuperioribus. Secundò conueniunt in cauſis: quoniam ambo fiunt ut plurimum ex pituita. Tertiò conueniunt in ſymptomatibus: quoniam in utroque aduenit ſomnus incompeſcibilis, & obliuioſus: & utrunq; eſt cum febre, & pulſu molli, inæquali, & inordinato. differũt tñ qm̃ in lethargia maior adeſt ſomnus, & obliuio: minor febris, & facilior reſpiratio, quam in ipſa peripneumonia.

Cauſa.

Causa.

Causæ primitiuæ lethargi sunt aer frigidus, crassus, turbidus, & palustris: & constitutio austrina: mora sub radiis lunæ: longa quies, & intermissio consuetæ exercitationis: somnus meridianis longus, post repletionem, & supinus, in locis humidis, & nequaquam euentatis: fœtor aquarum putridarum, cibi crassi, ut est caro porcina, uaccina, anatina: ut sunt anguillæ, tẽchæ: fercula ex pasta infermentata, & ex caseo antiquo: fungi, tubera: multa fructuum comestio: multus potus uini uinosi veteris: vel vini recentis turbidi. deniq; hæc ęgritudo (vt dicit Auic.) causari potest ab omni re à qua humor pituitosus conflatur. quapropter plurimum fit à ceparum usu, nam cepæ habent duas partes, crassam scilicet, à qua generatur pituita, & acutam, quæ euaporare facit, & calore iuuat ad putredinem.

Causa antecedens est mala complexio frigida in toto corpore, vel in stomacho, uel in capite: & humor frigidus pituitosus, & aliquando melancholicus, licet rarò.

Causa coniuncta sunt idem humores in cerebro, vel panniculis eius putrescentes, vel apostema facientes.

Signa.

Signa denotantia futuram lethargiam sunt Tremor capitis, eius aggrauatio, pigritia ad motus voluntarios: vertigo, somnus superfluus, temperies corporis pituitosa, vel melancholica ætas senilis, regio frigida, & humida: tempus hyemale: victus pituitæ generatiuus.

Signa lethargiæ iã factæ sunt. Primo dolor capitis obtusus. Secundo febris lenta: adest quidem febris, quoniã in omni apostemate membri principalis, causato ab humore putrefacto, necesse est, vt adsit febris: huiusmodi febris apparet lenta, nam fit à materia pituitosa frigida, & humida, inepta ad inflammationem. Tertio somnus profundus: à quo vix æger excitari potest propter multã humiditatem, qua ligatur organum sensus. Quarto superuenit obliuio omnium rerum, ita vt neque assidentes amplius agnoscant, neque eorum nomenclaturæ recorden-

tur:à quibus dum violenter ad mictionem vrgentur,porrecta ipsis matula, se se in manibus ipsam habere obliuiscũtur. Quinto spiratio ipsis est rara, tarda, debilis. Sexto oscitant crebrò, & hianti ore aliquandiu persistunt, tanquam claudere id obliti. Septimo adest singultus propter consensum ventriculi cum cerebro. Octauo lingua eorum apparet alba, oblinitur. n. continuè humore pituitoso albo à capite emanante. Nono lethargici in quibus pauca uitę spes est, deiiciũt per aluum magna ex parte liquidiora:nonnunquam venter eorum siccatur. Decimo vrina emittitur veluti iumentorum turbida. Vndecimo quidam ex eis intremiscunt, & sudoribus undequaq; madent(vt Paulus testatur)& hoc fit vel propter expulsionem crassorum vaporum pituitosorum:vel propter defectum caloris per viam suffocationis, sicut aliquando accidit syncopim patientibus. Duodecimo lethargici iacent in lecto supini: Ad pedes defluunt distentis manibus, ac cruribus. Decimotertio pulsus lethargici est magnus, tardus, & rarus, tremulus, undosus: magnus quidem non absolutè, nec respectu sanitatis:sed magnus respectu anhelitus, qui cum sit paruus necessitati satisfacere non potest: vt igitur eius uice pulsus satisfaciat, magnificatur. nec obstat quòd anhelitus sit paruus, & quòd pulsus, & anhelitus inter se seruent proportionem, nam propter hoc non sunt æquales, idest eundem situm in suis latitudinibus tenentes: sed melius in sanis proportionales sunt, quàm in ęgris, in quibus aliquando anhelitus instrumenta impediri possunt, & non pulsus: & aliquando pulsus, & non anhelitus. in lethargia igitur impediuntur magis instrumenta anhelitus, quàm pulsus:quoniam nerui magis læsi sunt, quàm arteriæ. erit igitur pulsus rarus, quia per magnitudinem satisfit necessitati euentationis: & per hoc est etiam tardus:est tremulus, & vndosus, quia virtus debilis. præterea cum ipsum apostrema sit molle, & in membro molli, talis pulsus assimilabitur pulsibus peripneumonicorum in mollitie, non tamen in velocitate, & frequentia: nam in peripneumonia maior instat necessitas.

Hip. 3. de morb.

De

De conuenientia, & differentia pulſus lethargici, & peripneumonici diffuſius apud Galenum de pulſibus ad tyrones legere poteris.

Prognoſtica.

Quando in lethargia anthelitus, qui paruus erat, & tardus, magnificatur, & fit æqualis: & ſymptomata remittuntur, ſicut febris, dolor capitis, ſomnus profundus, obliuio, de ſalute ſperandum eſt.

Quando materia lethargiæ euacuatur per ſeceſſum, uel deriuatur ad emunctoria poſt aures cum febris, & accidentium alleuiatione bonum.

Melius eſt quòd lethargicus fiat phreniticus: quàm phreniticus euadat lethargicus.

Quibus lethargicis urinæ claræ, tenues emittuntur malum.

Quibus lethargicis facies eſt liuida, & hirudines ſuper frontem adhibitæ non adhærent: malum. denotatur enim ſpiritus, & ſanguinis diminutio, & mortificatio.

In lethargo tremor malum, indicat enim tantam eſſe frigidam materiam, ut & dorſalis medulla particeps ipſius fiat. Hipp. 7. Aph.

Lethargicus, cui ſudor frigidus circa frontem, & collum emanat moritur.

Lethargia, quæ fit à materia melancholica ferè ſemper ad mortem terminatur: pariter quæ fit in ſubſtantia cerebri.

Lethargia accidens iuuenibus ęſtiuo tempore, regionibus calidis, & ſiccis deterior eſt, quàm illa, quæ accidit ſenibus, hyemali tempore, & regionibus frigidis, & humidis.

Omnis lethargia confirmata lethalis eſt.

Cura.

Cura lethargi perficitur tribus medicinalibus inſtrumentis: Diæta ſcilicet: chirurgia: & pharmacia. per diætā intelligimus debitam adminiſtrationem ſex rerum non naturalium: proinde æger in primis locari debet in thalamo tepido, ac lucido, & ſplendido, & uarijs picturis or-

nato: in quo aer declinet ad calidum,& ſiccum. adſit hominum frequētia: fiant tumultus, & ſtrepitus horribiles, limando interdum ſerram propè aures infirmi. adſit cornuum,& tubarum clangor, porcorum ſtridor: & fiant ea omnia, quæ ipſum ægrum inquietare, & ad iram prouocare,& à ſomno excitare poſſunt.

Cibi attenuantes eſſe debent, ut cremor ptiſanę, aut ptiſana ipſa interdum ſola, interdum cum oximelite per miſta: aut in qua hyſſopi coma fuerit decocta, uel pulegij, vel thymi pręſertim ualida non exiſtente febre. Salutares etiam ſunt panis micæ ex apomelite, vel hydromelite: vel panis madefactus in iure caulium, uel ciceris, in quo ſaluia, vel aliquid roſmarini ſit decoctum. quòd ſi vires requirant: & etiam in morbi declinatione carnibus ueſcatur,& ouo recenti, uel contuſo pulli, uel pullis ipſis, perdicibus, ſtarnis, phaſianis, turdis, merulis, ac montanis auiculis cum cinnamomo,& caryophyllis conditis. oleribus uti poterit borragine, fœniculo, petroſelino,& aſparago. vel in iure prædictarum carnium bulliat parū amaraci, hyſſopi, thymi, betonicæ, ſerpylli, in quo poſtea panis madefactus exhibeatur. abſtineat à piſcibus, à lacte, à faba,& ab alijs leguminibus. à fructibus frigidis,& humidis, vt ſunt perſica, pyra, pruna, ficus, vua recens: ſicca verò remotis nucleis quandoque conuenit. pro potu utatur hydromelite, vel vino albo aquoſo, tenui, & aſtrigenti: quod tempeſtiue datum, ideſt apparentibus ſignis concoctionis, & morbo inclinante non mediocriter adiuuat (vt Celſus teſtatur) ab aqua frigida ex monitu Meſues penitus abſtineat.

Denique exhibitio cibi,& potus ſit plus,& minus, ſecūdum conſiderationem particularium, & materiæ ęgritudinis,& febris qualitatem. Si.n. particularia caliditatem oſtendant, ut quia complexio patientis ſit calida, ætas iuuenilis, tempus ęſtiuum, regio calida,& materia lethargiæ fuerit miſta ſanguini, & febris fuerit intenſa, à uino abſtinebit: & cibum ad minorem caliditatem alteratum aſſumet. & quia lethargici exercitio uti non poſſunt: frictiones,

ctiones, & balnea, locum exercitij subeant. & quando æger erit in conualescentia æquitare poterit, & uehi curru per loca uiridia, & amęna. procuret medicus ut patiēs quotidie emittat superfluitates, egestionē, & vrinam: & incitet ipsum ad masticandum, & expurgandum materiā descendentem à capite versus guttur, ne ibi infigatur, & sit causa suffocationis.

Cura per chirurgiam fit secando uenam communem, uel iecorariam, uel cephalicam: & detrahendo eam sanguinis quantitatem, quæ uirtuti, ætati, consuetudini, & regioni conuenire uidebitur: nam in omni apostemate, nisi quid prohibeat, phlebotomia cōuenit in principio: & quanuis non conueniat ratione materiæ peccantis vt in hoc apostemate, in quo materia est frigida, & timor est ne magis infrigidetur, & inorudetur, conuenit tamen ratione diuersionis: quæ phlebotomia generaliter parua esse debet. quòd si materia lethargum faciens esset permista sanguini, & cum sanguine educibilis, tunc phlebotomia copiosior conueniret non solum gratia diuersionis, uerumetiam euacuationis.

Quod si sectio venæ, vel propter ætatem decrepitam, vel puerilem, vel quia patiens esset mulier grauida, uel quia vires imbecillæ fieri non posset: sanguis extrahatur à uena frontis, vel nasi, per hirudines applicitas, quæ iuuabunt diuertendo materiam à pupi capitis: ubi est minera huius apostematis, versus proram. nonnulli prouocant sanguinem à naribus cum setis porcinis intromissis.

Cura per pharmaciam tres amplectitur intentiones: quarum prima euacuat per secessum, & per vomitum: secunda repercutit, resoluit, & corroborat: tertia corrigit accidentia. De euacuatione per secessum in primis subueniendum est cum clysteri lenitiuo, & præsertim existētibus fœcibus siccis in intestinis, & nondū facta phlebotomia. hinc deuenies ad clysteria acutiora attrahentia materiam ad inferiora. Clyster acutus est hic ex Mesue.

℞. pulpæ colocynthidis ʒ. ij. s. cartami ℥. j. corticum radicum capparis, seminis vrticę ana ʒ. iij. calaminthæ ℥. j.

coquantur in tribus libris aquæ vſque ad mediæ partis cō ſumptionem:colentur omnia cum expreſsione:& iuri co lato adde olei rutacei, vel chamæmelini ℥. iij. & fiat clyſter. Alius valde oportunus ex Meſue.

R. cyclamini, colocynthidis ana ʒ.j. s.carthami ℥.j.centaureæ minoris ℥.s.Elebori albi ʒ.j.hyſſopi p. j. coquantur vt ſupra.& cum horum decocto,& oleo chamæmeli admiſto clyſter inijciatur.Alius & eſt expertus.

Recipit centaureæ, calaminthæ, hyſſopi, ſtœchadis, mē thaſtri an.m. j. agarici, ſalis gemmę an.ʒ.iij. pulpę colocynthidis, radicis brioniæ ana ʒ.ij.polypodij, cartami, ſeminis fœniculi, cumini ana ℥. s. coquātur in quatuor lib. aquę ad medietatem, colentur, & exprimantur:& in iure colato diſſolue elect. indi, hyerę picrę Gal. ana ℥. s. adde olei de cucumere aſinino ℥.ij. & inijce. Alius in lethargia melancholica quę rarius aduenit: & quando aduenit rarò eradicatur.

Foliorum ſenæ, polypodij, epithymi, colocynthidis, agarici, cuſcutæ ana ʒ.ij.mercurialis, bliti, calaminthæ ana m.j.coquantur, & cum expreſsione colentur, & in decocto colato adde hyerę logodionis, uel ruffi, diaſenæ ana ℥. s. mellis ℥. ij. ſalis gemmæ ʒ. iij. olei liliacei ℥. iij. indatur.

Quod ſi clyſter nullius vſus eſſet, uel quia æger ne momento quidem temporis illum retinet: uel quia nimis retinet, & ad excernendum nequaquam incitatur, tunc huiuſmodi ſuppoſitoria acuta, & irritātia unum poſt aliud quouſque egerat immittere poteris.

R. pulpæ colocynthidis ʒ. j. ſpecierum hyeræ ſimpl. Gal. ʒ.ij.diagrydij ℈. j. ſalis gēmæ ʒ.iij. agarici pulueri. ʒ. s. mellis q. ſ. coquatur mel, & quando decoctum fuerit, addantur cætera: & fiant tria, vel quatuor ſuppoſitoria, ſeu glandes, quæ filo ligatæ ad libitum extrahi poſsint.

Per ſeceſſum etiam (præparata prius materia, ſi pręparari poterit, cum oximel ſimp. vel comp. vel ſcyllitico, ſyrupo de ſtœchade, de betonica, de hyſſopo cum aquis, vel decoctis appropriatis) euacuare debes exhibēdo aliquod

quod

quod ſolutiuum per os poſt ſeptimam diem: nam tunc tẽporis exiſtimãdum eſt apoſtema ad ſtatum ſalubrem deueniſſe, & præſertim quãdo morbus ſalubris futurus eſt: vnde uidens accidentia remiſſa, quia ſcilicet ęger deglutire loqui, & cognoſcere incipit, exhibeto caſtorei ℈. ij. diagrydij ℈. j. hoc medicamentum proponitur à Tralliano, quem poſtea Meſue, & Auic. ſecuti ſunt. Sed aduerte quòd non ſine cauſa Meſue minuit doſim diagrydij propoſiti à Tralliano: & Auic. minuit doſim Meſuę: qđ optimè factum fuit: primo quia natura humana temporibus noſtris non fert uehementes medicinas, ſicuti antiquitus ferre ſalebat: quare Medici recentiores attentè conſiderare debent doſes medicinarum acutarũ ab antiquis propoſitas, & eas moderare: ſecundo quia diagrydium euacuat bilem per ſe, ideò non ponitur cum caſtoreo ad euacuandum principaliter, ſed ad pręſtandum robur caſtoreo, vt reddat ipſum eductiuum phlegmatis: nam per ſe non educeret, & ex iſta compoſitione duo notare debet: primum quòd aliquid non ſolutiuum exacuatum ab aliquo ſolutiuo efficitur determinati humoris attractiuum, ut in caſtoreo ita admiſto experiri licet. Secundum quòd aliquid ſolutiuum per admiſtionem alicuius non ſolutiui priuatur ſua forma ſpecifica, & determinata ui educẽdi: quòd etiam contingere poteſt per admiſtionem alterius ſolutiui cum eo, ſicut in prædicto medicamento diagrydium priuatur ui educendi bilem, quoniam caſtoreo admiſtum eſt. & ſicut diagrydium poſitum in elect. indo priuatur vi educendi bilem, quoniam ipſi turbit, & aliis non ſolutiuis in tali elect. ingredientibus admiſcetur.

At ſi timeres febrem, & ſuperfluam caliditatem utere ſolo caſtoreo abſque ſcammonea: vel ſi opus eſt ſolutiuis, utere alio medicamento nihil, uel parum ſcammoneato: ut hyera picra ſimpl. uel hyeralogodione, vel hyera ruffi, uel pilulis cochiis, uel his pilulis: quæ recipiunt aloes ʒ. v. agarici, ſtrœchadis an. ʒ. j. s. colocynthidis, maſtiches, caſię ligneæ, ſpicę, caryophyllorum, cinnamomi, ſquinãti ana ʒ. j. aniſi ℈. ij. conficiatur magdaleon cum ſucco

amaraci:& ad pondus ʒ.j.pro uice exhibeantur.

Vomitus prouocetur inquit Mesues,cum sinapi,& oximelite, aut cum raphano, & oximelite, & oleo,& sale,& aqua atriplicis: vel

R. decoctionis raphani ℥. iiij.oximel simplicis,vel scyllitici ℥.ij. misce, & exhibe.aut accipe succum raphani in quo fustes ellebori per noctem infusi manserint ℥.iij.oximel.scyllitici ℥.ij.misce,& vtitor.

Interim dũ morbus adhuc est ĩ principio oxirrhodinũ capiti admouendum:repellendus. n. à capite humor est, quisquis is fuerit siue pituitosus, siue melancholicus: & quoniam causa superans est ferè semper frigida, & humida,à principio post duos dies incoquere ea oxirrhodino, quæ extenuare etiam simul possunt expedit: nempe uel peucedanum, uel castoreum,uel pulegium,vel calaminthen,vel thymum.ac frons illinenda est,aut castoreo,aut pilis humanis crematis, lęuigatisq; ex aceto. huiusmodi enim (ut Trallianus scribit) valdè proficiunt excitantq; forsan etiam naturali quadam facultate lethargo contraria. & scire debe, quòd repercusiuum, uel per se solum uel ipsis resolutiuis admistum applicatur tepidũ ex sententia Gal. super partem anteriorem capitis: & extenditur úsque ad mediam partem: neque esset inconueniens si post mistionem factam cum rebus calidis dilataretur usque ad lambdę comissuram:& ad memoriæ locum. Successiuè si affectus perseuerauerit, adhibebis emplast. descriptum à Mesue conferens lethargo,caro, & uigilare faciens.

Gal. 13. Meth. ca. penult.

Recipit pyrethri,sinapis,scyllę ana ℥.j. castorei,euphorbij ana ℥.v. misce omnia cum succo alphodeli, & amaraci. vel

R. olei de been, olei nardini, costini ana ℥. j. castorei, euphorbij, pyrethri ana ʒ.ij.scyllę ℥.j.s. fiat linimentum. uel rademus caput, & oblinemus ex sinapi, castoreo, & aceto. postquam apostema confirmatum fuerit, hoc est post tertium, aut quartum diem epithema facere solent ex castoreo in succo rutę,& aceto ebullito: & eo multum

occi-

occiput fricant: & herbam ſinapis in oleo, & aceto frixã ſuper imponunt. ad idem quandoque utuntur ſatureia in aceto decocta, & ſuper caput adhibita, cum polio, ſerpyllo, & ſinapi.

Quòd ſi affectus perſeueret, & ægri difficulter excitentur, vtendum eo, quod ſternutamenta mouet, ſtruthio dicto, uel cum caſtoreo, vel pipere, vel euphorbio, vel epithymo, vel elleboro: nunc quidẽ inſpirantes, alias penna illinentes: verum id continuè faciendum non eſt, quippe vires eorum laborãt, & adhuc magis caput repletur. odoramenta quoque ſunt naribus ſubiicienda, ut eſt caſtoreum, bitumen, galbanum, ſulphur, ſagapenum, cornu caprinum uſtum: & aſſa fœtida. uel fiat pila ſæpius odoranda ex caſtoreo, ſulphure, & aceto ſimul admiſtis.

Cucurbitulas poſtea occipiti affigere cũ plurimo igne oportet circa primam, & ſecundam ceruicis vertebram, partim leues, partim cum ſcarificatione. Confert etiam prouocatio hęmorrhoidum, & menſium, ſi ex eorum retentione lethargus fuerit cauſatus. datoq; ipſis potui caſtoreum præ omnibus cum oximelite, etenim extenuat, & corpus, quod perfrixit, & propè eſt ut totũ emoriatur, recalefacit, fouetq;. Ego ſanè noui (inquit Trallianus) multos eo morbo uictos, hoc ſolo remedio mortem euaſiſſe. Denique ubi morbus inclinare inceperit, & uires robuſtę fuerint, & corpus euacuatum in balneo æger lauandus eſt. Sin uires imbecilliores, ita ut laſsitudinem, aut balnei calorem ferre nequeat: domi lauetur uaſe quodam aqua calida repleto: in quo ęger per mediam horam ſedens maneat, capite aquam excedente, & nequaquam uapores ab aqua ſuſcipiente: quod remedium per quatuor, vel quinque, vel plures vices, ſi oportunum fuerit, fiat, nam multum in hoc affectu, & in ueternoſo ſopore, quem caron vocant, ab Autoribus laudatur.

Symptomata, quæ in hoc affectu ſuperuenire ſolent, & correctione indigent, ſunt ſomnus grauis, obliuio loquendi, vrinam, & fœces emittendi, ſaliuę fluxus ex ore, dentium conſtrictio, & extremitatum refrigeratio.

Remo-

Remouebis itaque somni profunditatem clamore, & strepitu, ut superius dictum est, & euellendo pilos, & stimulando, & extrema comprimendo compresione dolorifica: & illa quandoque acri, & mordaci linimento obducendo, & fricando: quod proderit materiam ipsam diuertendo, ut est acetum scylliticum, & scylla, & sinapis cum aceto: & urtica, & semen eius: & pyrethrum, & semen laureolę, & eius folia.

Incitabis eos ad loquendum, & respondendum ad interrogata.

Obliuionem urinam, & fœces emittendi, remoue uesicam manibus comprimendo, & apponendo super pectem emplastrum ex meliloto, apio, absynthio, calaminthe, radice liliorum: & quandoque intromittendo per uirgam candellam ceream, aut instrumentum, quod syringam dicunt.

Fœces educentur cum clysteriis (ut dictum est) si multa fuerit extremitatum frigiditas pannis sępius calefactis foueantur. si fuerit dentium constrictio, cum saliuę fluxu, aperiantur aliquo instrumento ligneo, & quãdo os apertum fuerit, fricabis linguam eius, & palatum cum sinapi, & melle, cum thyriaca antiqua, uel Mitridato, uel aurea Alexandrina, uel confect. anacardina: & procurabis ut quotidie per spacium horæ detineat in ore ʒ.s. ex aliquo de prędictis electuariis, & tandem deglutiat.

De Caro. *Cap.* III.

QVoniam Caros est species somni, non ab re fuerit in primis pquirere quid sit somnus: quæ eius causę: quę species: & quę accidentia. quibus cognitis facilior erit ipsius propositi affectus perscrutatio. Somnus, & uigilia opponuntur per habitum, & priuationem: quorum natura est, ut altero absente, alter adsit: necessariò enim omne Animal uel dormit, uel uigilat.

lat. & quicquid somni capax, idem & uigilię particeps. Sunt autem somnus, & vigilia affectiones corpori, & animæ communes: quę affectiones non circa cor, ut malè sentit Arist. sed circa caput uersantur.

Est itaque somnus comprehensio, seu uinculum primi sensitiui: uel somnus est quies uirtutum animalium cum intensione naturalium. somnus (ut scribit Auer. 2. collig. cap. 21.) est ligamentum, & quies sensuum, & reuersio ipsorum à propriis instrumentis ad partem intrinsecã corporis: hinc est quòd aliquando dormiens tenet oculos apertos, & tamen non videt: quia virtus uidendi non est in proprio instrumento, sed est retracta ad interiora.

Gal. de symp. cau. 3. cap. 8.

Et somnus aduenit animalibus post laborẽ: quia quando mouentur, & laborant, spargitur eorum calor naturalis, & diminuitur in propria quantitate, & refrigeratur: propterea necessariò reuertitur ad locum sui principij, & thesauri, ut restauretur. Vnde somnus est una operatio naturę, quæ regit corpus animalis: & est necessarius in animalibus perfectis: quia nisi esset somnus perirent sensus propter nimium exercitium: quibus deficientibus, pariter vita deficeret. actus, seu operatio dormiendi attribuitur uirtuti sensibili, nam hęc uirtus crescit, & fortificatur per talem operationem: non autem ascribitur uirtuti nutritiuæ, in quantum nutritiua, eo quòd uegetabilia non dormiunt, cum non habeant sensum.

Somnus suas habet causas materialem scilicet, formalem: efficientem, & finalem. Causa materialis est uapor humidus: Arist. primo Meteor. dicit quòd uapor est duplex humidus, & siccus: qui duo uapores etiam in homine reperiuntur. vbi igitur uapores humidi eleuantur in corpore ad primum sensorium, causant somnum: nam eleuati condensantur, & ipsum refrigerant cerebrum, non secus ac in aere fiat: nam ubi è terra sunt eleuati uapores humidi in aere condensantur in pluuiã: quæ postea cadens refrigerat ipsum aerem: hinc patet causa materialis, & causa formalis somni: nam materialis est uapor humidus: formalis est refrigeratio: quæ inde sequitur.

Causa

Causa efficiens est calor naturalis, & non quilibet calor, sed mitis, suauis faciens uapores: ut enim fiant uapores in terra non requiritur calor igneus, nec frigus maximum. Ideo dicebat Arist. quòd tempore æstiuo non fiunt pluuiæ, quia calor igneus non eleuat uapores, sed siccat, & discutit. dicebat insuper quòd qui plurimum vini bibunt non dormiunt, nam calor nimis refrigeratur: qui refrigeratus non potest excitare uapores ad somnum conciliandum oportunos. requiritur itaque calor suauis, & mitis. videmus enim tempore veris pluuias multiplicari, quia calor est moderatus, per quem uapores multiplicari possunt.

8. proble. 24.

Causa finalis somni est ut sanitas, & uita conseruetur: nam cibus, & nutrimentum non digeritur melius, quam in somno ob calorem collectum ad interiora. Pręterea si animal semper uigilaret per resolutionem spirituum deficeret: vnde Ouid.

Quod caret alterna requie durabile non est.

Somnus diuiditur in quatuor species: & somnus primę speciei est totaliter naturalis: qui fit tempore sanitatis: & hic uel est fortis causatus à uaporibus primæ coctionis: uel est mediocris causatus à uaporibus secundæ coctionis: vel est debilis causatus à uaporibus tertiæ coctionis, vt in aurora.

Somnus secundæ speciei est omninò pręternaturalis: qui fit à mala intemperię frigida, & humida: uel frigida, & sicca, cum materia, uel sine materia. Somnus tertiæ speciei magis inclinat ad naturalem: qui fit post multam euacuationem, uel multam exercitationem, & laborem: & est potius impotentia uigilandi, quàm verus somnus: nã tunc spiritus resoluti retrahuntur interius ad primum sensorium quęrentes restaurationem: & asimilantur (vt inquit Auer.) militibus fessis, qui ad suum ducem recurrunt, vt consilium, & auxilium ab eo suscipiant. Somnus quartę speciei magis inclinat ad pręternaturalem: qui prouenit ex ebrietate, vel ex lactucarum multa comestione, uel ex inunctione alicuius medicamenti opiati, & fri-

gidi,

gidi, uel ex redundantia humoris pituitosi.

Quæritur an aliquis somnus sit absolutè naturalis: Dicas quòd somnus dupliciter consideratur, vno modo pro ut comparatur ad vigiliam: & ita non est absolutè naturalis sicut vigilia, quæ quidē verè est ex rebus naturalibus: quia anima naturaliter se habens uigilat, ut colligitur ab Arist. alio modo potest considerari, ut diuiditur in suas species: & hoc pacto quidam somnus dicitur absolutè naturalis: quidam non naturalis: quidam contra naturam.

18. Prob. 6

Accidētia mala ex somno eueniunt dupliciter. Primo ob temporis quantitatem. Secundo ob materiæ, & qualitatem, & multitudinem. ob temporis quantitatem, quoniam aut somnus est prolixus, & pręsertim in horis diei, & tunc uirtutes eneruat, corpus refrigerat, phlegma auget, calorem naturalem debilitat, colorem corrumpit, sensus hebetat. aut talis somnus est breuis, & insufficiēs, & tunc insequitur naturæ imbecillitas, concoctio diminuta, & mala, corporis siccitas, & cachexia.

Ob materiæ qualitatem, & quantitatem mala accidentia ex somno eueniunt, quoniam aut somnus fit materia pituitosa putrescente, & mala qualitate prędita, & in cerebro insidente, & tūc appellatur lethargus. aut fit in corpore redundante humore pituitoso, frigido, crasso, uiscido, & pręsertim circa uentres cerebri: qui somnus appellatur à græcis κάρος, ab Arab. Subeth: de quo præsens noster sermo futurus est.

Est autem Carus sopor quidam grauis, & profundus: ad quem sequitur sensuum stupiditas, & totius corporis immobilitas, cum principalium actionum læsione. differt à lethargo (vt scribit Aetius) quia lethargici interrogati respondent: & non penitus sine uoce decumbunt: Caro autem laborantes somni quidem profunditate detinētur, ut dum punguntur sentiant quidem, non tamen loquantur, neque oculos aperiant: Item febris carum pręcedit eaq; uehementior, at lethargum subsequitur.

Κάρος quid.

Item lethargus est passio in posteriori parte cerebri: carus autem in anteriori: sicut ab Auic. multis demostra-

tum

tum rationibus. Primo quia sensus in caro destituti principaliter sunt uisus, & auditus, qui habent originem à cerebro anteriori, per quos magis certificamur an homo dormiat, uel uigilet: destituuntur pariter odoratus, & gustus: qui ab eadem oriuntur parte: nec obstat quòd tactus in caro sit sopitus, cuius origo neruorum est ferè tota in posteriori cerebro, nam hoc contingere dicimus ob sensum communem: qui omnibus aliis impartitur sensibus, & ipse est in anteriori cerebro. Secundo, quia si carus esset affectus solùmodo in posteriori cerebro sequeretur impedimentum in motu, & non in sensu: nam nerui motiui ab ea parte (vt notum est) ducunt originem: & sensitiui ab opposita parte.

Tertio si carus esset affectus posterioris cerebri, & nequaquam anterioris non esset somnus, sed esset priuatio motus, & tactus: & reliqui sensus incolumes persisterent, ut in congelatione contingit: in qua homo audit, uidet, & tamen non tangit, neque mouetur.

Quarto si carus non fieret in anteriori cerebro, sed in posteriori, nocumentum, quod infertur sensui, saltem esset æquale nocumento, quod infertur motui: Sed nullum ferè nocumentum aduenit motui, nam preterquam quod in somno homo respirationem habet liberam, aliquando dormiens surgit, ambulat, & agit multa consueta: attamen nocumentum aduenit sensui, ergo carus fit in anteriori cerebro, unde instrumenta sensus deriuantur.

Ex Paulo

Aliquando carus aliis superuenit symptomatibus: sepe enim febrium accessionibus, comicialibus, cerebri cõpressionibus, nunc quidem osse, hoc est caluaria, coarctato, nunc verò membrana anteriorem cerebri ventriculum custodiente compressa.

Gal. de lo. aff. 4. ca. 2.

Differt carus ab apoplexia, nam in hac spiratio vehementer opprimitur, in caro autẽ spirandi facultas haudquaquam leditur. Carus aliquando est materialis, aliquãdo autem immaterialis: Item aliquãdo est per essentiam, aliquando per consensum.

Accidit carus magis ſenibus, quàm in alia ætate conſtitutis: in his. n. pituita craſſa præternaturalis redundat: in decrepitis autem, quorum ſuperfluæ humiditates sũt nitroſæ mordicatiuæ raro fit carus. poſt ipſos ſenes pueri cum ſint multum humidi, & in victu inordinati, talem facilè incurrunt paſsionem: quę prædominatur hyeme, & uere, & in regionibus humidis, & anni conſtitutionibus auſtrinis.

Cauſa.

Carus ſuas habet cauſas procatarcticam ſcilicet, antecedentem, & coniunctam. Cauſa procatarctica erit ut frigus aeris, & eius multa humiditas, crapula, ebrietas, ſeu multus uini potus, fames, coitus, uigiliæ, nimia exercitatio, diuturna mora in balneo, ægritudines chronicæ, & ſimilia reſoluentia ſpiritus, & debilitantia. Caſus, percuſſio capitis, & pręſertim circa tempora, ubi ſunt uenę apoplecticæ: colli cõſtrictio, arteriarũ apoplecticarum compreſsio, medicamentum narcoticum exterius applicitũ, uel interius aſſumptum, quod aliquando obſtruit obſtructione attenuatoria, aliquaado obſtructione coarctatoria, nonnunquam utroque modo.

Cauſa antecedens eſt materia pituitoſa craſſa, uel ſanguinea: itẽ mala tẽperies frigida, uel frigida, & humida.

Cauſa coniuncta eſt ipſa pituita craſſa, uel ſanguis craſſus obſtruens uias tranſitus ſpirituum: quæ cauſa poteſt etiam eſſe per conſenſum uel à toto, ut in febribus pituitoſis: uel à membro particulari ſubminiſtrante uapores ipſi capiti, ut à uentriculo, ab inteſtinis, à uermibus, ſeu ab eorũ materia putrida, item à matrice: à pulmone malè affecto, ut in peripeneumonia, & in pleuriſi ob multam ſpirituum reſolutionem, & extinctionem.

Signa.

Inquit Raſis cum aliquis quaſi dormiens iacet tamen ſentit, & mouetur, ſed oculos vt plurimũ habet clauſos, quos tamen dum uocatur cum clamore, aperit, licet ſtatim iterum claudat: ſignum eſt quòd iam patitur ſubeth, ideſt Carum.

Signa

Signa Cari à causis primitiuis sunt manifesta per ipsarum causarum præcedentiam.

Signa Cari ex pituita sunt color corporis uergens ad albedinem pulsus mollis, latus, vndosus, vrina alba, tenuis, item patiens agit uitam ociosam, & usus est cibariis pituitam aggregantibus, & ætas fortasse est senilis.

Signa quòd Carus sit à sanguine, sunt rubedo in facie, in oculis, & in lingua: item inflatio venarum circa collum, & circa tempora.

Signa Cari per consensum alterius membri sunt, quia præcessit dolor, grauitas, & nocumētum illius membri, vt verbi causa, si est à ventriculo, pręcessit nausea, vomitus: Si à matrice dolor circa os sacrum, & circa pubem: Si à pulmone dolor in partibus pectoris, strictura anhelitus, & tussis: Si per consensum à toto, nocumentū totius præcedere solet, ut in febribus.

Prognostica.

Somnus nimis intensus post quanuis inanitionem, & spiritus debilitatem est pessimus, nam ferè morti propinquus.

Somnus grauis in declinatione febrium continuarum mortalis est: nam si quæ iuuare debuerant, non iuuant, malum dicebat Hip. 2. Aph.

Omnis somnus prolixus disponit homine ad lethargiam, apoplexiam, paralysim, & ad huiusmodi morbos frigidos.

Denique omnis somnus superfluus malus: nam dicebat Hip. 2. Aph. 3. somnus, & uigilia, vtraque si immoderata existant, malum.

Cura.

Pro curandi ratione in primis obseruare debes, vt patiens degat in aere calido, & sicco luminoso, & nequaquam obscuro: audiatq; clamores, strepitus, sonitus, uociferationes, & continuè ab assidentibus excitetur: & excitato tristia nuncientur. audiat (inquit Auic.) & videat res, quæ ipsum contristant: & talis tristitia. Sit de futuro, non de præterito: nam tristitia de pręterito mouet calorem

rem, & ſpiritus ad interiora, & ſic plus confert ad ſomnum, quàm ad vigiliam. Sed triſtitia de futuro licet in principio moueat ſpiritus, & calorem ad interiora, ibi tamen non quieſcant, immò ſtatim ad exteriora reuertũtur, eò quòd homo redditur ſolicitus, ut inueniat modos: quibus futurum malum effugiat: unde diſponitur ad uigiliam. Conferunt ligaturæ doloroſæ, extremitatum lotiones, & balnea. Item cucurbitulæ cum ſcarificatione, & omne quòd ſternutamenta mouere ſolet, dummodo humorũ multitudo non adſit. Abluere faciẽ cum aceto, ipſumq; in angulos oculorum inſtillare ſomnum remouere ſolet. Itẽ oĩa pungentia, & mordicatiua.

Triſtitia de futuro inducit uigilias.

Cibi in hoc affectu ſint exiccantes, facilis concoctionis in pauca quantitate, & nequaquam vaporoſi. Vinũ non conuenit niſi in declinatione, & niſi caros à frigiditate uehementi eſſet conflatus.

Ex interius aſſumendis theriaca maximè conuenit: item mithridatium, diamoſchum: item expertum eſt dia trionpipereon cum aqua amaraci, vel in ſenibus cum vino ſublimato: quod aquam uitæ appellant: pariter maſticatio cubebarum, pyrethri, & ipſorum deglutio.

Exterius adhiberi poſſunt embrocationes ex decocto rutæ tàm domeſticæ, quàm ſylueſtris, caſtorei, pyrethri. inunctio ex oleo de ſpica nardi, & celtica cum caſtoreo, & ſcylla cum oleo moſchelino, & coſtino. Item confert ſæpius olfacere caſtoreum, uel moſchum, vel acetum, vel ſuffumigium ex rebus odoratis exiccantibus. Item oblinire caput emplaſtro ex duabus partibus caſtorei parte una ſcyllæ, & pauco moſchi: uel huiuſmodi emplaſt. quod Recipit Pyrethri, rutæ, amaraci, origani, calaminthæ, polij, ſerpyllij, caſtorei, euphorbij an. partes æquales, conficiantur cum melle, vel ſirupo de ſtœchade, & capiti ſuperponatur. poteſt confici ceratum, & ſuper caput abraſum adhiberi hoc pacto.

R. ceræ, ladani ana ℥. j. caryophyllorum, cubebarum, pyrethri, nucis moſchatę, caſtorei an. ʒ. j. olei coſtini ℥. ij. fiat ceratum.

Cura cari per consensum duas habet intentiones, quarum una respicit totum corpus, vel membrum mittens, scilicet euacuando, & diuertendo materiam ab eis, ne euaporet ad caput. Altera respicit cerebrum recipiens, & hæc duplex est: prima corroborat cerebrum ne recipiat: secunda resoluit, si quid receptum est: prima perficitur cum oleo rosato admisto cũ plurimo aceti acerrimi: in quo oxirhodino uittæ, seu petiæ madefactæ applicentur in sincipite super commissuram coronalem. Sed hîc notanda est cõtradictio inter Auic. & Serapi. nã Auic. iubet oxirhodinum esse cum plurimo aceto: Serapio autem præcipit ut in tali casu acetum sit paucũ. conciliantur, nam vel intentio est ad repercutiendum, vt in principio morbi: vel est non modo ad repercutiendum, verumetiam ad excitandum à somno: prima intentio fuit serapionis, & præsertim in caro notho: secunda fuit Auic. & in caro vero.

Facta autem cerebri corroboratione: & vaporum ab ascensu prohibitione, tentanda est materiæ resolutio, si qua relicta est cum embrocis, & unctionibus conuenientibus.

Veniens autem ad magis specialem curam huius affectus, dico quòd caros causatus per consensum à vaporibus eleuatis à toto, vt in febribus, curatur secundũ quatuor intentiones: quarum una est ad diuertendum cum ligatura extremitatum dolorosa, & aliis diuersionum generibus Secunda est ad repercutiendum vapores cũ oleo ros. misto cum aceto (vt dictum est) vel succo vuæ omphacinæ, vel succo mali punici. Tertia est ad resoluendum ipsos uapores in capite retentos cum embrocis, sternutamentis, odoribus, & aliis ingeniis, quos in cura doloris capitis à vaporibus præscripsimus. Quarta uertitur ad excitandum ægrum à somno cum clamoribus, & aliis, vt supra.

Cura autem cari per consensum à vaporibus eleuatis à ventriculo, ab hepate, à splene, à matrice, vel ab alio membro particulari relinquitur nota in proprijs capitibus

bus ægritudinum illorum membrorum.

In cura cari à casu, percussione, vel potu medicamenti frigidi, recurre ad ea, quæ ab autoribus scripta sunt in tractando de casu, percussione, & de venenis frigidis.

Interim multa notare debes, quæ à proprietate ualent contra huiusmodi affectum. Dixit quidam empiricus, quòd succus omnis consolidæ, & propriè minoris haustus ad quantitatem duarum unciarum lethargicos, & caro laborantes excitat, & omnem somnum profundum remouet. Fel gruis tepefactum in aliquo uase plumbeo, & illitum super occiput potenter à somno excitat.

Agentia a' proprietate

Si oculi, & cor, & fel, phylomelæ auis sub ceruicali, vel lecto ponantur insomnes detinet in eo iacentes: quæ omnia si quis biberit nunquam dormiet.

Si penna dextræ alę merulæ suspendatur in medio domus cũ filo rubeo: nullus in ea domo dormire poterit, donec penna deponatur.

Si caput vespertilionis, & oculum vppupæ sub ceruicali alicuius lecti absc̃ôderit, nullus in eo lecto dormiet.

Caput vespertilionis in panno nigro ad brachium dextrum ligatum non concedit somnum quousque portatur.

Cor vespertilionis gestatum magnam uigiliam præstat. Dicunt aliqui ut homo multum dormiens uigil reddatur deglutiat myrrham, vel olibanum: hæc enim consumunt humiditatem nimiam cerebri.

De superflua uigilia. *Cap.* IIII.

Postquàm de caro, seu somno supfluo determinatum est: sequitur vt pariter de superflua vigilia agamus: hic enim affectus superiori opponitur: & in ipsis animalibus fit circa idem, hoc est circa sensum communem: extrema enim in naturalibus, & in alijs semper circa idem susceptibile videntur

fieri, & eiusdem passiones esse, veluti uisus, cæcitas, pulchritudo, turpitudo: sanitas, ægritudo: fortitudo, debilitas: auditus, surditas: hinc etiam magis manifestum est, nam in quo uigilantem cognoscimus in hoc pariter somno detentum. Sentientem enim vigilare putamus, vel quia eorum quæ extrinsecus aliquid sentit: vel eorum, qui in ipso sunt motuum aliquem: si ergo vigilare in nullo alio est, quàm in eo, quòd est sentire, patet quòd ob hoc uigilant uigilantia, & dormiunt dormientia. præterea sicuti somnus est quodammodo immobilitas, & vinculum sensus: sic & uigilia est solutio, & relaxatio vinculi sensus. & nulla harum passionum plantis inest, quia sensu carent: sed ambæ uicissim quodammodo omnibus insunt animalibus ob eorum sensus.

Superflua vigilia Sahara à principe appellatur, & est quæ excedit vigiliam naturalem in quantitate, qualitate, & ordine, ita ut spiritus animalis sensu, & motu superfluè utatur. & cum sit actio læsa sequens aliquem morbũ cerebri inter symptomata reponitur: uerumtamen aliquando impropriè morbus dici potest, eo quòd aliquibus aliis associetur symptomatibus: uel quia omnem curam ad se uertat. Dicunt nonnulli quòd superflua vigilia ex aliqua ægritudine occulta est morbus: superflua vigilia ex febre, uel ex apostemate, uel ex dolore, vel ex huiusmodi aliis est symptoma. & diuiditur nam quędam sequitur morbum per essentiam in cerebro: quædam autem sequitur morbum ab alijs membris cerebro communicatum.

Causa.

Vigilia superflua fit (ut scribit Auer. tertio Colliget) per opposita causis somni superflui, scilicet propter dominium caloris, & siccitatis. Auic. ad particularia magis descendens assignat octo causas uigiliæ superfluæ. Prima est mala intemperies simplex calida, vel sicca: uel mala intemperies composita calida, & sicca cum materia, vel sine materia. & caliditas magis causat uigiliã, quàm siccitas, quia magis mouet spiritus animales ad exteriora,

ra, nam proprium calidi eſt dilatare: præterea caliditas eſt qualitas multum actiua citò ſoluens uincula ſenſus: quæ caliditas ad hoc ut faciat uigiliam debet eſſe in anteriori parte cerebri, ubi viget ſenſus communis: cuius paſsiones ſunt vigilia, & ſomnus. Secunda cauſa eſt ſalſedo, ſeu nitroſitas humoris ſeroſi, ichor appellatur, admiſti cum ſanguine: pariter pituita ſalſa uellicans, & pungens cerebrũ: & eius menyngas. ab huiuſmodi enim materia mordaci, & acuta prohibetur ſomnus ut contingit ſenibus, & cæteris ex pituita ſalſa, & ſeroſo humore prurientibus. Tertia cauſa eſt dolor, & præſertim capitis, quoniam agitat, inflammatq; ſpiritus. Quarta eſt intenſa cogitatio, & circa negotia peragenda ſolicitudo. Quinta eſt lux nimia, ſplendor, & luciditas loci, in quo æger ad vigiliam diſpoſitus degit, per huiuſmodi enim luciditatem ſpiritus animalis per ſe lucidus exiſtens ad exteriora mouetur ut ſitum ſimilem conſequatur. Sexta eſt apoſtema melancholicum, aut canceroſum in partibus cerebri, aut cerebro propinquis, à quo apoſtemate eleuantur uapores ſicci, & mali cerebrum deſiccantes, & cogitationes malas inducentes. Septima eſt mala digeſtio, & repletio ex acribus, uel corruptis cibarijs, vel multo potu, uel cibis craſſos, & tenebroſos fumos generantibus, & præſertim ab homine melancholico aſſumptis ut ſunt lentes, fabæ, tubera, mala inſana. Octaua eſt febres putredinales, præcipuè bilioſæ, à quarum materia eleuantur fumoſitates ſiccæ, & mordaces dolorem inferentes, & hominem inquietũ reddentes: ex iſtis cauſis quædam ſunt per propriam eſſentiam, quædã per conſenſum.

Signa.

Primum ob ſuperfluam vigiliam partes ſpirituales cũ ſint naturaliter ſiccæ, magis exiccãtur: vnde pulmo coangustatur, & propter anguſtiam æger inquietus redditur, & dolens. Secundo facies ipſa intumeſcit, & color cutis fit albus, & pallidus propter calorem diminutum, & propter humiditates crudas multiplicatas.

Signa ſuperfluæ vigiliæ ob ſiccitatem abſque materia ſunt leuitas capitis, & ſenſuum, lingua arida, oculi abſq; lippitudine, & lachrymis: nares abſque mucoſitatibus, & nullus calor, nullum frigus in capite percipitur. quòd ſi prædicta ſigna ſunt cum inflammatione, & aduſtione, & aliquando cum ſiti ob conſenſum uētriculi, denotant vigiliam à ſiccitate caliditati coniuncta.

Signa vigiliæ à caliditate ſimplici ſunt anguſtiæ, ſolici tudo, multæ cogitationes, & alienationes.

Signa vigiliarum à bile flaua ultra prædicta ſigna ſunt color citrinus in facie. à bile verò aduſta color liuidus ob mortificationem caloris innati.

Signa vigiliarum à pituita ſalſa, & nitroſa ſunt in ocu lis lippitudo, in naribus mucoſitas: & in motibus corpo reis aliqualis grauitas: & æger iacet quaſi dormiēs, cum tamen intensè uigilet: cuius victus præcedens fuit pitui tæ ſalſæ aggregator, & ætas ut plurimum ſenilis.

Signa vigiliarum ab apoſtemate melancholico: à dolore, à ſplendore loci, & ab alijs cauſis primitiuis ſunt manifeſta: quia tales cauſæ adſunt, vel adfuerunt.

Prognoſtica.

A vigilia conuulſio, aut delirium malum Hip. 7. aph. 18. nam nemo eſt, qui ignoret immoderatam vigiliam corpus exiccare, & uacuare: quare ſi hanc comitatur conuulſio, conſonum eſt quòd à ſiccitate tunc fiat: & ideò lethalis erit: pariter delirium nam ſignificat uehementem exiccationem, & uirtutis debilitatem.

Si vigiliis ſuperfluis tuſsis ſuperuenerit malum: oſten dit enim ſiccitatem membris ſpiritalibus communicatam.

Vigilia ſuperflua à pituita nitroſa in ſenibus cura regulari remoueri non poteſt.

Cura.

Vigiliæ ſuperfluæ, ſiue vt morbus, ſiue ut ſymptoma infeſtauerit celeriter remediis oportunis reſiſtendum: nam ſicuti ſomnus ſuperfluus calorē ſuffocat naturalē, extinguitque pariter vigilia ſuperflua ipſum reſoluit:

fit enim per nimiam vigiliam ſpirituum deperditio, hinc mala concoctio, & ſuperfluitatum aggregatio, hinc cor poris conſumptio, hinc phthiſis, vel hectica, vel mania, vel melancholia, vel intempeſtiua ſenectus, & vitę breuitas ſequitur.

Cura duplex eſt vniuerſalis ſcilicet, & particularis: & utraque perficitur diæta, & pharmacia. Diæta in cura uniuerſali ſit hoc pacto, æger primum degat in aere humido, humiditate naturali, vel ſaltem aſcititia, & ad frigidum vergente: & cubile ſit in loco obſcuro, abſq; picturis, & procul à ſtrepitu. adſint ſubmiſſæ loquentes, & ſuſurrantes: adſint citarizantes, & canentes amatoria, & res delectabiles, & ſoni uniformes, nam huiuſmodi ſonus æqualis, & neque modo acutus, modo grauis, & inter ſe diuerſus: attrahit animam ad attentionem: ideò, dicit Auic. quòd ſonitus arborum, & aquarum, & ſimiles cum ſint uniformes dormire faciunt. Vtatur æger omnimoda quiete, & taciturnitate, teneatque clauſos oculos. abluantur eius extrema cum decocto rerum frigidarum, & humidarum, & præſertim aduentante hora conſueti ſomni. Inter cætera quæ dormire faciunt eſt ut patientis extremitates ligentur ſtrictæ, & dolorifica liga tura, & plurima lumina ponantur ob eius oculos, fiãtq; litigioſi, & rixoſi ſermones ab ijs qui aſsidẽt: paulò poſt ſtatim ſoluantur vincula, auferantur lumina, & ſilentium fiat: ſic enim ſecurè ſomnus accerſitur, & eſt remedium Auic.

Cibi ſint humidi actu, & potentia ex ſomniferis conditi, & apparati: abſtineat à cibis ſalſis, acribus, & exiccantibus. Vtatur piſcibus elixis, carnibus hœdi, pullorum, ueruecis, agninis, anatinis; cucurbita, lactuca, ſemi nibus papaueris albi, bugloſſa, borragine, ſpinachiis: pti ſana hordeacea, farre, pane loto: eius cibaria condiãtur contuſo ſeminis papaueris, uel contuſo ſeminum communium frigidorum, aut oleo amygdalarũ dulcium recenti. Vinum conuenit odorum, tenuis ſubſtantiæ, gratum guſtui, & parum lymphatum, ut maiorem ad hume

ctandum habeat penetrationem: uinum ponticum, & me racius ſumptum non conuenit.

Cura per pharmaciam fit, & per ea, quæ exterius, & ea quæ interius adhibentur. animaduertendum tamen eſt, quòd exterius ut fomenta, emplaſtra, inunctiones, & alia ex narcoticis, exiſtente catarrhi ſuſpitione, ſunt fugienda. ex leuioribus, quæ extra adhiberi poſſunt, eſt oleum violatum inunctum, & ab alto ſupra caput ſtillatum, & auribus, naribusq; immiſſum. Item olfactus uiolarum, nymphεæ, pariter inunctio ex oleo nymphεæ, & papaueris albi. & embrocationes factæ ex decocto violarum, florum nymphεæ, cucurbitæ, papaueris, uitis, lactucæ. Confert etiam lac mulieris puellam lactantis ſupra caput emunctum. facit & papauer album contuſum cum lacte mulieris, & cum albumine oui ſupra caput illinitum.

Ex interius aſſumendis eſt contuſum ſeminis papaueris albi in iure pulli propinatum. vel

R. ſeminum, & corticum papaueris albi ℥.ij. aquæ fontis lib.s. bulliant ſimul parum, inde exprimantur, & ſuperaddatur ſacchari albi ℥.s. miſce, & cubitum ituro exhibe, eſt enim ſoporiferũ lene: erit fortius ſi uice ſacchari admiſces ſyrupum uiolaceum, vel nenupharinum, vel de papauere. Infraſcripti trochiſci ex Meſue ſunt experti ad vigiliam cum febre: ſedant enim alienationes, auferunt ſitim.

R. ſeminis lactucæ, portulacæ, papaueris, ſeminis cucurbitæ, melonis, citruli an. ʒ.v. ſucci glycyrrhizæ, amyli, tragacanthi, opij an. ʒ.j. s. terantur omnia tenuiter, & fiant trochiſci cum mucilagine pſylij, & doſis ſit ʒ.j. uſq; ad iij. cum aqua frigida: & quando maior urget neceſſitas cum aqua coriandri, aut lactucæ, aut cucurbitæ, & ſimilium. Trochiſci alij ex eodem

R. ſeminis hyoſciami, lactucæ, papaueris an. q. ſ. cũ ſucco lactucæ fiant trochiſci ad pondus ʒ. j. uel paulò plus, & exhibeantur. ad idem faciunt pilulæ de cynogloſſa: & Requies Nicolai: & tyriaca recens: & phylonium Meſuæ

suæ. opium cum oleo uiolato suppositum somnum indu cit: uerumtamen quia timor adest de nocumento præparari debet ut ad libitum filo appenso extrahi possit: & præsertim quando patiens iam dormire cœperit. Suppositorium magis securum fit ex puluere radicis mandtagoræ, & melle. Caputpurgium conueniens, & expertum est hoc, quòd habet opij, croci, corticum papaueris, cassiæ ligneæ an. q. s. dissoluantur in oleo ros. ad formā collyrij, & in nares immittantur.

Ex exterius adhibendis est huiusmodi linimentum.

R. succi lactucæ, portulacæ, semperuiuæ, folia hyoscyami, solatri an. ℥. s. farinę fabarum, hordei ana ʒ. ij. opij ℈. j. olei mandragoræ, rosarum ana ℥. s. mucilaginis psylij parum: coquantur omnia simul usquę dum fiant sicut pulmentum, & infrigidari permittantur: & post quàm caput embrocatum fuerit, superponantur. Embroca conueniens in causa calida, & acuta fieri poterit ex decocto papaueris, foliorum lactucæ, uiolarum, rosarum, nympheæ, salicis, seminis hyoscyami, & portulacæ. In causa autem frigida.

Accipe florum chamæmeli, meliloti, anethi, corticū papaueris, corticum radicis mandragoræ, amaraci ana partes æquales, coquantur in aqua usque ad consumptionem tertiæ partis, & ex ea fundatur super caput.

Ex expertis in prouocando somnum est emplastrum: quòd sic conficitur.

R. farinæ hordei ℥. iij. corticis radicum mandragorę, seminis hyoscyami albi, corticum papaueris ana ℥. ij. seminis lactucæ, portulacæ, florum uiolarum, nympheæ ana ʒ. j. coquantur omnia in succo solatri, hyoscyami, & mucilagine psylij: deinde addatur olei de mandragora, de nymphea, de papauere, de amygdalis dulcibus ana ℥. j. iterum coquantur ad formam pultis, & superaddatur lac mulieris puellam lactantis, in quo dissolutum fuerit opium ad quantitatem ʒ. j. & omnia optimè cōtusa, & admista obducantur supra caput post embrocationem: & si expediens videbitur, reiterari poterit.

Dicunt nonnulli quòd si quis amputauerit caput Noctuæ, unus ex eius oculis permanebit clausus, alter uerò apertus: qui portat oculum apertum in anulo uigilat: qui uerò portat oculum clausum somno afficitur. Idem affirmant de grue. dicunt etiam quòd cornu caprinum sub capite infirmi positum somnum præstat.

Cura particularis uaria est secundum quòd causę sũt uariæ: itaque si huiusmodi affectus fuerit cum materia, ut curetur euacuatione indiget: nam localia regulariter in tali casu operando non sunt adhibẽda, quin prius aliqua euacuatio præmittatur. Si uigilia fuerit à siccitate utatur æger aere humido, cibis humidis, & balneo aquæ dulcis: quòd si ex balneo nullum sequitur leuamẽ, est uel quia corpus ita exiccatum, ut nullo pacto humectari potest; uel quia corpus malis redundat humoribus, quos balneum agitat, eleuatque ad superiores partes.

Abstineat præterea ab intensis cogitationibus, ab ira, à uenere, à ieiunio, & à labore: & utatur quiete, & tranquillitate, & assidua inunctione ex oleis, & rebus humectantibus, ut emunctione lactis supra caput. Iuuat præterea attrahere naribus aliquid ex prædictis oleis, & clysteriis ipsos iniicere.

Si vigilia fuerit à caliditate utatur ante dictis, addendo tamen frigidiora: cõuenit succus cucurbitæ, portulacæ, semperuiuæ, virgæ pastoris, mucilago, psylij, & similia. Confert huiusmodi suffumigium.

R. rosarum, uiolarum, foliorum salicis ana ℥.j. sandalorum ℥. s. florum nympheæ ʒ. iij. corticum papaueris ʒ. vij. ponantur in phiala vitrea, quæ impleatur aqua ros. & clauso phialæ orificio bulliant super cinerem calidũ ad consumptionem tertiæ partis ipsius aquæ. postea detecto phialæ orificio, uapores ab ea emanãtes excipiantur ore, & naribus.

Si uigilia fuerit ab humoribus salsis, & nitrosis: quæ senibus, & decrepitis accidit, & est difficilioris curationis, quoniam materia nitrosa in istis continuè multiplicatur,

plicatur, nec ſuſtinent medicinas fortes ſolutiuas: per quas pituita craſſa, nitroſa educi poſſit: cura erit palliata, & blandiens: conuenit itaque embrocare eorum caput cum decocto hordei, chamæmeli, matricariæ, & ſimilibus attenuantibus, reſoluentibus, & remittentibus ſalſedinis acuitatem: unde ſomnus conciliatur. Item conuenit odorare oleum de matricaria, oleum irinum, oleum de croco. & quamuis medicinis ſoluentibus purgari non poſſint, medicinæ tamen lenientes ſunt opportunæ. ex extrinſecus adhibendis maximè probatur vnguentum populeon.

Si uigilia fuerit per conſenſum cura perficitur euacuando, diuertendo, & corroborando cerebrum ne recipiat, & prohibendo aſcenſum uaporum. Si fuerit per conſenſum à febribus confert exhibere diacodion purum, uel in uigilia multum intenſa admiſtum cum g. s. opij pro qualibet uice. quandoq; ad hanc intentionem ſufficit ſolus ſyrupus de papauere: & abluere faciem, & caput cum rebus infrigidantibus, & humectantibus. Semina papaueris albi contuſa, & in iure pulli propinata ſomnum præſtant ſuauiorem. Quandoque ad narcotica confugere debes, prius ad ea, quæ exterius, poſtremò coactè ad ea, quæ interius aſſumuntur: & præſertim in febribus à materia bilioſa, & tenui: nam in febribus à materia craſſa potius confert obducere capiti emplaſtrum ex chamæmelo, meliloto, & defruto.

Si uigilia fuerit per conſenſum à uentriculo curatur ad uentriculi curationem, alterando eius malam intemperiem, & euacuando per uomitum materiam in eo contentam: & corroborando eius debilitatem.

Si uigilia fuerit propter animi accidentia, ab ira, mœſtitia, amore, odio, intenſis cogitationibus per ipſorum accidentium remotionem, remouetur.

Si fuerit ex fluxu uentris reſtringatur uenter cum clyſterijs, & ſuppoſitorijs pro teneſmone, & dyſenteria deſcriptis.

Si fuerit ex dolore mitigetur dolor. Si fuerit ex coitu, &

tu, & nimia inanitione utatur æger uictu humectatiuo, & restaurativo, ocio, quiete, & balneo.

Si fuerit ex nimio loci splendore, & luciditate, degat in loco obscuro: sic omnes causę ad contrarium disponantur.

De Comate, seu Cataphora. Cap. V.

DEcipiuntur qui hãc uocem coma solummodo caron, & soporem importare putant: nam huiusmodi uox apud Hip. latius patet: sicuti benè testatur Gal. in lib. de comate. est.n. coma, seu cataphora cum somno, & est cum uigilia. ueruntamen comatis nomen absolutè prolatum intelligitur de illa stupiditate, quę fit cum somno. neque mirum sit, quòd coma stupiditatis nomine interpretatus sim, nam Haliabbas obstupefactionem simplicem uocat. nequeunt qui comate afficiuntur uigilantium munia obire, non apertos habentes oculos, sed conniuentes, ac palpebras claudere, simulq; dormire cupientes. uerũ horum quibusdam contingit aliquandò, ut licet clausas palpebras habeant, dormire tamen nequeant, sed plurimum uigilent. quibusdam verò accidit, ut mox dormiant, & profundè, & diu. Ideò duæ comatis, seu cataphoræ species constituuntur à Gal. coma uigil scilicet, seu cataphora non somnolenta: & coma, seu cataphora simpliciter prolata: quæ de somnolenta intelligitur. hic affectus ab Auic. vocatur subeth alshari.

Et prorrhet.1.t.1.

Causa.

Cuius causa primitiua est repletio ex multitudine, & uarietate cibi, & potus: itemq; frequens ebrietas, ex qua contingit generari humores pituitosos simul cum bile, sicut apparet in causis hæmitritei. & quandoque in tali compositione bilis superat, & tunc fit coma, seu cataphora uigil: quandoque superat pituita, & fit coma cum somno-

ſomnolentia : quandoque iſti humores æquantur, & fit coma, in quo nunc, nunc uigilant: nunc, nunc dormiunt. Cauſa antecedens erit ipſa pituita ſimul, & bilis diſpoſitæ, ut apoſtema faciant in cerebro.

Cauſa coniuncta erunt idemmet humores actu apoſtema facientes.

Dubitatur quomodo posſibile ſit, quòd ſimul coniungantur ſomnus, & uigilia, cum opponãtur per habitum, & priuationem. Gal. in lib. de Pulſibus ad Tyrones promittit ſe alibi declaraturum, an hæc pasſio ſit ponenda inter phrenitim, & lethargum, ut quæ cum neutro in totum affectu conueniat: ſiue communis eſſe ambobus exiſtimanda, ut ex phrenitidis ſpeciebus, & lethargi miſta, ſicut una forma media inter duo contraria : quæ ſit neutrum illorum: an ſit compoſita illa duo comprehẽdens: attamen hoc nullibi ab eo declaratum inuenitur. Gentilis dicit quòd ſomnus aliquando eſt coniunctus quibuſdam modis inquietudinis, & ſignis ſimilibus uigiliæ, ut cum homo dormit, & tamen oculi ſunt aperti: & è conuerſo quando uigilat: quòd patet, quia ambulat, & loquitur, & tamen oculos tenet clauſos. non eſt ergo ex ſomno, & uigilia reſultare formam tertiam per refractionem ſicut ex calido, & frigido : ſed eſt accidentia uni diſpoſitioni ſimilia reperiri cum alia diſpoſitione: Denique eſt imperfectus ſomnus, & imperfecta vigilia.

Signa.

Signa ſunt, quia ſi prędominatur pituita æger magis aggrauatur, & inclinatur ad ſomnum : cuius palpebras ſi eleuabis ſtatim concident, ob mollitiem à pituita cauſatam. ſin autem prędominatur bilis excitatur, & uigilat, quòd ſi dormiat in ſomno non profundatur, immò à quauis leui cauſa excitatur: adeſt tamen alienatio mentis, & inquietudo corporis, & rixa.

Signa communia ſunt, quia iacet ſupinus, habet faciẽ tumidam inclinantem ad colorem uiridem, cum quadã albedine in comate pituitoſo: ad colorem rubeum cum citrinitate in comate bilioſo : & quando loquitur inordinatè,

dinatè, & insulsè loquitur: & modo quietius predominante pituita: modo acutius, & arogantius prædominante bile. & inter bibendum suffocari uidetur: & magna pars ipsius potus effluit per nares, & hoc pessimum est signum. Sępissimè superuenit urinæ, & fæcum suppressio, & difficultas anhelitus: & hoc pariter malũ est.

Prognostica.

Pro causarũ ipsius comatis diuersitate, diuersæ quoq; prædictiones fieri possunt. exitiosum erit, si propter uirium imbecillitatem ortum habuerit. nec minus malè præsagiendum si in morbis calidis, & siccis refrigerato cerebro, coma factum fuerit, ut benè sentit Gal. quòd si frigidam, & humidam cerebri intemperiem insequetur, quæ de lethargo prædici solent, eadem & de comate. Denique omne apostema, omnis febris, & omnis ægritudo cum alia ægritudine complicata pessima est: hinc .n. denotatur multitudo, & malitia materiæ, quæ à natura regulari non potest, ut in hæmitriteis uidere licet: unus .n. istorum humorum non contemperat alterum: sed cum uterque sit corruptus, uterque lædit naturam, & debilitat: ueluti duo inimici inter se, si uni tertio inimicantur.

De morb. uulg. 3.

Cura.

Cura huius affectus conuenit cum regimine lithargiæ, & phrenitidis: & perficitur diæta, & pharmacia: & diæta quidem est, ut habitet domum in caliditate temperatam, & subobscuram: uel, si potuita superat, calidiorem, & magis luminosam, neque in somno profundari permittatur, sed frequenter excitetur.

Si verò bilis dominium habuerit, & æger multum uigilauerit, somnus acersitur cum leuibus frictionibus, & accendendo multas candelas, & uarijs de rebus sermocinando: postea statim sermonem relinquendo, & candelas extinguendo: & frontem, & tempora inungendo cum huiusmodi vnguento. R. succi anethi ℥.1.s. olei de papauere ℥.ij. coquantur ad succi consumptionem, inde addatur seminis papaueris, uel hyoscyami, & croci ana ℈.j.

℈.j. loco ſucci anethi oleum eius ſubſtitui poteſt, & cum populeone q. s. fiat unguentum. & uniuerſaliter qui patitur coma, uigil quieſcat, qui verò patitur coma ſomnolentum, excitetur, fricetur, & agitetur.

Circa cibum, & potum regatur æger cum his, quæ dicta ſunt in cap. de Phrenitide, & in cap. de Lethargo, & quotidie habeat uentris beneficium, ad quod irritari debet (ſi natura parum obediens fuerit) cum clyſterijs, & ſuppoſitorijs. Balnea in declinatione morbi cōueniunt.

Cura per pharmaciam quinque complectitur intentionibus: quarum prima repercutit, & digerit: ſecunda euacuat: tertia diuertit: quarta alterat, & localia adhibet: quinta corrigit accidentia. repercuſsio fit in principio cum oxirrhodino, uel alio repercuſsiuo conuenienti humori peccanti: quòd ſi febris multum infeſtauerit repercusſiuum erit frigidius: ſi autem parum infeſtauerit, erit temperatius.

Digeratur materia communiter cum huiuſmodi ſyrupo. R. ſtœchadis, amaraci, calaminthæ, origani, roſarum, uiolarum, capillorum veneris ana m. i. paſſularum, ſeminis endiuiæ, ſeminum communium frigidorum ana ℥. i. radicum fœniculi, apii, petroſelini, endiuiæ, bugloſſæ ana ℥. ii. berberis, ſandalorum alborum, & rubeorum ana ʒ. ii. decoquantur in quinque libris aquæ ad cōſumptionē medietatis: inde colētur, & in iure colato adde ſacchari albi lib. i. aceti acerrimi ℥. iii. cinnamomi, nucis moſchatæ ana ʒ. ii. omnia iterum bulliant, & fiat ſyrupus: cuius doſis ℥. ii. pro uice.

Si autem pituita præualet ipſi bili, poſſunt addi calidiora: & è conuerſo frigidiora præualente bile.

Concocta materia euacuatur cum aliquo medicamento conuenienti, & appropriato humori peccanti. Vniuerſaliter etiam euacuatio fienda eſt per phlebotomiā, ſi cætera conſenſerint, & in principio, ut monet Gal. & Auic. poſt phlebotomiam, & uniuerſalē euacuationem per pharmaciam, deueniendum ad euacuationē particularem capitis cum gargariſmis, caput purgiis, maſticatorijs,

13. Meth. prima. 3. cap. 13.

rijs, cum his, quæ in præcedentibus capitibus descripta sunt.

Pro tertia intentione diuersiones fiant cum clysterijs in materia pituitosa acutioribus: in materia verò biliosa lenioribus. Item variantur secundum temporum varietatem, nam in principio debent esse magis lenitiua, in augumento magis carminatiua, & adhuc magis in statu, pariter cæteræ diuersiones, ut in cura phrenitidis, & lethargiæ dictum est, conueniunt.

Pro quarta intentione post corporis euacuationem, mala qualitas in capite existens alterari debet cum lotionibus ex decocto chamæmeli, meliloti, anethi, amaraci, & similium: & cum vnguento ex myrrha, aloe, croco, sandalis, rosis, & meminthe cum albumine oui. Accidentia corrigantur, ut in superioribus dictum est.

De Congelatione, seu Catoche, seu Catalepsi. Cap. VI.

Congelatio interdum κατοχὴ, interdum κατάληψις græcè ab Auic. succhos appellatur. Gal. inquit refrigeratio cerebri cum fortis fuerit mista quidem humiditati facit lethargicas passiones: cum siccitate verò eas, quæ græco vocabulo καταλήψεις, idest deprehensiones nominantur. hæc ægritudo fit ab humoribus frigidis, & siccis, seu à frigiditate, & siccitate absque materia: & connumeratur inter passiones partis posterioris cerebri: per quam homo amittit sensum, & motum. Paulus scribit catochon diuersum à vigili comate, quòd simplicem non mistam habet causam, nimirum frigidiorem, sicciorem; materiam, quæ posteriore cerebri ventriculo obstructo malum hoc excitarit: ob quam etiam æger, si corripiatur subitò, in illa permanet figura, qua correptus est, stans scilicet, uel sedens, clausis oculis, aut respiciens. quam ob causam antiquiores

2. Aph. 3.

lib. 3. c. 10

tiquiores græci hoc pressos morbo catochos, vel catachomenos, quasi dicas occupatos, detentosq; nominarunt. accidit congelatio multoties melancolicis, & Senibus pituitosis, vtentibus victu frigido, & sicco tempore hyemali, & autumnali, & in regione frigida. & talis affectus fit non modo in neruis, verum in venis, musculis, membranis, & cuti. Symproma existit in genere noxæ functionum principum animalium, & proprie imaginationis abolitæ, quamuis & reliquę animæ functiones in ea vitientur, seruata tamen secundum naturam spiratione.

Hoc affectu laborantes adeo mente detenti sunt, & occupati, vt habeant oculos fixos, & palpebras penitus immobiles. Voce insuper, ac sensu priuantur, neq; audientes, neq; respondentes: admouent autem manus suas aliquando ad caput, ac nares, velut qui vellicentur, atq; hoc non sentiunt.

Differt congelatio à lethargia, nam in lethargia adest mala complexo frigida, & humida cum materia pituitosa apostema causante, & oculi manent clausi. in congelatione vero adest mala complexio frigida, & sicca, raro cum materia, & hæc si fuerit erit melancholica absq; apostemate, & oculi manent aperti. Conueniunt autẽ quia vtraq; passio fit in posteriore parte cerebri: & in vtraq; auffertur sensus, & motus, & obliuio supuenit.

Differt à stupore, quia stupor est magis in tactu congelatio autem magis in motu.

Differt à tetano, quia tetano laborans audit, uidet, & exercet sensus interiores, nequaquam autem cõgelatus.

Differt ab Apoplexia, nam licet in vtroq; affectu homo priuetur sensu, & motu volunrario, tamen Apoplecticus stat oculis clausis, nec habet membra frigida immobilia: & eius facies est magis similis faciei naturali: facies vero congelati magis vergit ad pallorẽ cum nigredine propter caloris extinctionem: & oculi vt plurimum sunt aperti nisi inter dormiendum congelatio superuenerit.

Causa.

Causarum congelationis aliæ procatarcticæ, aliæ antecedentes, aliæ coniunctæ. Causę procatartice, seu primitiuæ sunt res non naturales repentinam frigiditatem in parte posteriori cerebri inducentes: vt Aer frigidus; venti boreales: pluuia glacialis parti posteriori capitis impingens. Item facere iter per loca niuosa, & nimis frigida, ut per alpes hyemali tēpore. multi enim ex ijs, qui tunc temporis equitant congelantur, & eorum pedes amittunt sensum: postea stupidi putrefiunt, & sphacelantur: unde sicuti perfecta frigiditas aufert sensum, & motum, ita pariter nimia frigiditas parit grauitatem, & tarditatem in sensu, & motu, quæ congelatio dicitur.

Cibus frigidus actu, & potētia humorē melancholicum, & pituitosum vitreum in corpore multiplicans, sicut sunt fungi, mala insana, lentes, caulis, anguillæ, pisces, cetacei, caseus antiquus. potus frigidus ex aqua multum frigida, niuosa, & glaciali, & præsertim ieiuno stomacho assumpta, & post coitum. Contactus piscis torpedinis adhuc uiuentes: odor, & inuntio ex argento viuo: nimia attentio ad inspiciendum aliquod obiectum; hinc est quod poetæ finxerunt homines inspicientes caput Medusę lapideos factos, idest cōgelatos, & immobiles, ac si lapides essent: quia scilicet nimis attentè illius mulieris pulchritudinem contemplabantur.

Causæ antecedens possunt esse vapores, & humores frigidi, & sicci antequam induant crassitiem, & immobilitatem in spiritu animali: item omnis mala complexio, & compositio partium disponens ad hanc ægritudinem.

Causæ coniunctę sunt idemmet vapores, & humores, ipsaq; mala complexio frigida, & sicca actu immobilitans, & incrassans spiritus animales, eorumq; transitus obstruens, unde ad instrumenta sensus, & motus descē dere non possunt: neq; mirum est, quòd à transitu consueto impediantur: nam si in lethargia, quæ fit à pituita impediuntur: multo magis in congelatione, quæ ab humore

more crasſiori, ideſt melancholico conflatur impediri debent: & huiuſmodi cauſæ poſſunt eſſe per conſenſum à toto vt in febre epiala, & lypiria, & ſyncopali humoroſa, & in quartana: aut ab aliquo membro particulari, ut à ſplene, à diaphragmate, ab inteſtinis. poſſunt etiam eſſe per propriã eſſentiam in cerebro male diſpoſito.

Signa.

Signa prognoſtica ſunt diſpoſitio patientis: patiens enim erit diſpoſitus, quando ſortitus fuerit temperiem melancholicã frigidam, & ſiccam, vel à primo ſemine, vel à uictu inordinato, vel à curſu ætatis.

Signa demonſtratiua deſcripſit Raſis. inquiens cum aliquis quaſi dormiens iacet, & non mouetur, & licet oculi ſint aperti, palpebras tamen non mouet, congelatus eſt ſiue rigidus. Iacet igitur ſicut dormiens, quia quãuis frigiditas ſit in parte poſteriori cerebri attamen tanta eſt, quod communicatur etiam parti anteriori. Tenet autem oculos apertos, quia adeſt multa ſiccitas. non mouetur, quia ſpiritus ſunt incraſſati, & immobiles facti, unde non tranſeunt ad membra, & ad inſtrumenta ſenſus, & motus, & ab hoc etiam palpebras non mouet: quare vulgares, & indocti putant homines ſic affectos raptos à ſpiritu ad Dei contemplationem, & præſertim homines religioni deditos, qui vt ſancti habentur.

9. ad Almanſ.

Ecſtaſis, quam nonnulli attentiſsimè aliquod obiectũ inſpicientes, incurrunt, eſt diſpoſitio huic ſimilis: fiunt enim, & ipſi quoq; immobiles, & in vnũ locum intuentes, & tamen neq; uident, neq; audiunt: nam attenti fortibus imaginationibus delata ſub oculis non videmus, vt ſcribit Ariſt. ſecundo de Anima. pulſus eſt exiguus, languidus & multum denſus, & ſimilis quodammodo lethargicis, non tamen ita languidus, & mollis. præterea in cõgelatione æqualis eſt, in lethargia vero inæqualis. aluus, & vrina cohibentur non propter ſiccitatem

Gal. de pulſ. ad Tyrones.

nam æger interdum plurimo humido abundat, sed propter sensus deperditos.

Prognostica.

Congelatio vehemens est morbus insanabilis: cito. n. perducit ad sphacelum. Congelatio leuis sanatur, & præsertim in puero, & in iuuene. In sene vero semper habet difficultatem.

Cura.

9. ad Almãs.

Cura duplici perficitur Medicinæ instrumento: dięta scilicet, & pharmacia: ad quæ instrumenta Rasis respicies dixit æger curandus cibis, & Medicinis Subeth, & Lethargiæ, hoc tamen addito ut oleum Sambacinum super caput fundatur: & in omni libra eius sit vncia una euphorbii. quod remedium semper adhiberi poterit. Dummodo materia aliqua non adsit, quæ prius concoctione, & euacuatione indigeat, antequã localibus alteretur. Cura congelationis cõuenit cum cura lethargiæ: quia cum utraq; passio sit frigida indiget calefaciẽtibus: & cum vtraq; sit passio difficilis digestionis, & eradicationis requirit medicinas fortes. difficilioris tamẽ curæ est congelatio, quam lethargia: quia humor melancholicus difficilius digeritur, & euacuatur, quàm pituitosus: & etiam quia magis laboriosum est rem siccam humectare quàm humidam exiccare vt bene sentit Gal.

7 Meth.

Ad curam magis particularem deueniens in primis Aer eligatur ad calidum, & humidum vergens. Cibi sint ptisanæ succus, uel ptisana ipsa cum cinnamomo condita: uel panis in iure pulli coctus. potus cõueniens est aqua mulsa, quæ multum bullierit, aut uinum album, aquosum, tenue, subastringens, nam tale uinum non tentãs caput maxime iuuat. aqua autem per se sola infestissima est, flatum enim auget, fluctuationes facit, sitim nõ sedat, & lienem attollit.

Circa pharmaciam tuto in principio morbi uentrem eluere poteris huiusmodi clystere forti ℞. agarici, senæ, epithymi, stoechadis ana ℥.j. polypodij, anisi, fœniculi, cartami ana ℥. s. colocynthidis, turbit, ana ʒ. ij.

fumiter-

fumiterræ, calaminthæ, origani ana m. 1. coquatur in aqua, & colentur, & iuris colati accipe lib. 1. mellis ℥. ij. hyeræ Ruffini, vel hyeralogodionis ℥ ß. salis gemmę ʒ. ij. olei chamæmelini, de lilio ana ℥. ß. misce, & vtitor. Idē præstabunt suppositoria acuta. Quod si patiens tempe ramenti sanguinei fuerit, & vires, & cętera consenserint ex Aetij decreto, citra dilationem phlebotomia ex cephalica præmittenda est.

Interim, morbo dante inducias, materia cōcoquatur cū syrupo de fumoterræ, de betonica, & oximelite scillino. quòd si vrinæ crassæ fuerint (prout mōnet Aetius) anheti, apii, calaminthę, & aliorum, quibus attenuandi facultas inest decoctum dandum erit. Concoctam materiam euacuabis cum hyera simplici, & cū cassia: mox cū hyeralogodione, vel hyera Ruffi: vel elect. hamech, vel cum diasene solutiuo, secundum hanc formam,

R. fumiterræ, borraginis, ana m. 1. senæ, polypodij, epithymi ana ʒ. ij. coquantur omnia: cuius decocti colati accipe ℥ iij. floris cassię, diasenę solutiui, confectionis hamech ana ʒ. ij. misce pro potu in aurora exhibendo, vel.

R. hyeralogodionis ℥. ß. Elect. ros. Mesues ʒ. j. misce, & bolus fiat.

Frigiditas in capite, & in origine neruorum existens alteranda est cum embrocationibus, & vnctionibus. embroca conueniens, & in principio, & in augumento facta euacuatione, fit ex decocto chamæmeli, meliloti, stoechadis, foliorum citri, buglossæ, amaraci ana m. j. quæ omnia in decocto capitis arietis pro maiori hume ctatione bullire possunt. embrocationem sequatur inuentio, quæ sic fiat.

R. olei de narcisso, de amygdalis dulcibus ana ℥. j. olei sesamini ℥. ß. butyri recentis ʒ. vj. ceræ albæ ʒ. ij. fiat vnguentum. totum vero corpus etiam oleo anethino inūgi poterit, & præsertim hyeme; & in quibus tremor superuenit, castorei ʒ. j. cū aqua mulsa ori infundatur.

περὶ μνήμης ἀπολωλυίας.

De Memoria deperdita. Cap. VII.

MEmoria (vt inquit Cicero) eſt firma animi rerum, & verborum diſpoſitionis perceptio, uel Memoria eſt per quam animus reperit ea, quę fuerunt: Itaq; cum aliquis omnium rerum, quæ prius nouerat, oblitus fuerit, hunc memoriam perdidiſſe dicimus: accidit enim nonunquam vt & literarum, & artium, & proprij nominis aliqui obliuiſcantur. hoc Symptoma ſequitur morbum, ideſt ipſius cerebri intemperiem frigidam: quæ animales actiones torpidas efficit: & hoc oſtendit Gal. exemplo medicamentorum, quæ hoc ſymptoma facere poſſunt: quibus refrigerandi ineſt facultas: illud comprobans, ſi quidem calida cauſa facit ad motum, frigida autem otioſum, & ad motiones pigrum reddit animal: & hoc declarant ea animalia, quæ in latibulis hyeme, ac ſi mortua eſſent, ob vim frigoris degunt. Memoria aliquando corrumpitur, aliquando minuitur, & aliquando aufertur. eius corruptio aſsimilatur corruptioni rationis: & eius diminutio, & ablatio, aſsimilatur (inquit Auic.) ſtoliditati, & amentiæ: nam quotieſcunq; homo non poteſt retinere formas rerum, nec eas reducere, tunc intellectus, & virtus cogitatiua non habet copiam ſpecierum, in quibus exerceat actum diſcurſiuum: itaq; ſolummodo iudicat per ſpecies ab extra repræſentatas, non autē intus reſeruatas. unde non perſiſtit in iudicio, ſed efficitur ſtolidus, imprudens, & infanti ſimilis: infantes enim non bene de ſpeciebus ratiocinantur reſeruatis, quia nondum habent facultatem retentiuam ſtabilem: neq; habent copiam memorabilium: ſed pro ut res ab extra illis ſe ſe offert, ita de ea iudicant, ſtatimq; & de re, & de iudicio facto obliuiſcuntur: & nunc nunc plorant, nuc

Gal. 2. de cauſ. ſymp.

Tertio de locis affect.

nuc nunc rident: modo unum appetunt, modo aliud.

Ad bonam efficiendam memoriam requiritur in primis dispositio cerebri moderata in caliditate, humiditate, & siccitate. Audire pauca: nam multarum, & variarum rerum auditor nihil fere retinet: omne enim superuacuum pleno de pectore manat (inquit Horat.) itē habere corpus, & mentem pacatam, & à curis liberam: Sic enim anima facilius conuertitur ad memoranda apprehendenda unde illud tritum est, sedendo, & quiescē do anima fit prudentior.

Inter cæteros homines pueri, non tamen admodum pueri bonam memoriam habere solent: omnes enim formæ sunt illis nouæ, & eorum anima est tanquam tabula rasa: ideo velocissime eas apprehendunt, & tenacissimè retinent: nam quo semel imbuta est recens, seruabit odorem testa diu. Secundo loco illi, qui procul negotiis ociosam ducunt vitam, & rebus memorandis magis intenti esse possunt: quare habentur boni in studio, inepti autem ipsi foro.

Tertio loco sunt senes, seu in principio senectutis cōstituti: qui propter siccitatem, ab ætate contractam, retinent quicquid à teneris percepere: dummodo talis siccitas non sit multum excedens: nam siccitas intensa obliuiosum facit hominem, vt infra dicemus.

Qui enim sunt calidi, & humidi cerebri uelocem habent ingenium: attamen sunt immemores propter humidum, quod facile recipit, & calidum multū mouens: calidum enim multas per se mouet imagines: quas uniuersas humidum continuè fluens commiscet, atq; perturbat.

Qui sicci supra modum sunt cerebri tardum habent ingenium, nam vbi nullus in occipite sit humor nulla ibi imago figi potest: si igitur nihil prorsus imprimitur: quomodo in memoriam aliquid redibit? Velocissimi itaq; ingenij, & tardissimi sunt immemores: hi quidē, quia humido superfluunt, & calido multas inueniente rerum imagines, ac ideo magis in humido effluitantes,

quod altera alteram etiam pellat. Illi autem quia nec calor suscitat, nec ullus humor recipit imagines, etiam si calor suscitans affuerit. qua de causa, & qui frigidi sunt, tardi uidentur, & eò tardiores, quò ficciores extiterint. Calidi ad inuentiones erunt parati: ueruntamen si supra modum ficci, immemores erunt. Sin auté quantum satis sit humidi, calidi, ficciq; simul erit: & ad inueniendum parati, & memores erunt.

Augetur, & conseruatur memoria studio, industria, & exercitatione, & libero ab aliis cogitationibus animo. quantum in hac re possit industria Themistocles nobis declarauit: quem intra anni spatium persicè optimè locutum constat. vel Mithridates, cui duas, & viginti linguas, quot nationibus imperaret, notas fuisse. vel Crassus Licinius ille diues, qui cũ Asiæ præesset, quinq; græci sermonis differétias sic tenuit, ut qua quisq; apud eum lingua postulasset, eadem ipsiius redderet. vel Cyrus, quem omnium militum sui exercitus creditum est tenuisse nomina. Sic etiam semel auditos, licet multos uersus, breui tamen memoriter retulisse Teodetes fertur.

Quintil. lib. xj.

Famam prompti, & optimi ingenii, qui memoria vigent, sibi conciliant. Contra immemores, tardi, pingues, Stolidiq; & sunt, & habentur: veluti Curionem habitum legimus: qui adeò nullius fuit memorię, vt aliquoties cum tria proposuisset, aut quartũ adderet, aut tertium quereret.

Operationes virtutis memoratiuæ sunt tres. prima est motus spiritus ad sigillandum speciem memorabilem. secunda est quæ affert, & resignat speciem memorabilé cogitatiuę, & intellectui, vt super eam discurrat, & iudicet: harum duarũ operationũ læsionis potissima causa est frigiditas spiritus immobiles reddens, & ineptos ad pręsentandum, & imprimendum.

Tertia operatio est retentio specierum impressarum. & quia bona retétio principaliter fit à ficco moderato: si nimia superuenit humiditas, hæc pariter operatio

vel

vel diminuitur, vel corrūpitur, vel auffertur. hinc itaq; patet quod frigiditas est causa memoriæ deperditæ in prima, & secunda operatione: & humiditas in tertia operatione. Veruntamen quia vt plurimum tres prædictæ operationes simul lęduntur: vt plurimum etiā prædictę causæ simul concurrunt. optimè igitur à Serap. scriptum est hanc ægritudinem fieri à mala complexione frigida, & humida; rarò autem ab intemperie sicca: tuncq; talis intēperies erit in extremo siccitatis, vt in latere ad ignem exiccato videre licet: nullam enim amplius impressionem recipere potest. huiusmodi quælibet intemperies potest esse cum materia, uel sine materia: cum Apostemate, vel sine Apostemate. & quandoq; hic affectus est per propriam essentiam in cerebro & tunc vel in determinata sede ipsius memoriæ scilicet in occipitio, uel in alia sede, vt in medio vētriculo, uel in Sincipite. quandoq; per consensum cęterorum membrorum à capite.

Causa.

Causa memoriæ deperditæ (vt summatim dicam) alia primitiua, alia antecedens, alia coniuncta.

Causa primitiua sit Aer multū frigidus, & humidus: mora in antris, & locis frigidis, & humidis: frequēs balneum aquę dulcis frigidæ: nimia quies: somnus longus, & diurnus: Vsus ciborum frigidorum, & humidorum, & medicaminum narcoticorum: Frequens crapula, satietas nauseatiua, & ebrietas: Metus repentinus, & vehemens: Mæstitia intensa: Casus ex alto: percussio capitis ab aliqua re extrinseca: vt Messalæ Coruino oratori contigisse fertur: qui lapide ictus, adeò memoriam perdidit, ut non modo literarum uerum proprii nominis oblitus, vix paucula verba coniungere sciret.

Causa antecedens est intemperies frigida, vel humida: multiplicatio humorum, vel vaporum frigidorum, & humidorum in vniuerso corpore, uel in membris inferioribus, uel in ipso capite: quæ intemperies iam cō-

irmata

firmata in posteriori ventriculo cerebri, ex causa antecedente fit coniuncta.

Signa.

Signa memoriæ deperditæ manifesta fiunt ex verbis insulsis, sermonibus incompositis, & operationibus ipsius patientis. Si memoria fuerit deperdita ob puram frigiditatem, aderit stupor, & vertigo. Si vero fuerit ob frigiditatem cum humiditate aderit somnus profundus, longus, & lethargicus. Si ob solam humiditatem aderit somnus longus, sed non profundus, & grauitas capitis cum multis à naribus & à palato excrementis, & non recordantur rerum præteritarum: quoniam formæ delentur à superfluo humido: sicut si cerá iamdiu signatam liquefeceris, delebitur figura, quæ iampridem fuerat à sigillo impressa: veruntamen formas recenter impressas per spatium dimidiæ horæ, vel plus, vel minus retinere solent.

Si fuerit deperdita ob frigiditatem cũ siccitate, aderunt vigilię, sed non veræ vigilię, imò dispositio quædã media inter somnum, & vigiliam: nam siccitas facit ad vigiliam, frigiditas autem ad somnum, unde ex vtrisq; insurgit quodam mistum ex somno, & vigilia: & patiẽs seruabit formas in præterito impressas: dum memoriæ organum naturaliter se habebat: nam siccitas superueniens eas non delet: uerum magis adherere facit: sed formæ iterum imprimendæ, neq; imprimi, neq; momento temporis seruari possunt: & hoc patet in decrepitis, qui continue ad fastidium auditorum nugantur, & narrant historias antiquas; & res in sua iuuenta gestas: sed de re nũc nunc visa, vel audita, neq; recordantur, neq; verba facere sciunt. Optimè igitur fabulatum est Tithonum post longissimam vitam in cicadam versum: nam oẽs decrepiti cicadarum naturam nugãdo sibi induũt.

Si fuerit deperdita, uel læsa ob caliditatem, & siccitatem, aderit mentis alienatio, & delirium, & rationis confusio: à caliditate enim & siccitate memoriam lædi posse testatur Galenus, scribit enim se nouisse quendam

De loc. aff. 3. c. v.

dam

dam qui ob labores in studijs, atq; vigilias memoriam penè amiserat, læsa etiam ratione. Item agricolam, qui ob labores, quos vites colendo subierat, ac tenuem victum, eodem modo affectum esse.

Prognostica.

Obliuio ex frigiditate, & humiditate eueniens sanis vt nunc præludium est ægritudinum frigidarum, vt lithargiæ, vel Epilepsiæ, vel Apolexiæ: multa enim pituitæ copia in capite contineri denotatur: vnde prædictæ euenire solent.

Obliuio à caliditate, & siccitate conflata difficilius curatur, quam à frigiditate: quia facilius, & tutius, est calefacere, & desiccare, quā infrigidare, & humectare,

Cura.

Primo sciendum est me tantummodo curationem scribere istius affectus, quando est primario, & per propriam essentiam in cerebro: non autem quando est per consensum. nam Memoria deperdita per cōsensum nullam propriam curationē requirit: sed sublatis primis, & proprijs morbis, quos insequitur, statim ipsa quoq; curatur, quemadmodum si obliuio insequatur lethargum, uel alios soporiferos affectus.

Si memoria deperdita fuerit ob frigiditatem, & humiditatem (ab his.n. causis ferè semper euenire solet.) Aer, uel natura, uel arte calidus eligatur, procul à uentis, & multi luminis, ut æger à somno excitatus detineatur. Fugiat mœstitiam, & multas cogitationes: confert aliquando ad iram prouocari: & ad memoriam reducantur ea omnia, quibus oblectari solebat, ut spiritus sopiti excitentur. Fugiat somnum diurnum, & immediatè post cibum: imo, quod magis est, neque in somno nocturno profundari permittatur. & sicuti multus somnus uitandus est, pariter superflua uigilia, quæ spiritus resoluendo debilitat, & cerebrum uaporibus implet: qui deinde propter debilitatem discuti non possunt, exerceatur mane exonerata aluo, ambulationibus moderatis, & partium inferiorum frictionibus. abluatur caput

caput non quidem aqua simplici calida, sed aquis mineralibus, uel marinis calefacientibus, & exiccantibus: uel cum lixiuio, aut aquis, aut uino, in quibus res calefacientes, & exiccantes sint decoctæ. Lixiuium bonum ad memoriam deperditam, recuperandam sic fieri poterit. Accipe lib. 1. aluminis fęcum, & ponatur in colo suspenso, cui adde cineris radicum, & stipitum caulium, uel uitis sufficientem quantitatem, desuper aqua feruida, uel uinum feruidum proijciatur, & fiat lixiuiū colatum: in quo bulliant acorus, stœchas, folia lauri, grana iuniperi, rosmarinus, conus cupressi, saluia, chamæpytis, & iterum coletur, & seruetur ad usum: hoc. n. lixiuio bis in hebdomada, post uētris exonerationem, & ieiuno stomacho caput lauari poterit, aqua frigida, & quicquid actu refrigerare potest, fugiatur. Cibus sit tenuis in quantitate, qualitate, & modo substantiæ: Cōuenit primum panis bene fermentatus, & optimè coctus, carnes turdorum, merularum, turturum, perdicū, alaudarum, & similium, & offa in iure ciceris, in quo saluia, anethum fuerit decoctum. eius cibaria condiantur cum huiusmodi puluere. Recipe piperis nigri, piperis longi, gingiberis, croci, caryophyllorum ana ʒ. ij. cubebarum, nucis moschatæ, amaraci, ana ʒ. j. galangæ, cinnamomi, acori ana ʒ. 1. s. puluerizētur omnia simul, & puluis ad usum seruetur.

Conuenit illud obsonium, quod uulgo Mostarda ex sinapi dicitur: & gingiber, & acorus conditus. Item oua recentia nequaquam in sartagine frixa, neque dura.

Caueat à carne porcina, anatina, anserina, à piscibus, à caseo, lacte, à pasta infermentata in iure cocta: à leguminibus, à brassica, à lactuca, à fructibus horarijs, ac bellarijs, & denique ab omnibus cibis uaporosis crassæ substantię, & duræ concoctionis. Caueat pariter crapulam, & ebrietatem. Vinum in pauca quantitate sumptū affert ipsi nutrimento penetrationem ad membra: exhilarat spiritus, & concoctionem adiuuat: in multa autem quantitate multos eleuat uapores cerebrum replentes,

& inna-

& innatum calorem extinguentes: ne igitur error committatur tutior fuerit potus aquæ mulsæ, in qua acorus, cinnamomum, nux moſchata, & amaracus prius bullierint.

Cura obliuionis ob frigiditatem, & ſiccitatem requirit humectantia, & calefacientia: conueniunt iura pinguia carnium, far, oriza cum cinnamomo, atriplex, ſpinachia, borrago, oua recentia: carnes hædinæ, ueruecis, caponum, pullorum. Vinum lymphatum, odorum: &, ut ſummatim dicam, omnes cibi calidi, & humidi. Vtatur exercitio moderato: fiant frictiones cum pannis aſperis circa caput, ut nutrimentum, & humores ad ipſum attrahatur: reliquum corpus exerceatur quãtum ad excitandam famem ſufficiat: ſomnus ſit longior, utatur balneo ex decocto chamęmeli, meliloti, & pedum ueruecis: & eodemmet decocto abluatur caput: & inungatur ex oleo liliorum, uel narciſsino, uel cheirino. à Venere penitus abſtineat. Vitetq; animi perturbationes.

Cura obliuionis ob caliditatem, & ſiccitatem, requirit quidem humectantia, ſed parum calefacientia: & calida licet non conueniant propter diſcraſiam calidam: attamen multum iuuare poſſunt corroborando naturalem temperiem partis poſterioris cerebri: & dando humectantibus penetrationem.

De qua Gal. 3. de loc. aff.

Cura obliuionis ob frigiditatem ſolam, vel humiditatem ſolam, uel ob ſolam ſiccitatem non eſt ut hic deſcribatur: nam qui nouit curare intemperies compoſitas, nouit etiam curare ſimplices.

Venio nunc ad curationem per pharmaciam, quæ tribus perficitur intentionibus: quarum prima diuertit: ſecunda digerit: tertia euacuat: huiuſmodi curatio pręſupponit quòd prędictæ intemperies ſint cum materia: nam quando ſunt abſque materia ſola diæta, & alteratio ad contrarium pro curatione ſufficit.

Diuerſio fit ad partes inferiores cum clyſterijs acutis attrahentibus: & cucurbitulis ſuper ſpatulas, & na-

tes appositis: & cum alijs diuersionum generibus.

Digeritur, & præparatur materia cum syrupis, & potionibus conuenientibus: syrupus digestiuus materiæ pituitosæ fluidę, fit. Recipe betonicæ, origani, amaraci, saluiæ, chamædryos ana.m. 1. radicis acori, corticū citri, anisorum, fœniculi, stœchadis, passularum ana ℥.5. coquantur omnia quantum satis est, inde colentur, & cum saccharo, vel melle dulce reddatur: & ad pondus dimidiæ libræ pro vice per plures dies in aurora exhibeantur.

In materia pituitosa crassa, & mucilaginosa addatur prędictę decoctioni hyssopi, calaminthę, granorum iuniperi, pyrethri, costi, ana ʒ.2. iterum bulliant, & colentur, & decoctum cum aceto scillino, ut maiorem habeat incisionem, & penetrationem acidum fiat. uel Recipe serpylli, hyssopi, betonicæ, thymi, amaraci, stœchadis ana m. 1. bulliant. in s.q. aquæ huius decoctionis Recipe ℥.v. oximel. scillini, rodomelis, ana ℥. 5. misce, & in diei crepusculo exhibe. his vel similibus syrupis pluries propinatis, secundum totum, vel partem (concocta, ac præparata materia) euacuare licebit ex decocto myrobalanorum chepulorum ʒ. 3. & agarici ʒ. 1. & florum stæchadis ʒ. 5. cui adde syrupi de pluribus infusionibus rosarum rubearum ℥. 2. diacatholiconis ℥. 5. qđ si vnica vice totus humor euacuari non poterit, vt pote crassus, & lentus, iterum erit præparandus, & cōcoquendus cum ijsdem, vel valentioribus syrupis, vt syrupo de stœchade, aut oximel scillino permiscendo cum aliquo ex prædictis decoctis, & præparatus denuò euacuabitur ex catapotijs arabicis, aureis, sine quibus, vel aggregatiuis cum agarico permistis. in qua euacuatione Regulam à mesue traditam, ut scilicet à medicinis cum facilitate operantibus incipias, obseruabis: sicut est hyera confortata cum pulpa colocynthidis, & castoreo: & gradatim procedas ad maiora: sicut sunt hyeræ magnæ: theodoricon anacardinum cum nuce moschata: hyera Ruffi ut paulo, & Aetio visum est. Vsus clysteriorum acutorum

torum in ijs, qui à medicamentis per os assumendis abhorrēt maximè probatur, sub hac forma. Recipe decocti betę, Mercurialis, Maluarum, chamæmeli, furfuris lib. 1. salis communis ℥. 5. Sacchari rubei ℥. 2. olei anethini, chamæmelini ana ℥. 1. 5. infusionis agarici bene expressi ℥. 5. hyeralogodionis ʒ. 5. misce, & inijciatur.

Facta sufficienti euacuatione deueniendum ad resol uentia, exiccantia, & corroborantia, ad hanc intentionem probatur confectio Anacardina sumpta singulo mane per plures dies ad quantitatem ʒ. 5. uel minus cū aqua calida ieiuno stomacho: datur autem cum aqua ca lida vt remittatur eius acuitas, & nimia exiccatio: quæ confectio exhiberi non debet ijs, qui habent membra, principalia calida: neque ijs, qui patiuntur obliuionem à siccitate causatam. probatur etiam gingiber cum saccharo conditum, quandoq; confortatur cum olibano, & pipere, & est efficacius. Medicamentum expertum Mesue conseruans memoriam, & conferens senibus. Recipe mellis anacardini, olibani, cyperi, acori, ana ℥. 1. piperis, macropiperis ana ℥. 5. chepulorū, indorum ana ℥. 1. mellis q. s. fiat elect. dosis eius ʒ. 1. vsquè ad ʒ. 2.

Aliud Recipe olibani, cyperi, piperis, croci, myrrhæ ana partes æquales cum saccharo q. s. fiant rotulæ, dosis ʒ. 1. 5. vel ʒ. 2. aliud Recipe cinnamomi, rosarum rubea rum, violarum, gingiberis, cardamomi ana ʒ. 2. squinan thi, spicæ, caryophyllorum, cubebarum, folij, uel loco eius nardus indica ponatur, galangæ, borraginis, senæ, spodij, corallium, mastiches, macropiperis, styracis calamitę, serici cōbusti, ana ʒ. v. moschi ℈. 1. syrupi ros. q. s. Medicamentum optimum quando materia esset melancholica, neque fineret rerum species in memoria imprimi. Recipe hyssopi, balsamitæ idest menthæ roma næ sic dictæ, corticum citri, myrtillorū, glycyrrihzæ ana ʒ. 3. squinanthi, spicæ, caryophyllorum, cinnamomi, gin giberis, epithymi, cyperi, tragacāthæ, amaraci ana ʒ. 3. pistaciorum, passularum, ana ℥. 5. senæ ʒ. 1. galliæ moschatæ ʒ. 5. syrupi de calamintha q. s. ad conficiendum.

Interim,

Interim, vacuato bene corpore, adhiberi poterunt capiti ablutiones, & linimenta extrinseca, ut Recipe Vini sublimati, aquam vitæ appellant, lib. 5. cariophyllorum nucis moschatæ, acori, amaraci, chamæpityos omnium in puluerē redactorum ana ʒ. 1. misce in vase stricti orifficij benè obturato, & quando vsus postulat, concussis omnibus, & ad ignem tepefactis, caput prius abrasum illine: & puluis tenuissimus caryophyllorum, & cubebarum superaspergatur. Linimentum hoc cōfert obliuioni, lithargiæ, & congelationi. Recipe olei sampsucini, id est de amaraco ℥. x. olei de been ℥. 2. Euphorbij ℥. 1. castorei ℥. 5. misce, & occiput illinito. laudatur etiā linimentū ex sinapi, & castoreo. & ex castoreo dissoluto in aceto cui oleū de lilio sit admistū: Quòd si prædicta nō cōtulerint utere caput purgijs, sternutatorijs, gargarismis, & masticatorijs trahentibus materiā pituitosam, superius descriptis. & tandē ad emplastra rubificātia, & ad ipsa cauteria deuenies. Emplastrum optimum fit ex sinapi, thapsia, castoreo, & prassio: & fricetur patiens ex oleo ueteri, & nitro. Si opus fuerit fortioribus, adhibe emplastrum ex sinapi, ruta agresti, castoreo, & euphorbio. Interim olfaciat huiusmodi pomum: quod corroborat cerebrum, memoriam, & bonum conciliat intellectum. Recipit ligni aloes, thuris, nucis moschatæ, radicum peoniæ, rosarum, calami aromatici ana ʒ. 1. styracis calamitę, ladani ana ℥. 5. fiat pomum odorandum: de quo proijciatur super prunas, & fumus ore excipiatur & naribus. occiput, post linimenta, & inunctiones huiusmodi sacculo foueri poterit: accipit enim florum rosmarini, melissophylli, lauandulæ, singulorum m. 1. florum sambuci, florum myrti ana m. 1. stœchadis ʒ. 3. nucis moschatę, ligni aloes, macis singulorum ℈. 1. contusa in serico consuantur, formeturquè sacculus. quòd si morbus chronicus factus fuerit, inuratur cauterium in nucha penetrando vsque ad os, vbi caput ipsi collo connectitur.

In materia melācholica frigida, & sicca conuenit digestio

gestio cum syrupo de fumo terræ, de pomis, de epithymo cũ aquis betonicæ, melissæ, & similibus: quibus ꝓ vt visum fuerit pluries assumptis infrascripto medicamento purgabitur. Recipe myrabalanorum indorum ʒ.ʒ. senæ, epithymi, polypodij ana ʒ.2. florum lupulorũ, fumiterræ, borraginis ana ʒ.2. fiat decoctum in aqua fontis in cuius expressionis sufficienti quantitate dissoluatur mannæ electæ ℥. 2. diacatholiconis ʒ.7. aut diasenæ ℥. 5. fiat potio. At si ob extremam senectutem euenerit obliuio non oportet curiosè aliquid moliri: sed sola conuenienti victus ratione contentus eris. si vero à causa primitiua fuerit conflata curabitur ad ipsius causæ remotionem: & mala qualitas impressa abolebitur cum medicinis ad contrarium temperamentum reducentibus.

Ad memoriam deperditam valet limatura eboris assumpta. item nonnulli scribunt exploratum esse, quòd lingua upupæ suspensa super patientem obliuiosum, reuocat ipsum ad bonam memoriam, & bonum intellectum. & pariter quòd abluere caput cum lixiuio. in quo thus, senæ, flores chamæmeli bullierint, maxime confert.

Memoria artificialis quo pacto acquiri possit Cicero, Quintilianus, & inter posteriores Sauonarola in sua praxi docuit. ad Heren. 3. cap. 8.

περὶ μελαγχολίας.

De Melancholia. *Cap.* VIII.

MELANCHOLIA æquiuocè dicitur, & de Melancholico succo, qui in homine sano simul cum alijs humoribus in uenis reperitur, & est ueluti fœx sanguinis, parsq; illius terrea, & densa: & fit actione Naturæ chylum immutantis: imo à primo semine contrahitur, & proportionaliter crescit, & augetur cum *alijs*: & nutrit, conseruatque membra: quæ tali humore oblectantur, sicuti sunt ossa, & lien: qui succus (Sic enim à Galeno appellatur) probè attemperatus, iudicio, ingenio, ac

2. de facul. natur. & 4. de vsu par. cap. 5 & alibi.

ac ſapientiæ plurimum conducit: Vnde Ariſtoteles in problematibus teſtatur homines, qui uel in ſtudijs philoſophiæ uel in Rep. adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis claruerunt melancholico ſucco abūdaſſe, ſeu melancholicos omnes fuiſſe non per morbum, ſed per naturā.

30. proble. 1.

Pariter dicitur de ægritudine: in qua facultates animales læduntur, & corrumpuntur, non tamen omnes facultates, ſed ſola imaginatio, & cogitatio: Memoria autem, ut plurimum, perſiſtit, & manet illæſa de huiuſmodi autem melancholia in præſentiarum agere debemus.

Lib. 3. c. 14.

Diffinitur à Paulo Malancholia eſt mentis quædam alienatio ſine febre ex melancholico maximè humore naſcens, qui mentis ſedem occupauerit, alias cerebro ipſo per ſe ægrotante: alias totius corporis conſenſu immutato. Auic. inquit melancholia eſt mutatio exiſtimationum, & cogitationum, ſupple tu, & imaginationnm à curſu naturali ad corruptionem, & timorem, & ad malitiam, ideſt ad peruerſum iudicium propter complexionem melācholicam facientem ſpiritum cerebri interius ſilueſtrem, & timidum propter tenebras ipſius: ſicut tenebræ extrinſecæ ſolicitant, & timere faciunt.

3. de loc. aff.

Nunquid autem ut inſtrumentalis, uel ut ſimilaris pars, cerebrum ipſum in malencholia afficiatur, idemmet Galenus oſtendit, dicens, vbi vero in ipſo cerebri copore melancholicus ſuccus abūdat, eā inſanię ſpeciem, quā græci μελαγκολιαν uocāt, efficit, quo fit vt neq; ſubito neq; affatim ſoluatur: nam totius ſubſtantiæ cerebri tēperies mutata eſt: ex quibus liquet cerebrum ut ſimilarem partem, & non ut inſtrumentalem in melancholia læſum eſſe. nam cum meatus obſtruuntur ut inſtrumetalis cum vero temperamentum ut ſimilaris pars læditur.

Melancholica deliria multiformia quidem ſunt ob particulares corruptas imaginationes: imo tàm latus huius dementiæ campus, ut pauci ſint hominum, qui in eo non ſpatientur, & in eo varia de ſe non edant ludibria. Alij ipſorum rident ſemper & cum hilaritate imaginantur, & Democritum agūt Abderitam. alij plorant. alij cum ira, & contentione reſpondent phreniticis in ea re ſimiles. Quidam ipſorum cū torpore mul-

to,

to, ac segnitie, ut ipsi loqui nolint, stultorum modo, quos græci μωρους vocant. nonnulli opinionibus addicti sunt, & futura prædicere arbitrantur. hi mortem desiderant. illi iugulari exoptant. Alius fuit, qui se testam factum esse putauit atque idcirco obuiantibus cedebat ne collideretur. Alius se esse lupum credebat: vnde fortassis locus fabulæ datus Lycaonis in lupum conuersi.

Alter gallos cantare audiens, ut hi alarum, ante cantum, sic ille brachiorum plausu latera quatiens, animantium sonum imitatus est. fuit item alter (ut Gale. scribit) timens ne Atlas, qui mundum sustinere dicitur, grauatus sub tãto onere, ipsum à se excuteret, atque ipse cum illo collideretur. Quidam neque omnino se caput habere putauit ad quem excogitasse dicitur Philotimus, supra reliquam curationem, plumbeum pileum, à quo grauatus, caput se habere intelligeret. Alijs quidem caput plenum esse uidetur: Alijs uero leue, & uacuum. Alijs siccum. fiunt aliqui mente capti, & timidi, & misericordes, & lachrymantes. Quidam etiam dæmones ab inimicorum præstigijs sibi immissos esse putant. Alij venenosum pharmacũ accepisse suspicantur. Alius amicissimos timet. Alius odio omnes homines prosequitur. Quidam aquam timent, & vinũ, & oleum, & omnem liquorem, ueluti qui morsi sunt à rabido cane. Causa tot, & tamen diuersorum symptomatum non bene à Medicis assignari, nec ostendi potest. fortassè est ob diuersitatem humoris melancholici conflati ex uictu precedenti: uel quia hic humor in hoc indiuiduo potest inducere talem modum dementiæ, in alio autem alium modum. Plurimorum uero symptomatum, & si non omnium, causas Medicum dicere non est difficile: uelut qui sibi uidet vas fictile esse propter siccitatem hoc patitur, frigidus enim & siccus est humor melancholicus. similiter etiam qui cutem suam siccis pellibus similem esse arbitratur. qui uero putabat se caput non habere, fortassis ob leuitatem hoc passus est, quam flatus ventosus sursum latus ipsi exhibuit. Cur vero appetunt melancholici plures cibos? num quia frigescit os ventris? cur autem aliqui ipsorum vini potores sunt? num quia frigiditas calefactione opus habet? Cur autem occidunt se ipsos? num quia à maiori-

3. de loc. aff.

Ex Aetio.

bus malis liberare se putant? cur assiduę cruditates ipsis fiunt? num quia turbatum, & superfluitatibus plenum est ipsorum corpus, & propterea etiam uenter intemperatus, ut qui semper ex atræbilis humore perfrigeratur? cur autem alui plerunque ipsis siccantur? num quia flatus supernè circa præcordia consistunt, & non valde infra secedunt? necesse itaque est ob hoc ipsum ventres siccos esse.

Vnum omnibus ipsis melancholicis commune est: timor, & tristitia: tristantur enim omnes præter rationem, neque si interroges habent, quod dicat, cur tristentur. Sed non est mirum si eis timor, mœrorque accidat: si quidem eorum, quæ extra corpus sunt, nihil videmus, quod nos perinde terreat, ac tenebræ. itaque cum tenebræ rationalis animæ parti sunt circūfusæ, necesse est hominem timere, vt qui semper vna cum corpore suo timoris causam circumferat. sicut enim in profundis tenebris pueri timent, itemque adulti imperiti: ita etiā atræbilis color, velut tenebræ rationis locum obumbrans timores efficit.

Aetius, & Gal. de caus. symp. 2. c. 7.

Sed vtrum nigredo, & obscuritas humoris, vel spiritus, aut substantiæ ventriculorum cerebri in ijs, qui atrabile laborant, sit causa timoris, & mœstitiæ: magna est altercatio inter Auerroem, & neotericos Medicos. Auerroes enim cōtra Galenum ostendere conatur, nigredinem siue in humore, siue in spiritu, siue in cerebro causam timoris, aut mœstitię nullo modo esse: quia si esset sequeretur colorem esse ægritudinem, cum immediate, & per se lædat operationes, scilicet debitam cogitationem & debitam imaginationem: consequens tamen est falsum, quoniam genera ægritudinum nunquam distincta sunt nisi in malam temperiem, malam compositionem, & unitatis solutionem. ad hoc Medici respondent, cuius temperies est sanitas, eius intemperies est ægritudo, per locum à contrario: sed luciditas spiritus, & cerebri est causa quòd species recipiantur sub ratione conuenientis, si obiectum tale sit: ergo obscuritas erit causa, quòd recipiantur sub ratione horrendi, & incōuenientis: & per consequens nigredo in spiritu, seu obscuritas erit ægritudo.

3. colliget c. penult.

Et confirmatur quia color corneæ, & crystalloidis est ægritudo

tudo impediens debitam receptionem ſpecierum viſibilium: præterea quantitas aucta, aut diminuta eſt ægritudo, & mediocris eſt ſanitas: ergo ita erit in colore, & luciditate: tenet conſequentia, cum quãtitas ſit minus actiua, quam color, ut concedit Auer. ad id quod infertur uidelicet quòd plura eſſent genera ægritudinum quam tria: reſpondent quòd non eſſent plura, quia color reducitur ad malam temperiem: nam temperiem ſequitur. aliter, & melius, quòd medici poſuerunt tantum tria genera ægritudinum omnibus membris communia, malam ſcilicet temperiem, malam compoſitionem, & continui ſolutionẽ: non tamen negarent alia eſſe particularia genera ægritudinum, ſicut diaphaneitatem, luciditatẽ, & hmõi quæ non debentur oĩbus mẽbris, ſed ſolum oculis, & cerebro.

Secundo inſtat Auer. color non poteſt per ſe lædere operationem alicuius membri, niſi illud membrum per colorem, lucem, aut diaphanietatem ſuas exerceat operationes: ſed ſolum oculi ſunt huiuſmodi, non autem cerebrum ergo &c. Reſpondent Medici quòd cerebrum tam per propriã luciditatem ſuorum ventriculorum, quàm per ſpirituum animalium ſuas exercet operationes, ſicut & oculus.

Tertio inſtat Auer. nullus color poteſt immutare aliquem ſenſum interiorem cerebri, niſi ille prius fuerit ſenſatus per oculum: ſed color melancholiæ exiſtentis in cerebro, & obſcuritas ſpiritus animalis nunquam fuit ſenſata per oculum ergo non poſſunt immutare aliquem ſenſum interiorem cerebri: conſequentia, & minor nota eſt, maior oſtenditur, quia ita eſt de obiectis ſenſus viſus, ſicut aliorum ſenſuũ: ſed obiecta aliorum ſenſuum, ſicut odor non poſſunt immutare ſenſus interiores, niſi prius immutauerint ſuos ſenſus exteriores ergo &c. Reſpondent Medici, quòd color melancholiæ obſcurus non percipitur, neque ſentitur ab aliquo ſenſu interiori: eſt tamen cauſa ut omnia obiecta repræſententur ſenſibus interioribus ſub ſpecie opaca, obſcura, & per conſequens horrenda: ſicut etiam color exiſtens in cornea, non videtur à cryſtalloide, verum eſt cauſa, ut omnia uiſibilia appareant & afferantur ſecundum naturam illius coloris: qui ſi fuerit niger, omnia uidebuntur nigra: ſi flauus flaua: & ſic de alijs: ut radij ſo-

lares transeuntes per vitrum viride apparent uirides, per citrinum citrini, per nigrum nigri.

Quarto instat Auer. si obscuritas spiritus animalis esset causa timoris sequeretur quòd alicuius effectus positiui: pura, priuatio esset adæquata causa: scilicet tenebre respectu timoris. Respondent Medici quòd non solum tenebræ sunt causa timoris: uerum etiam ipsi spiritus, qui repræsentant: & ipsa quoque melancholia est causa ob suam temperiem, & occultam proprietatem.

Quinto instat Auer. si color melancholiæ immutaret sensus interiores cum hoc faciat sine lumine, etiam potest immutare uisum sine lumine, consequens est falsum ergo &c. Respondent Medici quòd neque color existens in cerebro, neque color existens in oculo immutant uirtutem visiua, aut aliquem sensum interiorem, sunt tamen causa, quòd obiecta corruptè comprehendantur.

Sexto instat Auer. si Melancholia per suam obscuritatem vel per suam proprietatem induceret timorem: pariter sanguis per suam claritatem, & luciditatem induceret lætitiam: Respondent Medici, quòd sanguis clarus, nitidus per suam luciditatem, temperiem, & proprietatem inducit lætitiam, audaciam, & securum animum: sicut ex opposito melancholia, per hæc omnia inducit timorem, mæstitiam, & malas cogitationes. hæc vltro, citroq; satis sint dicta: Medicorũ tamen rationibus acquiescere debes.

Melancholia quandoque est per propriam essentiam in cerebro: quandoque per consensum à reliquo corpore, & tunc vel à toto, vel à partibus, vt à corde, vel à uentriculo, ab hepate, vel à liene, vel ab hypochundrijs, vel à matrice, uel à spermate retento, vel à mensibus, vel hamorrhoidibus suppresis. Item quædam melancholia materialis, quædam immaterialis: quædam fit per propriam originem: quædam alteri succedit egritudini: item quædam continua, quædam dilucida, & distincta habet interualla.

Ad melancholiam sunt dispositi (vt scribit Galenus) homines macri, nigri, hirsuti, & in quibus venæ latæ apparent. item qui prærubro sunt colore interdum affatim in melancho-

3. de loco aff.

licam

licam intemperiem decidunt: atque post hos flaui, idque maxime quando vigilijs, & multis laboribus, & solicitudine, & tenui victu fuerint educati.

Qui habent cor calidum, & cerebrum humidum facilè incurrunt melãcholiam: ratio est (vt inquit Auic.) quia caliditas cordis excedens adurit humores, à quibus vapores atri eleuantur: & hi suscipiũtur à cerebro humido, in eoq; imprimuntur.

Dispositi pariter sunt ad melancholiam, Balbi, seu trauli (sic enim appellantur qui literam t. & l. male proferũt, & unã syllabam multoties repetũt) item qui velociter loquuntur. syllabarum tempora non commensurantes: quod vitium accidit etiam pueris, & ebrijs ob nimiam humiditatem. item qui habent oculos multum mobiles, & paruos. item qui habent labia crassa: de qbus Arist. physiognomia dicit, quòd fatui sunt & asinis assimilantur.

Denique ad melancholiam magis dispositi sunt viri quàm mulieres: sed melancholia, quæ mulieribus accidit est deterior, nam propter subiecti disconuenientiam præsumitur ꝙ à forti causa introducta fuerit: vnde difficilius curatur, uel quia calore sunt debiliores: & habent humores magis pituitosos, & tenaciores: uel quia malis cogitationibus, & suspitionibus, & malis consilijs sunt deditę. (malo enim consilio fœminæ vincunt viros: inquit Senca) ad melancholiam minime omnium procliues, qui habitum corporis obesum, album, & pituitosum sortiti sunt.

Causa.

Causa primitiua melancholiæ erit in primis aer turbidus, frigidus, & siccus: aut calidus, & siccus adurens, sicut aer æstiuus, & dierum canicularium esse solet: inter anni tempora autumnus est ad hanc ægritudinem causandam proportionatus: nequaquam hyems nisi per congelationem. neque ver: nam verno tempore biliosi, neque melancholici humores generantur; verum alijs temporibus conflati, ac hyeme in profundum delitescentes, tandem veris caliditate diffusi, ac commoti melancholiam sopitam suscitant. expone igitur Hip. Aph. vere furores, & melancholiæ fiunt, idest deteguntur.

Item vsus ciborum, qui suapte natura sanguinem melan-

Gal. de loc. aff. 3. cap. 7

cholicum pariunt, ut Caprina, Bubalaq; caro, magisq; hircina, & taurina: Item vulpina, canina, & leporum, cuniculorũq; multo magis aprorũ . limaces quoq; melãcholicum sanguinẽ pariunt, si frequens sit earum vsus . præterea oẽs terrenorum aĩalium carnes salitæ. aquatiliũ quoq; carnes, ut thunni, Balenę, vituli marini, delphini, canis, atq; cetaceorum omnium. ex oleribus brasſica ferè sola huiusmodi sanguinem gignere con sueuit: quemadmodum & arborum germina, vbi vel muria, vel sale, & aceto condiuntur, pręcipuè lentisci, terebinthi, rubi, canis rubi. leguminum vero omnium maxime lentes inter melancholicos cibos numerantur: mox panis furfuraceus: ex panico, ex milio, ex faba, ex sagina, aut ex vitiatis seminibus factus, præterea uinum crasſum, nigrumque aptisſimum est ut ex ipso melancholicus humor fiat. vetus denique caseus vbi forte fortuna in corpore fuerit super calefactus facilè huiusmodi parit humorem: ad quem etiam multum faciunt nimiæ corporis exercitationes humidum substantiale exiccantes. itẽ ieiunia crebra: hinc est quòd multi Reuerendi, & Religiosi homines, ieiunijs, & vigilijs, plusquàm decet, incumbentes, melancholici fieri solent. item nimia quies, & otium, ut carceratorum chymos enim colligunt: qui post multa tempora mutati in bilem nigram, sunt in causa istius morbi. ad quem etiam augendum faciunt animæ pasſiones: habet enim anima actiones suas mutabiles, sicut de ira in lenitatem: de tristitia, & mærore in tranquillitatem, & hilaritatem: de timore in audaciã: hæc quidem sunt actiones victalis animæ: rationalis vero sunt nimia cogitatio, ratio, memoria, inuestigatio rerum imposſibilium suspitio, spes, imaginatio, perfectum, & imperfectum rei arbitrium. quæ omnia si profundisſimè, & attentè anima operetur, causa sunt quare in melancholiam illabatur.

Videmus enim multosq; sanctæ uitę homines hanc pasſionem incidentes ex dei timore, & futuri iuditij suspitione, & summi boni fruendi cupiditate: quæ omnia superant eorum animas. nihil aliud cogitant, nihil agunt, nulla de re sunt soliciti, nisi de deo: & de rebus diuinis: itaque in simili cogitatione continuè intenti, & fisſi hunc affectum quandoque incurrunt.

Corrumpuntur actiones animæ, & corporis in huiusmodi. corpus enim animam sequitur in suis actionibus. anima uero corpus in suis accidentibus. causis primitiuis adde assiduum studium vel in philosophia naturali, vel in alia scientia speculatiua.

Item dæmones, & immundi spiritus possunt causare hunc affectũ: hinc est quòd multi melancholici exagitati à dæmone faciunt, dicuntque admiranda nã prius indocti, doctè, & scientificè disputant: multa prædicunt, aliorum secreta patefaciũt, varijs, externisque linguis loquuntur. de quibus omnibus, quoniam causas naturales reddere non possunt, ipsi vulgares, imo multi theologorum in hanc sententiam ueniunt, quòd diabolus agens per media naturalia, mentem ipsius patientis obsideat: & turbet rationem, & iudicium, & quòd plus est ipsi infirmi ita de se ipsis credunt, & enunciant. pro curatione igitur non confugiunt ad auxilia Medicorum, sed ad exorcismos, susurrationes, Amuleta, & ad inuocandos illos sanctos: quibus fama est potestatem à deo concessam eijciendi dæmonia: & multi ob magnam fidem salui fiunt.

Deniq; à morbis chronicis, à febribus ipsos humores adurentibus: à veneris usu nimio exiccante melancholia contrahitur.

Causa antecedens est mala complexio melancholica, uel humor naturalis melancholicus in cerebro, vel ipsi ab alijs membris communicatus, nondum actu corrumpens virtutem cogitatiuam & imaginatiuam, dispositus tamen ut ex quouis leuissimo impulsu corrumpere possit.

Causa coniuncta est idem humor melancholicus iam actu corrumpens tales virtutes, siue sit in cerebro, siue communicetur ipsi cerebro uel à corde, vel à ventriculo, vel ab hepate, vel à splene, vel à matrice, uel ab hypochundrijs: uel à toto ut in febribus quartanis, & in fine morborum materialium acutorum. Aut, secundum Auic. causa coniũcta est mala complexio frigida, & sicca sine materia, quæ permutando temperiem cerebri, & spiritus animalis, & excludendo ab eis partes tenues calidas, luminosas, reddit eorũ substãtiã tenebrosam: idẽ facit mala cõplexio calida, & sicca nã adurendo denigrat.

Signa

Signa.

9. ad Almā. Signa melancholiæ incipientis, seu primi gradus sunt descripta à Rasi scilicet malæ cogitationes, timor, & tristitia, absque causa: desiderium solitudinis: somni parui, diuulsi: insomnia turbulenta, & peregrina, ut quia somniant se videre dæmones se, vel alios distrahentes, aut verberantes: vel somniant mortuos squalidos, & aspectu horribili ipsis instantes: uel somniant inimicos, aut lictores persequentes. vibrationes corporis aliæ alias. vertigines capitis: & flatuum sonitus circa aures.

Signa melancholiæ in augumento seu secundi gradus sunt cum patiens ad hoc peruenit, ut ore promat, quod mēte concipit: & solus loquitur, & verba fatua profert nullam connexionem, neque propositum habentia.

Hip. 6. aph. 23. Signa Melancholiæ confirmatæ, seu tertii gradus, sunt timor, & mœstitia diu perseuerans. Item quod mente conceperat, & ore proferebat, demum operando prosequitur: & inordinatè pedes, manus, oculosq; mouet: timet non timenda: & odio habet amicos, & monitores: imaginatur, & cogitat ea, quæ nullo modo esse possunt.

Signa Melancholiæ per propriam essentiam in cerebro sunt assiduæ cogitationes, à quibus remoueri non potest: habere oculos intentè aliquod obiectum intuentes: vnde Virg. de Didone alludens ad hoc signum, inquit.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat:
Nec magis incœpto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Item quia multas noctes insomnes duxit, varijs, & multi momenti curis agitatus. item aliæ cerebri ægritudines fortassis præcessere, ut epilepsia. & hoc symptoma non intermittit, nec iuuatur æger ab auxilijs alijs partibus adhibitis.

Signa melancholiæ per cōsensum à toto sunt morbi chronici, febres quartanæ præcedentes, totius corporis vel à fame, vel à Sole, vel à nimio labore exiccatio: itē vsus ciborum atrābilem ex sui natura procreantium. item retentio superfluitatum: quæ alias expurgari solebant vel à ventriculo, vel à splene, vel à matrice, vel ab hæmorrhoidibus.

Signa

Signa melancholię per consensum à splene sunt dolor, & inflatio ventriculi, & splenis, & intestinorum : malus color: corrupta concoctio: vomitus acetosus : excreationum copia: appetitus ferè caninus, & aliquãdo caninus, ob multitudinem humoris melancholici acidi regurgitantis à splene ad os ventriculi & talem appetitum excitantis. Ventris lenitas propter flatum stimulantem ad excernendum: quòd si materia putrescit, aderit febris quartana.

Signa melancholiæ per consensum à ventriculo describit Gal. ex Diocle inquiens oritur à ventriculo morbus melancholicus: quem sumpto cibo, maxime coctu difficili, sputum humidum, idemque multum comitatur: item ructus acidus, flatus, æstus in hypochundrijs, fluctuatio non illicò, sed cum retinuerint, interdum ventriculi quoque uehementes dolores, qui nonnullis ad dorsum vsque procedunt: concoctis deinde cibis quiescunt: mox alijs ingestis, eadem rursus reuertuntur accidentia, quæ interdum ieiunos, interdum etiam à cœna, molestant, atque euomunt crudos cibos, & phlegmata subamara, & calida, & acida: adeò, ut dentes torpedine afficiantur. Causam huius flatuosæ melancholiæ (sic enim appellat Gal.) dicit esse caliditatem, & obstructionem uenarum, quæ alimentum à ventriculo excipiunt, sanguinemq; in ipsis crassiorem factum: quę obstructio hoc argumento detegitur, quòd alimentum corpori non distribuitur, sed in ventriculo manet inconcoctũ: & postero die vomitu reijcitur. Sed quòd calor naturalem symmetriam excedat, facillimè intelliges tum ab æstu, qui ipsis accidit, tum ab his, quæ ingeruntur: si quidem iuuari videntur à refrigerantibus cibis, qui videlicet calorem refrigerare, extinguereq; solent. Aiunt præterea nonnulli os ventriculi, quod intestinis continuatur (pylorum vocant) in huiusmodi passionibus inflammari, ac ob inflammationem ipsam, & obstrui, & prohibere, ne alimenta statuto tempore ad intestina descendant. quamobrem diutius, quã decet, in ventriculo manentia, & tumores, & æstus, atquè reliqua, quæ prædicta sunt efficiunt.

de loc. aff. 3. cap. 7.

Signa melãcholiæ hypochundriace sunt, ultra mœstitiam, & metum, estensio, ventositasque inflatiua: grauitas circa hypochun-

pochundria, & precordiarum sursum attractio. item aliquando eructant acidam, & melancholicam humiditatē: aliquando sentiunt vertiginem, & capitis grauitatem, adest nausea si melācholia sit cum caliditate: si vero fiat cum firgiditate aliquando caninus appetitus, propter humoris acetosi ad os ventriculi effusionē: & interdum etiam nausea, & si fiat cum frigiditate, propter ciborum à flatu eleuationem. insuper (quod magis molestum, & periculosum est) aliquādo habent ventris siccitatem propter melancholicam intestinorum ventositatem, stercus exire prohibententem. plerique ad venerem, & coitum stimulantur, propterea quòd à continuo flatu virilia ipsis tensa sunt. deniq; cum videmus ægrum vomitu, eructatione, & ægestione alleuiari, certiores erimus de hypochundriaca, & inflatiua melancholia: quæ ferè eadem est cum superiori per consensum à uentriculo.

Signa melancholiæ à sanguine sunt, linguæ grauitas, ita ut patiens uix loqui possit: rubedo oculorū, & totius faciei, venarum eminentia, & plenitudo: imaginatio quòd sanguis emanet à corpore & à naribus. semper ferè rident: amant loca amæna, lucida, spatiosa, hortos, uiridaria: delectantur, harmonia, & concentu musicali, & loqui cum amicis. In solitudine mirum in modum tristantur, ac si mors instaret. eorum pulsus est mollis, & plenus. vrina spissa, & subrubea. habitus corporis carnosus.

Signa melancholiæ à bile sunt ipsius patientis agitatio, saltus, motus inordinatus. clamor, audacia, ira, contentio. color faciei, & oculorum est ferè citrinus: pulsus durus, & velox. vrina citrina, vel subruffa, & tenuis.

Signa melāncholiæ à pituita sunt color faciei, & totius corporis albus, vel pallidus, pigritia: somnus profundus: obliuio, nullus risus, vrina alba, spissa, & subpallida. pulsus paruus, & mollis.

Signa melancholiæ ab atrabile per adustionem sunt habitus corporis niger: cutis aspera, pustulis, scabie, ulceribus atra bilarijs scatens: odium tenacissimum: fletus: timor, & mœstitia plusquam in alijs speciebus melancholię: pulsus paruus, durus. Vrina pallida, & tenuis. si humor fuerit sanguini compositus

ſitus, melancholia aliquando erit cum riſu: quia quando paſſio pendet à duabus contrarijs materiebus, oportet quòd appareant accidentia contraria permiſta, attamen refracta & quandoque vnum accidens ſuperat, quandoque aliud, pro vt vnus humor habet victoriam ſupra alium, ut in febre hemitritæo, & in uigili comate videre eſt. melancholia igitur cauſata ab atrabile cum ſanguine miſta, prouenit à duobus humoribus habentibus contrarios effectus in hoc quia vnns inducit triſtitiam: alter vero ſcilicet ſanguis inducit gaudium: neceſſe eſt ergo quòd accidentia appareant commiſta, & refracta: & hoc pariter de alijs humoribus ſimul compoſitis intelligatur.

Signa autem melancholiæ à cauſis primitiuis ſunt ipſæmet cauſæ.

Signa melancholiæ à Dæmonio ſunt quia dicunt aliqua, quæ, antequam eſſent melancholici, ignorabant: ſicut ſi homines idiotæ, & imperiti, loquerentur latinè, græcè: aut aliqua occulta dicerent, & de naturæ ſecretis diſputarent: Quæ omnia. Ariſt. ad melancholiam refert: inquiens quòd ex atrabile, quidam diuini facti ſunt admiranda dicentes, ut fuit Sybilla, & Bacchis. itē Maracus ciuis Syracuſanus ex melācholia præſtantior poeta factus. veritati tamen chriſtianæ adhærentes, aſſerere debemus Sybillam ſpiritu diuino afflatam aduentum Chriſti prophetaſſe. & Maracum ſyracuſanum præſtantiorem poetam factum ob humiditates cerebri reſolutas in proceſſu ætatis. non enim credendum eſt ob ſolam melancoliam hęc contigere poſſe: ſed ex coniunctione Angeli alicuius uel dæmonis cum anima humana.

30. probl. 1.

Prognoſtica.

Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur: & contra morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici. atque horum utrumlibet magis accidit, pro ut in hanc, uel illam partem infirmatas repit: ſi enim in corpus epileptici: ſi uero in mentem melancholici redduntur.

Hip. de morb. vulg. 6. in fi.

Melancholicus ſpumam per os eijciens, ac ſi à cane rabido morſus eſſet, ſeptem diebus moritur.

Melancholicus ſæpiſsime vomens, ſiue nauſeabundus & quod

quod assumit malè concoquens, exiccatus moritur.

Melancholicus humor quatuor modis periculosè mutatũ nam si supra modum exustus uertatur ad substãtiam, & membranas cerebri furorem parit: si ad ventriculos Apoplexiam: si ad originem neruorum conuulsionẽ: si ad oculos cæcitatẽ.

Hip. 6. aph. 56.

Melencholia confirmata est incurabilis: recẽs uerò, & quæ est per consensum sæpisime curatur.

Melancholicis euacuatio, & per vomitum, & per secessum pariter uitiligines emergentes bonam spẽ sanitatis Afferunt.

Hemorrhoides, Elephantia, uarices superuenientes melancholiam soluunt.

Hip. 6 aph. 21.

Desipientiæ, quæ cum risu fiunt securiores.

Hip. 6. aph. 53.

Cura.

Antequam ęger in malis cogitationibus, & deprauatis imaginationibus confirmetur succurrendum est: nam quando cerebri substantia temperiem melancholicam penitus adepta est, neque Aesculapius hominem sanaret: primò quia ęger monitis medicorum neque credit, neque obtemperat. secundò quia siccitas est qualitas, quæ habet contrarium nimis debile ipsam scilicet humiditatem: vnde quando siccitas de se in cerebro firmam, fecit impresionem, ab humiditate super addita remoueri non potest: quoniam duarum qualitatũ pasiuarum siccitas est magis actiua, & magis potens quàm humiditas: itaque potens à minus potenti expelli non potest.

Cura melancholiæ omnia medicinæ instrumenta amplectitur diætam scilicet, pharmaciam, & chirurgiam. circa diætam melancholicus prohiberi debet ab omnibus rebus non naturalibus, quæ hunc affectum causare posint: ut sunt omnes causæ primitiuæ superius recensitæ. Aer conueniens erit clarus, lucidus, ad humidum, & calidum uergens: adsint odores gratisimi (odorata enim exhilarant spiritus, & corroborant cerebrum, & cor) aspiciat res delectabiles, picturas, formas pulchras, prata uiridia, & florida. Audiat cãtus, melodias, concentus musicales, carmina amatoria, fabulas iocosas, & res quibus delectari, & per quas à timore, & mœstitia remoueri posit. depositis prius alui excrementis, exerceatur moderatè, & tempore conuenienti per loca amœna, propè flu-

mina

mina clara, lenia in suo cursu, & susurrantia, deambulando, vel equitando. habeat hinc, & inde amicos, qui ipsum sermonibus gratis, & nunc ancupio, nunc piscatu, nunc venationibus parum laboriosis detineat, neque in cogitationibus submergi permittant.

Cibi sint humectantes, & parum calefacientes: caueat salsa, & omnia acria, & vrinam prouocantia (ut bene scribit mesue) per has enim quod est tenue in materia euaporat, & excluditur: & remanet pars crassior disposita ut lapidis naturam induat, & malam augeat passionem: cibi igitur sint probi succi, & (ut dictum est) humectantes, & parum calefacientes, concoctu faciles, & nequaquam flatuosi: in quibus uariandis ægri dispositio attendenda: nam non omnes ad omnes cibos sunt dispositi. panis sit ex optima farina, probè coctus, & præparatus. carnes non virosæ, nec multum pingues, neque duræ substantiæ, sed friabiles, ut sunt agnorum, hædorum, ueruecis, gallinarum, pullorum, caponum, perdicum, phasianorum, sternarum præsertim iuuenum, & turturum, pisces saxatiles, & molles carne cocti in iure cum oleo, anetho porro, & tantillo salis, & uini odoriferi. hærinacij marini in hoc affectu (ut testatur Aetius) plurimum prestant ad iucunditatem conciliandam. item laudantur gammari, & cancri fluiatiles cocti in aqua hordei, vel ciceris. Oua sorbillia recentia: lac, recocta, serum. ex oleribus conferunt borrago, buglossum, lactuca, endiuia, intybus, spinacia, atriplex, maluæ, blitũ, portulaca, melissophylon; cucurbita, pepo, cucumeres. ex fructibus ficus siccas in principio mensæ ad leniẽdam aluum exhibere poteris: item vuas maturas recentes, & vuas passulas; pruna, mora nigra matura, pyra dulcia, cerasa, mala punica dulcia, amygdalas, zizypha, vulgo iuiubas, pistacia: confectiones seu condita ex melle, vel ex saccharo: placentæ, quæ fiunt ex amygdalis dulcibus, vel ex seminibus melonum contusis, & ex saccharo: item amygdalas saccharo incrustatas, & nucleos pineos.

Cibus conueniens ad malas cogitationes remouendas, & ad cordis debilitatẽ. Recipe carnis veruecis anniculi lib. I. incidatur minutim, & coquatur cum cepis, coriandro recenti, &

ti,& aqua ros.in olla: & inter coquendum adde melissophylli amaraci ana.m. 1. folia mali citri nu. 10. ligentur simul herbæ & folia,& post leuem cocturam abijciãtur: postea adde cinnamomi,caryophyllorum, nucis moschatæ ana ℈. 1. uini maluaticis parum, moschi g. 5. scribunt nonnulli quòd caro lupi, & præsertim cor eius in cibo assumptum liberat hominem à cogitationibus melancholicis.

Potus sit vinum tenue, album, odorum optime dilutum, & moderatè sumptum. fugiat vinum nigrum crassum, & nouum, & nimis antiquum.

Quòd si euenerit (inquit Auic.) ut cibus in ventriculo corrumpatur uomitu est educendus,& præsertim quando acetositatem quandam persentiunt: nam, quamuis omnis corrupta concoctio ipsis noceat,maxime tamen concoctio, quæ nidorem acetosum emittit,nocere solet:auget enim humores melancholicos,& complexionem frigidam,& siccam ob symboleitatem,quam habet.Post uomitum nihil cibi exhibeas, sed interim electuarijs, aromaticis, ad bonam concoctionem facientibus,os ventriculi rectificabis.venus est fugienda in omni specie melancholiæ preter quàm in illa, quæ à spermate retento,seu à uaporibus eleuatis ex spermate retento,& corrupto causatur.& in illa,quæ heros,siue amor appellatur : in ijs enim quandoque confert.

Vt somnus humectat,ita superfluæ vigiliæ nimis exiccant: quare longiori somno potius,quam immodicis uigilijs in hoc affectu indulgẽdũ est:humectare.n.& nõ exiccare intẽdimus.

Circa pharmaciam tres insurgunt intentiones: quarum prima digerit,& præparat materiam.secunda euacuat. tertia corroborat membrum affectum. & corrigit ea, quæ per consensum afficiunt:& localia adhibet.

Primam intentionem perficiunt syrupi de pomis : de succo borraginis,uel buglossi:de fumoterræ: de lupulis: de epithymo:de corticibus citri:de bizantijs:de violis : cum aquis, vel decoctis melissophylli,buglossi,polypodij,epithymi,senæ,fumiterræ,ellebori, uiolarum.uel cum sero caprino,ut in materia calida adusta. Recipe aquæ endiuiæ lib. 2. melissophylli lib. 5. infundantur in ea per 24. horas folliculorum senæ ℥. 1.

cinna-

cinnamomi, seminis anisorum. ana ʒ. 2. croci. ʒ. 5. bulliāt ad comsumptionem tertiæ partis: hinc forti expresione colentur, & decocto addatur sacchari lib. 2. & simul parum bulliant, & fiat syrupus cuius dosis ℥. 2. cum sero caprino.

Ad idē Recipe buglosi, borraginis, capillorū ueneris, hemionitidis, ēdiuiæ, intybi ana m. 1. radicū asparagi, rusci, ana ℥. s. santalorū rubeorū, uiolarū ana ʒ. 2. pruna damascena nu. 10. poma odorifera, ut sunt apia, nu. 4. croci ʒ. s. bulliāt, & fiat syrupus cum saccharo cuius dosis ℥. 2. cum sero caprino.

Ad idem Recipe florum buglosi, borraginis, violarum ana. m. 1. passularum ℥. 1. hemionitidis, fumiterræ, ana m. 5. corticum radicis capparum, myricæ ana ʒ. 2. radicum fœniculi, polypodij, petroselini, glycyrrhizæ singulorum ℥. 1. thymi, epithyimi, ana ℥. 5. coquantur in tribus lib. aquæ ad consumptionem tertiæ partis (in fine flores addantur nam leuem ferunt coctionem) inde colentur, cuius decocti Recipe singula uice ℥. 4. syrupi de fumoterræ, de pomis ana ℥. 5. misce & in aurora patienti propinato.

In melancholia ex succo melancholico naturali Recipe radicis rusci ℥. 1. amaraci, ocimi, buglossæ, borraginis, melissæ cuscutæ (chassutham peritiores uocant) chamædryos, chamæpityos calaminthæ, rosmarini, scolopendriæ, capillorum veneris, uiolarum, corticum citri ana m. 1. croci, gallie moschatæ ana ʒ. 5. coquantur in succo borraginis & fiat syrupus cum saccharo.

In melancholia per consensum à splene, syrupus optimus.

Recipe radicum fœniculi, apij, asparagi, rusci, petroselini, cicorcę, corticis radicum capparum ana ℥. 1. foliorum senæ, epithymi, cassuthæ ana ℥. 5. capillorum ueneris, florum uiolarum, rosmarini ana ʒ. 2. scolopendriæ, chamædryos, chamępityos, melissophylli, amaraci, betonicæ ana m. 1. calami aromatici, squinanthi, santalorum rubeorum, & alborum, seminū portulacę, endiuię, lactucæ, anisorum, carui, amaraci ana ʒ. 3. bulliant omnia in succo borraginis, & pomorum dulciū ana lib. 2. ad consumptionem tertiæ partis, inde colentur, & ius colatum cum saccharo q. s. formam syrupi accipiat: & ut odoratum fiat adde parum croci, galliæ moschatæ, & cīnamomi.

dosis sit ℥.2.cum aqua hemiomitidis.

In melancholia Hypochundriaca primum bonæ coctionis curam habere oportet, postea purgare exhibitis prius huiusmodi syrupis pluribus vicibus (pro ut opus fuerit) Recipe radicum cichorij,fœniculi,rusci, asparagi,polypodij ana ℥.1. epithymi,cassuthæ,senæ,hemionitidis ana ℥.s. hyssopi, amaraci.pulegij,serpilli,melissophylli,capillorum veneris,absinthij,fumiterræ ana m.s. florum chamęmeli,centaurij minoris ana ʒ.2.chamędryos,chamæpityos, iunci odorati, spicæ ana ʒ.1.5.dauci,ammios,seminis fœniculi,anisorum:carui, assari, ana ʒ.1.passularum ℥.1.bulliant omnia in s.q.aquæ ad tertias: cuius decocti colati accipe lib.4. succi pomorum dulcium, succi borraginis ana lib.5. misce & iterum bulliant ad quinte partis consumptionem:& ad bonum odorem excitãdum adde cinnamomi,nucis moschatæ,ligni aloes, croci ana ℈.1. dosis sit ℥.2.in iure pulli:uel in decocto melissophylli,& borraginis exhiberi poterit.

In melancholia per consensum à matrice addatur supradictis ingredientibus matricariæ m.1.si fuerit per consensum ab hepate addatur trium santalorum ʒ.2.& cichorij maior quantitas.si fuerit per consensum à ventriculo,addatur mẽtæ m.1. & maior portio absinthij. hinc secunda emergit intentio: quæ est quòd.

Concocta materia euacuari debeat primò aliquo leui pharmaco,ut Recipe iuris pulli lib.5. senæ ℥.1. bulliant parum: & ius expressum,& colatum exhibeatur. Aliud præseruans hominem à lepra Recipe æpithymi ℥.1. anisorum ʒ.2. parum bulliant in sero caprino, addatur sacchari ℥.1. & exhibe per decem dies.aliud Recipe foliorum senæ ℥.2.pruna damascena nu.10.macerentur in sero lactis caprini,deinde exprimantur,& colentur, & in aurora patiter exhibebis. Aliud validius Recipe senæ ellebori nigri ana ʒ.2.gingiberis ℈.1. passularum ℥.1. bulliant in 7.℥. seri caprini:inde forti expressione colentur, & colaturæ addatur epithymi pulerizati ʒ.1. aliud validus Recipe florum buglossi, violarum,rosarum,singulorum m.1.passularum, oxiphœnicô idest tamarindorum utriusque ℥.1.mirobalanorum citrinorum,indorum,empelicorũ,

chepu-

chepulorum ana ℥.s. folliculorum ſenę, polypodij ana ʒ.6. pruna damaſcena nu.10.coquantur in aqua iuſtæ quantitatis ad tertias, inde colentur, & iuri colato adiecto ſaccharo ſuauitas concilietur: de quo in aurora ℥.4. propinabis. Gentilis Electuarium conferens quartanæ in qua appareat aliqua concoctio, & omni ſpeciei melancholiæ Recipe myrobalanorum indorum ℥.1.s. chepulorum ℥.1.agarici ℥.s. glycyrrtizæ, bugloſſæ, ana ℥.6.ſtœchadis, chamædryos, chamæpityos, calaminthę, abſinthij, aniſorum ana ʒ.2.s. epithymi, polypodij, ſenæ ana ℥.2.prunorum, iuiubarum ana nu.16.fumiterræ m.1. coquantur in 5. q. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis: & ſuccus ab ijs prælo exprimatur, cui adde rob vini, ſacchari albi ana lib.1.lapidis armeni nutriti ſecundum artem, ellebori nigri, ana ʒ.2.ſallis gemmæ ʒ.s. diagridij ʒ.1.5. fiat Electuarium, cuius doſis ſit ℥.s. vſq; ad ʒ.6.in aurora cum iure pulli, vel aqua meliſſophylli calida. Laudantur inſuper pilulæ Arabicæ: de lapide Armeno: confect. hamech. hyeralogodion vel hæ, quę accipiunt ſenę, epithymi, pilularum indarum ana ℈.1. gingiberis, ſalis gemmæ ana g.2.aloes hepatici ʒ.1. fiant pilulæ nu.15. & exhibeantur in tribus vicibus intercalatis.

Multa ſolutiua ſecundum dictas formas per te componere poteris, obſeruatis quatuor regulis à Meſue traditis, quarum prima eſt quòd non ſemel, & laborifam, & ſubitam facias euacuationē, ſed moderatam, & per interualla: ut natura euacuatiuum regulare poſsit, & non euacuatiuum naturam. hoc enim eſt præceptum Hippocratis, ſubita, & violēta euacuatio uix à natura regulatur: & eius operatio eſt ſicut impetus flammæ, quæ ſubitò in tenue agit, & debile, & prætergreditur craſſum. opus vero moderati caloris eſt æqualiter in vtraque parte rei elixabilis, ſeu aſſabilis agere.

Secunda regula eſt, vt medicinæ ſolutiuæ non multum recedant à gradu medicinarum ſalubrium, & benedictarū tam quò ad qualitates manifeſtas, quam quò ad occultas.

Tertia regula eſt ut ſolutiua ſemper ſint admiſta cum aliquibus humectantibus, & leniētibus: ideo in hoc caſu præſtantiores ſunt medicinæ in forma liquida, quàm ſicca.

Quarta regula eſt ut ſemper componentur cum medicinis

cor roborantibus spiritus, & membra principalia.

Quòd si pharmaco euacuanti non daretur locus: vel quia æger nollet (sunt enim melancholici peruicaces in suis opinionibus aut non posset assumere: uel quia asidentes, & necessarij dicerent ipsum satis euacuatum, & renuerent potiones purgatorias reiterandas, ut plerunque faciunt vulgares, & ignari artis medicæ: recurre ad huiusmodi clysteria.

Recipe cartami, polypodij, senæ, ana ℥.1. anisorum, carui, ãmios, cumini, seminis fœniculi, stœchadis ana ℥.5. epithymi, thymbræ (satureiam appellant) ana m.1. coquantur, & in decocto colato adde hyeralogodionis ℥.1. olei chamæmelini, liliacei ana. ℥.2. salis indi ʒ.2. fiat clyster. uel Recipe maluarum, fumiterrę, matrum violarum, chamęmeli ana m.1. epithymi, polypodij, ellebori, senæ, ana ℥.5. cartami ʒ.3. seminis fœniculi, anisorum, ammios, cumini sing. ʒ.2. coquantur ad tertias: inde iuris decocti accipito lib.1. casiæ recenter tractæ ℥.1. diasenæ ℥.5. olei uiolacei chamęmelini vtriusque ℥.1.5. salis communis ʒ.2. misceantur pro clystere. his sic peractis deuenies ad tertiam intentionem, & corroborabis membrum affectum, & corriges ea, quæ per consensum affitiunt, inducendo lætitiam, hilaritatem, & gaudium (omnibus enim manifestum esse puto, per delectationem, & gaudium, spiritus, & uitales, & animales multiplicari sicut per tristitiam minui, extingui, & ad nihilum redigi) ad quorum multiplicationem membra ipsa corroborantur.

Spiritus autem multiplicantur, quia diffunduntur ad materias nutritiuas, à quibus augumentum suscipiunt: & etiam quia mouentur motu ordinato.

Quæ multiplicant, & confortant spiritus, & per cõsequens ipsa membra, per lætitiæ, & delectationis inductionem, duplici modo considerantur: nam aut inducunt lætitiam suo occursu, vel aspectu, uel quia audiuntur, aut tanguntur: ut si amicus ex optatisimus occurreret, vel affinis, vel necessarius: aut res variæ, pictæ, inauratæ, & miræ pulchritudinis inspicerentur aut gratum nuntium hæreditatis, legati, uel lucri ex mercimonijs, uel prętiosi muneris allati audiretur: aut puella multum amata tangeretur, & oscularetur. aut inducunt letitiam

tiam, quia interius exhibentur, vel exterius applicãtur: & hæc sunt in triplici differentia: nam alia confortant, & multiplicant à proprietate vt hyacintus: alia à proprietate, & qualitate communi, ut moschus, & ambra, à qualitate nam sunt aromatica: alia solummodo à qualitate: & hæc sunt duorum modorum, nam vel agunt in substantia spirituum: uel agunt in eorum complexione. agunt in substantia, quia nutriendo restaurant, & augent ipsam, ut vinum: vel prohibent eorum resolutionem, & dissipationem, sicut myrobalani empelici, & Karabe: vel calarificant ipsam remouẽdo fuligines, superfluitates, & humorem melancholicum educendo, ut sericum, margaritæ, lapis armenius, & lapis lazuli. agunt autem in eorũ cõplexione dupliciter, scilicet permutando ex frigiditate in caliditatem, ut doronici: & ex caliditate in frigiditatem, vt caphura. secundò conseruando, ut faciunt ea, quæ sunt suauissimi odoris.

Auic. de cordis uiribus cap. 9.

Ad hanc tertiam intentionem faciunt multa electuaria descripta ab auctoribus approbatis ut diamoschu: diambra: pliris arcoticon; rosata magna, uel rosata nouella Nicolai: elect. de gemmis mesuæ: letificans Almansoris: vel potius Rasis ad Almansorem: aromaticum rosatum moschatum: caryophyllatum; confectio alchermes: mithridatium: theriaca. inter quæ est illud Mesuæ lætificans, gaudium generans, reuiuiscere faciens, coloris pulchritudinem, odoris bonitatem concilians, & canos retardans. Quod recipit rosarum ℥.3. cyperi ℥.2. caryophyllorũ, masticlies, ligni aloes, spicæ, assari ana ℥.1.s. cinnamomi, croci, melissophylli, alselengemisch, idest ocimi minoris, margaritarum, folij indi, eius loco spicam indicam accipito, macis, cardamomi minoris, heyl ab Arabibus dicti, nucis moschatæ, corticum citri, galliæ moschate, zedoariæ, doronici, ocimi maioris ana ℥.1. moschi ℈.s. confice cum melle empelicorum, aut bellericorum: quod sit quadruplum ad species: sumatur ut tryphera: in hyeme magis conuenit. Aliud remouens timorem, malam cogitationẽ, & reparans intellectũ.

Recipe melissophylli, caryophyllorum, masticlies, croci, cinnamomi, nucis moschatæ, been albi, been rubei, buglossæ, borraginis, ligni aloes ana ℥.1. moschi g.v. contundantur te-

 nuiter.

nuiter.postea accipe myrobalanorum chepulorum nu. 30. em pelicorum nu. 20. coque in lib. 3. aquæ ad duarum partium cosumptionem, inde colentur: & iuri colato adde mellis quantum sufficit, bulliant, donec aqua absumatur, & spuma abijciatur: Species cum huiusmodi melle conficito.

Aliud lætitiam inducens Recipe fragmentorum hyacintorum, saphirorum, smaragdorum, doronici, corallij albi, & rub. ana ℈. 1. florũ cinnamomi, macis, galangæ, nucis moschatæ ana ʒ. s. caryophyllorũ, piperis longi, cubebæ, ligni aloes, styracis calamitæ, seminis ocimi ana ℈. s. croci ʒ. s. moschi, ambræ ana g. 6. corticum citri conditi ℥. s. glycyrrhize.| ℈. 2. passularum pinguium, sacchari candidi ana ℥. 1. conseruæ borrag. buglossæ vtriusque. ℥. 3. succi pomorum dulcium depurati ℥. 2. aquæ ros. moschatæ ℥. 1. sacchari optimi lib. 1. fiat elect. secundum artem.

Ad confortationem, & multiplicationem spirituum pariter faciunt inunctiones odoriferæ, ex moscho, ambra, & oleo rosino: item pastilli odorandi ex styrace calamita moscho, ambra, caryophyllis, & aqua florum myrti, vel aqua florum mali medici, seu mali citri. Insuper omnia alia, quæ sunt grati, & suauissimi odoris, tam interius exhibita, quàm exterius applicita.

Sub hac etiam tertia intentione consideratur Balneum ex aqua dulci tepida: in quo æger per multas vices (prius exonerata aluo) ingrediatur, & maneat per spatium dimidiæ horę ad summum: Balneum enim paruæ moræ humectat, quæ nostra est intentio. fugiat Balnea ex aquis thermalibus aluminosis, sulphureis, bituminosis, & ex aqua marina, vt pote nimis exiccantia. Caput patientis sæpius abluendum erit aqua dulci tepida, luteisque ouorum abstergendum, vt monet Trallianus: quòd si embrocis ex alto cadentibus irrigare magis placuerit: hoc, vel simili decocto vti poteris, vt Recipe foliorum maluarum, violarum, altheæ, borraginis, lupulorum ana m. 1. florum chamęmeli m. s. florum Stæchadis ʒ. 3. coquantur, & caput prius abrasum, irrigatur: post quam irrigationem oleo Amygdalarum dulcium, violaceo, chamæmelino, seu anethino ungendum erit.

In Melancholia hypochundriaca, vltra Balneum, proderit etiam fouere hypochundria ex decocto rutæ, anethi, absinthii, pulegii, seminis agni, baccarum lauri, serpylli, artemisiæ, & similium: hæc.n. dolores leniunt, flatusq; discutiunt, presertim vbi oleo incocta malè affectæ parti instar cataplasmatis applicantur. Interdum in stomachi inflationibus cuminũ, & pulegium, & anisum in aceto coquere oportet, & per spõgias stomachum fouere: vel ex iis sacculos parabis excipiens foliorum rutæ, absinthii, serpylli, pulegii ana ʒ. 2. chamæmeli, fœnugreci, foliorum lauri, ana ʒ. 3. rosarum rub. m. 1. cumini, anisorum, seminis fœniculi ana ʒ. 1. contundantur, & in sacculo diligenter consuta, pauco aceto, vel vino odorifero irrorabis: & calida regioni ventriculi sæpius permutata adhibebis. Cæterum, præter hæc, cataplasma facere poteris, de coquens in oleo anisum, cuminum, apium, absinthij, & artemisiæ folia: quibus demum addantur cyperus, & rosmarinus tenuissimè contusi: admouetoq; ipsum, diutiusq; permitto & ante, & post cibum adhærere. quo ablato, locus per illitus ex oleo nardino, vel lana, vel stupa, vel aliquo panno contegatur.

Ad flatum præterea discutiendum cucurbitulis citra scarificationem vti poteris ex monitu Galeni, nam veluti incantamentum quodam ex flatuoso spiritu ortum dolorem confestim leuant. ad phlegmonas autem, & durities cucurbitulis cum scarificatione utendum. 12. Meth.

Quibus hoc uitium diutius perdurauerit, optimum est remedium, etiam a cibo vomitus ipse: non tamen vomitoriis validioribus opus est: talia.n. infesta sunt stomacho, ac ventri anxietatem, & molestiam afferunt (vt inquit Aetius) excitetur itaque vomitus aqua tepida, cui oximel sit admistũ, quòd si neque hoc modo æger euomere potest, digitos, aut pennas in os impellendo irritabit. vel recurret ad uomitum, qui per elleborum fit album, vt Recipe ellebori albi ʒ. 1. concidatur in partes minutas, & raphano satis magno infigatur: transactis tribus diebus iterum eximatur: & raphanus fortiter exprimatur, cuius succi expressi accipe ʒ. 6. aquæ calidæ ℥. 3. oximelitis ℥. 1. quæ simul mista propinato.

Qui autem uentriculum, aut ſtomachum habent debilem à quouis vomitu (niſi ſpontinus ſit) abſtineant.

Circa chirurgiam, hoc eſt tertium medicinæ inſtrumentũ dicimus, quòd phlebotomia non ſemper neceſſaria. Imò non nulli (vt fuit Gulielmus Placentinus) aſſerunt in phlebotomia paucam ineſſe vtilitatẽ: ratio eſt, quia phlebotomia euacuat ſanguinem calidum, & humidum contrariantem humori melancholico: retineri itaq; in corpore debet: donec ipſe humor melancholicus prius educatur: quo euacuato, phlebotomia ſubſequens magis iuuabit. Attamen ſi melancholia fuerit à ſanguine per aduſtionem: vel ſi materia melancholica fuerit cũ ſanguine educibilis: vel ſi maxima fuerit ſanguinis redundãtia, fiat ſectio venæ cephalicæ in dextro brachio, aut ſiniſtro, ſecũdũ quòd maior grauitas ſentitur in dextra, aut ſiniſtra parte capitis: aut ſecũdũ quòd melãcholia eſt vel per cõſenſum ab hepate, vel à ſplene: & extrahãtur quinque, aut ſex vnciȩ ſanguinis: qui ſi in principio apparuerit clarus, & tenuis, non eſt propter hoc reſtringendus: nã poteſt eſſe, quòd pars ipſius tenuior primò exeat: & ſtatim pars craſsior ſubſequatur. At ſi primò appareat niger, craſſus, & fœculentus, & paulò poſt tenuis: extrahe craſſum, & fœculentum, & comprime tenuem: ob hoc igitur foramen latum in vena fieri debet, ne ſanguis tenuis ſolummodo exeat, & craſſus retineatur. præterea (ſi opportunum fuerit) ſecetur etiam uena frontis, vt cauſa coniuncta aliquo modo eradicetur. Denique ſcire debes, quòd prouocare hæmorrhoidas, & mẽſtrua: item aperire uenas pedum, & varices in omni ſpecie melancholiæ: vbi redundantia, vel admiſtio ſanguinis adeſt, maxime confert. Itemq; confert in ea melancholia, quæ ex uitio matricis, vel ex retentione ſanguinis menſtrui, aut hæmorrhoidalis facta fuit.

Pariter dicimus, quòd cauterium in cura deſperata nonnullis fuit præſentaneum remedium: & præſertim in melancholia, quæ eſt per propriam eſſentiam in cerebro (uapores enim fulginoſi, & melancholici facilius per cauteria reſoluũtur, cum patentiorem habeant exitum) caput igitur tribus in locis inuri debet: Primo in parte anteriori ſuper cõmiſſuram

coronalem. Secundo in parte posteriori hinc; & hinc super duas nuchæ eminentias. Gordonius scribit se quendam melancholicum uidisse vulneratũ in capite, vsque ad cranei fracturam: qui quamdiu vulnus fuit apertum, tandiu mentis di lucida habuit interualla; clauso autem vulnere rediit melancholia.

Περὶ Μανίας

De Mania, seu furore, seu insania. Cap. IX.

SPECIES Melancholiæ quamuis (vt supra diximus) sint infinitæ: attamen apud Autores Mania; Item melancholia errabunda: Item heros, siue passio heroica, siue Amor: sunt species melancholiæ magis famosæ: de quibus singulis agere, & considerationem habere debemus. Mania igitur grecè, insaniam, & furorem latinè significat: & dicitur fortasse mania à manibus, idest Dijs infernalibus, qui sunt dæmones: quoniã, qui talem affectum patiuntur, non secus ac si à spiritibus infernalibus exagitarentur secreta, & abscondita dicunt, & patefaciunt, item furore perciti modo alios verberant, modo maledicentia insectantur: modo lapides iaciunt. vel Mania dicitur a uerbo græco μαντεύω idest vaticinior: nam maniaci aliquando nobis ignora vaticinantur. vel a μήνη idest à Luna: nam maniaci aliquando furore non quidem perpetuo laborãt: sed interuallis quibusdam recurrente, in ipso scilicet Lunæ defectu: vnde etiã lunatici appellari possunt: quo affectu Athamantem, Alcmæona, Aiacem, & Orestem laborasse apud poetas scriptum reperitur. Est autem Mania læsio in cerebro corrumpens omnes virtutes morales: & primo ipsam imaginationẽ: imaginantur.n.ea quæ non sunt. Secundo ipsam cogitationem, & rationem, nam apud ipsos nullum discrimen inter turpe, & pulchrum: inter bonum, & malum: inter amicum, & inimicum.

micum. Tertio ipſam memoriam, ita ut rei nunc, nunc viſæ, vel auditæ, ſtatim obliuiſcantur, & vnum pro alio memorant. Differt a melancholia, quæ ſemper eſt cum timore, & maiori quiete: Mania vero tota eſt inquietudo, audacia, agitatio, & motus. Differt a phrenitide, quòd in ea ſit febris: mania vero citra febrem accidit.

Duplex eſt mania: lupina ſcilicet, quæ lycaon, ſeu lycantropia dicitur: & mania canina. Differunt inter ſe hæ maniæ ſpecies in accidentibus: ſicut lupus & canis, lupus enim vltra voracitatem, & rapacitatem inſidioſam, dęmoniaca prauitate prædit⁹ eſt: neq; vnquam cicuratur: neq; cum ipſo fidam conſuetudinem homo habere poteſt. At canis quamuis latret, & inſidietur hominibus, eoſq; aliquando mordeat: attamen agnoſcit de ſe benemeritos, illis blanditur, & ſe fidelem præſtat. Illum igitur maniacum, qui mores luporum imitatur, laborare Lycanthropia dicimus: vt pote quia inſtar lupi abhorret hominum ſocietatem, fugit, latitat, inſidiatur, clam aggreditur, percutit, & interficit ſi poteſt. Ille vero, qui vt canis, ex quauis leui cauſa rixatur, & prouocatus inſiliit in laceſſentem: mordet, percutitq;: aliquando ſaltat, ridet, tripudiat, blanditur, obedit, agnoſcit amicos, & benemerentes, eorumq; ſocietatem, & conſuetudinem exoptat, mania canina laborare dicitur. Qui affectus, aliquando fit per propriam eſſentiam in cerebro: aliquando per conſenſum: & tunc vel per conſenſum totius, vel alicuius membri particularis, vt ſtomachi, in quo humores adurantur: vel matricis ex retentione menſtruorum in venis matricis inundantium, vel à ſpermate retento, & in naturam veneni conuerſo, à quibus vapores mali eleuantur ad cerebrum mouentes imaginationem, & cogitationem ad ea, quæ in pręterito viſa fuerint, ſiue nota, ſiue incognita: & inducunt patientem ad futurorum narationem, ad loquendum varijs linguis, vt latinè vel græcè, quamuis huiuſmodi idiomata nunquam didicerit ob hanc cauſam Moniales, & viduæ, & virgines viri potentes plerunque talia patiuntur ſymptomata, & præſertim bilioſæ, & ſanguineæ, & alacriores.

In oppido Zuccani, in agro Lunenſi, quæ mihi patria eſt, vi

di mulierem temperaturæ biliosæ, ob ſpermatis retentionem, & coeundi deſiderium (erat enim iuuenis vigintiquinque annorum, & nondum nupta fuerat, neque uirum cognouerat) maniacam, & furioſam factam: ita ut, & per agros, & per ſiluas erraret, & unũquemque obuiam factum, vt ſecũ coiret, prouocabat, & renuentes lapidibus, & conuiciis inſectabatur. Denique huiuſmodi furorem coitus ſedauit: nupſit enim cuidam ruſtico, unde conuenientem adepta medicinam, priſtinę ſanitati fuit reſtituta.

Cauſa.

Fit mania interdum ex ſanguine nimium feruenti, uel in ipſo cerebro conſiſtente, vel ad ipſum ab aliis partibus regurgitante: & hæc mania erit canina.

Gal. 5. Aph. 40.

Fit interdum, & frequentius ex flaua bile ſuper aſſata aliquando fit ex melancholico humore, non quidem ſemper, ſed cum ſupra modum exuſtus, aut putrefactus malignam induerit acredinem: & hæc mania erit lupina: quæ dęmonium lupinum ab Auic. dicitur: & differt in hoc, ab affectu melancholico, nam talis affectus fit à melancholico ſucco naturali, aut tali per aduſtionem uel ſanguinis, uel pituitæ, nequaquam autem mania. Hic etiam notare debes, quòd humores frigidi, vt melancholici, & pituitoſi ſunt in potentia multum remota ut maniam faciant: & tunc oportet ut duæ adſint conditiones, Prima quòd fiant acres, & acuti per multam aduſtionem, aut putredinem: Secunda quòd talis materia attingat ſubſtantiam cerebri ad minimas partes, nullum tamen in eo apoſtema excitans ſed illi ſe immiſcens, & per illud uiam ſpiritibus impediens.

Gal. de Symp. cauſ.
Gal. 6. Aph. 56.

Mania frequenter accidit bilioſis, extenuatis, & iis, qui hepate, & corde calido prędití ſunt: in quibus humores aduſti generantur, obeſi uero, item podagrici, & pituitoſi non ſunt ad maniam diſpoſiti.

Hæc ægritudo, ut plurimum autumno, & uere fieri ſolet. æſtate enim aduruntur humores, & homines diſponuntur: autumno autem diſpoſiti habitum acquirunt: uere poſtea ſuas magis patefaciunt inſanias, & furores, hinc fortaſſe euenit, quòd eo tempore aduentante Bacchanalia celebrantur, & ho

mines

mines laruati incedant:oraq; corticibus sumant horrenda cauatis(inquit Virgilius)non alia,fortasse,de causa,nisi vt furẽtes,maniacos (qui tunc temporis maxime insaniunt)imitando,& irridendo iocis,& ludibriis,aspicientes,delectent,& detineant.

Signa.

Signa maniam præcedentia sunt capitis debilitas , grauedo , eiusq; agitatio:aurium sonitus : risus præter rationem,& causam,etiam non assuetis ridere : splendores oculis obuersantur:præcedunt vigiliæ immodicæ , & curæ per vices repetentes,ac peregrinæ : ex quauis leui occasione irascũtur. pro gressu temporis hæc omnia intenduntur : & appetentiæ ipsis putidiores fiunt : ad venerem prompti redduntur , ideo assiduę seminis effusiones in somno fiunt:oculi cauantur,simulq; intenti , ac fixi consistunt : his igitur apparentibus signis, priusquam ad perfectam insaniã ægri perueniant succurrendum est.

Signa maniæ iam factæ sunt , quia patiens vestimenta , & pannos lacerat,abiicit: publicè in plateis facit stultitias.ascendit loca alta,& clamat,& se concionatorem arbitratur : extra propositum loquitur,neque quid dicat comprehendi potest : mordet quemque prope stantem : prosternit se in terram , & cœno seipsum , aliosq; fœdat:pulsus est paruus,durus:Sequũtur vigiliæ continuę , quòd si quandoq; dormit,inquietus est somnus,& malus.

Signa maniæ ex feruenti sanguinæ sunt complexio patientis sanguinea , habitus corporis carnosus , victus præcedens sanguinis aggregatiuus: ætas iuuenilis: patiens est hilaris , & ferè semper ridet, & cantat.

Signa maniæ ex redũdantia bilis præassatæ sunt,quia ægri, iracundi,temerarii,percussores,& iniuriosi fiunt:ita vt quidã eorum propriam carnem gustarunt , & domesticos uelut insidiatores tractarunt ,vulnerarunt,& occiderunt.Deniq; ferarum more effrenes euadunt : vt etiam eos , qui imprudentius ipsis occurrunt, manu violẽter tractent . aliquando agnoscũt benemeritos,obediunt monentibus; blandiuntur,tripudiant : indagantur vt canes,neque quid quærant sciunt.temperamẽ-

tum

tum erit biliosum : ætas iuuenilis, vel uirilis, & victus bilis aggregatiuus.

Signa Maniæ ex melancholico succo adusto sunt, quoniã deliramenta adueniunt cum metu, & tristitia: interdum taciturni fiunt: & loqui auersantur interim cũ loqui incipiunt, & si diu locuti fuerint, silere tamen nequeunt: pariter eorum temperamentum, ætas, habitus corporis ad melancholicum uergunt. tempus annni, aeris constitutio, regio, præcedentis victus ratio melancholici succi redundantiam demonstrabunt. præterea si aliquando euomũt, melancholicum acidũ euomunt, ebulliens, & terram fermentans.

Prognostica.

Quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, & coagulatur, furorem significat. item si pedes sanguine repleantur (inquit Auic.) & fiant rubei. nam in quo membro calor inatus non est fortis, vt sunt pedes multum distantes a fonte caloris. i. a corde pariter mamillæ, quæ propter adenum frigiditatem redduntur frigidiores: in huiusmodi igitur membro si sanguis affatim cõfluat, & coaguletur, necesse est vt corrumpatur, aliqua specie corruptionis, & vapores feruidos ad superiora trãsmittat, sicq; excitetur mania : & præsertim in temperaturis biliosis, & calidi cerebri, nam in pituitosis, & frigidi cerebri non fieret mania, sed fortasse alia ægritudo.

Hip. v. aph. 40.

A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, uel mentis uehemens alienatio, bonum. ratio est, quia cũ noxii humores a capite ad inferiora trasferuntur, & dysenteriã, seu intestinorum difficultatem faciunt. pariter si ad iecur : & eius facultatis sanguinem procreãtis, imbecillitatem pariũt, quam subinde aqua inter cutem sequitur : bonum, non quidem absolute, sed bonum pro maniæ, & furoris solutione. Insuper bonum, si uehemens subsequitur mentis alienatio. inquit enim Galenus, noui quemdam a furore mediocri, quo prius detinebatur, ob hoc fuisse liberatum: vnde ratiocinando perpendimus ex uehementi motu causarum furorem efficientium, solutionem subsecutam: quemadmodum in morbis acutis uehementissimi casus solent aliquando bonas crises operari.

Hip. 7. aph. 5.

Vnde

Vnde notandum eſt, quòd quamuis intenſio morbi de ſe ſit mala: tamen talis intenſio cum uirtutis maxima conſtantia, & cum ſignis concoctionis eſt bona: denotat enim naturam validam contra morbum pugnantem, & cito ſuperaturam.

6. Aph. 53. Nulla inſania ſecura eſt (vt Gal. inquit) minus autem periculoſæ, quæ cum riſu fiunt, quoniam ex ſola conflantur caliditate, ſine humore uitioſo, ſimiles quodammodo eis, quæ ex ebrietate contingunt: periculoſiſsimæ omnium temerariæ: in medio ambarum ſunt, quæ cũ ſtudio fiunt. Quæcumq; enim ex flaua bile multum exuſta, vt iam magis ad atræ bilis naturam accedat, cum ſtudio fiunt, ſunt inſaniæ ſatis furioſæ, nam atra bilis, quæ ex flaua bile ſuperaſſata gignitur, omnium moleſtiſsima.

Cura.

Aer, in quo patiens detinetur, ſit humidus, & in caliditate temperatus, aut ad frigidum parum uergens, ex Celſi monitu confert mutare regiones, & quoniam maniaci ſe ipſos, alioſq; offendere ſolent, ligentur in lecto non arctis qnidem uinculis, ne dolor excitetur, ſed laxis, & mollibus: vel claudantur in cauea (uulgo Gabbiam appellant) & ne ipſam frangere, & exilire poſsint, ſit ex forti ligno, vel ſit ferrea: vel ſi fuerit diues, Robuſti uiri aſsideant, quorum unus ſemper uigilet, & cuſtodiat maniacum à motu nimio, à prolixo ſermone, & prohibeat ne baculus, aut gladius, aut enſis ſit in Thalamo, quibus arreptis aliquod luctuoſum ſcelus maniacus perpetrare poſſit. Iuuat etiam claudere feneſtras duplici de cauſa, primò ne ſe proiiciat: ſecundò ne multitudo luminis ipſum magis uigilem faciat: thalami igitur multa luciditas, & picturarum varietas uitanda eſt.

Cibi ſint actu, & potentia humidi, vt contemperent ariditatem cerebri, & humorum in eo redundantium, & ſomnum inducant. Sint præterea concoctu faciles, flatus exortes, & qui parum ſanguinis generare poſsint propter quod ptiſana utendum, intybo, borragine, malua, cucurbita, lactuca, contuſuo ex ſeminibus melonum: iure pulli cum lactuca alterato. procedente tempore, poſtulantibus uiribus, carne vti poterit, potiſsimum contuſa gallinarum, pullorum, perdicum, phaſianorum,

rum, & veruccum, & hædorum : & iure carnis ptisana optime parabitur. ex fructibus conueniunt pepones, cucumeres, vue dulces, passulæ, mala dulcia.

Interim cauere debet ne cibus sit ad obstructionem faciẽdam dispositus, vt caro porcina, murenæ, tenchæ, anguillæ, fungi, caseus recens, vinum nigrum crassum : nam facta obstructione in uenis hepatis, uel lienis, humores mali cum per inferiora expurgari non possint, sursum regurgitant, & ad caput euaporant. caue prætera ab omnibus eduliis bilem procreantibus.

Insuper moneo ne maniacis exhibeas in principio vrinam prouocantia, vt est ius ciceris, decoctum fœniculi, saxifragiæ, petroselini, succus raphani, quoniam subducẽdo per uias vrinæ humiditates, quibus in hac dispositione maxime indigenus, nutrimentum redditur siccum, & ad membra nutrienda penetrare non potest : & ventris fit constipatio.

A vino penitus abstinendum, nisi ex metu insania orta fuerit, nam in hoc insaniæ solo genere recte vinum datur, vt Celsus monet.

Pro potu sumant aquam hordei, vel succum mali punici dulcis : quòd si huiusmodi potum auersetur æger, & morbus in declinatione fuerit, vinum non erit denegandum album, tenue, aquosum, ac subastringens, optimeq; dilutum : & præsertim si ex melancholico succo exusto mania causatur : tale enim vinum humectat, & dormire facit.

In quiete, & otio detineantur maniaci, & vicem exercitii subeant crurum frictiones, & in ipsis accessionibus crurum, & brachiorum ligaturæ ut materia inferius trahatur.

Somnus sit longior, nam si quid prodest, somnus maxime prodest : humectat.n.& humorum concoctionem adiuuat: vigiliæ superfluę omni ingenio arcendæ sunt, & cum syrupo de papauere, & cum diacodione, & cum embrocis, & inunctionibus ut infra dicemus.

Beneficium uentris quotidie habeat, neq; fœces in intestinis exiccari permittãtur, valde.n.nociuum esset. & aluo astricta existente, alternis diebus clysteria humectantia, & lenientia indantur absq; sale.

Quòd

Quòd si ex feruenti sanguine furor excitatus fuerit, ante omnem aliã curationem phlebotomia fieri debet ex uena basilica, uel communi: aut si hæ non appareant ex vena frontis, aut ex vena, quæ est sub lingua.

In mulieribus iuuat secare uenam in talo, præsertim quando mania ex suppresßis mensibus est conflata: at si hæc non appareat, ad eas, quæ in summis manibus, ac pedibus transeundum (ut Aetius est auctor) &, existẽtibus uiribus ualidis, quã tum satis esse uidebitur, statim, & una uice detrahito. Sin autem uires languidæ multam una uice non tolerant euacuationem, necesse est non modo semel, sed bis, & sæpius, quantum licet, paulatim auferre. In hoc etiam casu multis profuit adhibere hirundines circa tẽpora, & post aures: & quandoq; circa podicem, si hęmorrhoides restrictæ maniam fouent. post sanguinis extractionem: Si pharmaco opus fuerit, calidiora, & ficciora cauere debes (ex Tralliani monitu) q. enim, inquit ille, calidioribus antidotis, aut purgationibus in tali mania usi sunt, præsertim hyera, ægros magis furiosos, atq; insanos reddiderunt, dum sanguinem ad siccius, & acrius conuerterunt. præstat igitur tales simplicioribus adhuc medicamentis, quæ totum corpus nequeant calefacere, repurgatos, humectanti cibo permittere. His peractis euacuationibus, caput prius abrasum irrigare oportet rosaceo cum pauco aceti, aut succo polygoni, uel oleo melino, aut violaceo, in quo uel lana, vel linteolum lineum madefactum sincipiti adhibeatur, & frequentius permutetur. aut Recipe caput, & pedes ueruecis excoriatos coquantur in aqua dulci cum florum uiolarum, nympheæ lactucæ, semperuiuæ ana m. 2. & cum decocto caput abluatur. uel emunge super ipsum lac muliebre: uel inunge ex butyro recedenti cum æquali portione unguẽti populeonis, multam.n. remouet siccitatem, & moderatè refrigerat. aut Recipe rosarum, uiolarum, solani, foliorum lactucæ ana m. s. corticum papaueris albi ʒ. 2. florum chamæmeli ʒ. 3. florum stœchadis ʒ. 1. & cum prius bullierint in debita aquæ quantitate, addito pauco aceti, iuxta comissuram coronalem caput irrigato. Quæ localia omnia non frigida actu, sed tepida capiti applicentur: sic.n. magis penetrant, humectant,

ſtant,& ſomnum inducunt,quo maxime in hac cura indigemus : quare pro hoc conciliando laudat Aetius pharmacum ex papaueris capitibus (diacodion appellant) exhibitum cũ ſucco ptiſanæ, aut aqua, aut ſucco mali punici dulcis: & plurimi quidem ipſorum, ſumpto ſoporifero, penitus reſcipiſcunt, quando igitur prima die, poſt medicamentum ſatis dormierint, vna die interpoſita, rurſus diacodion propinandum : obſeruando tamen ne poſtea ſępius offeratur, nam ſoporifera ſenſus ſtupidos reddere ſolent.

Quòd ſi à flaua bile præaſſata furor originem duxerit, humorem præparabis,& concoques, poſtea euacuabis. humor præparari poterit cum ſyrupo de fumoterræ, violaceo, roſaceo, de cichorea ſimplici, vel de cichorea cũ Rhabar, cum de coctis appropriatis,& ſupra in cap. de phrenitide deſcriptis: ad quæ, pro hac intentione perficienda habeatur recurſus. præparatum humorẽ his vel ſimilibus educet medicamentis.

Recipe ſanæ, epithymi ana ℥. 1. prunorum nu. 15. bulliant in aqua, & colentur: cuius decocti accipe ℥. 6. & diſſolue in eo mannæ electæ ℥. 2. & in aurora exhibe. Aliud. Recipe fumiterræ, lupulorum, borraginis, florum violarum, epithymi ana ʒ. 2. hordei ℥. 5. cichorij, nymphe æ ana ʒ. 1. paſſularum, tamarindorum ana ℥. 1. coquantur omnia ſimul, & in ℥. 6. huius decocti macerentur ʒ. 2. myrabalanorum citrinorum,& ʒ. 1. indorum per duodecim horas: hinc facta per colum transfuſione ſuperaddes diacatholiconis ℥. 5. mannæ electæ ℥. 1. quòd ſi æger medicamentum ſolutum nolit accipere, fiant catapotia: ſin (inquit trallianus) hæc quoq; inuitus capiat, cibis, aut vino, aut palmulis, aut ficubus, aut molliſsimis ouis excipiat, ita vt vitelli membrana leuiter aperta, in medio illa coniiciantur: ſic enim æger ſine moleſtia, & placidè omninò ea aſſumet. Cæterum ſi tali, vel ſimili dato mediamento corpus non ſatis abundè vacuatum eſſe depręhendas, vt potè, quia ei non cedat affectus, poſt aliquot dies, præcedente tamen prius corporis præparatione, ac humoris concoctione, ægrum iterum purgabis, exhibendo vnum ex prædictis medicamentis aut ex ijs, quæ in cura melancholiæ propoſita ſunt. poſt purgationẽ tota intentio erit humectare,

& parum refrigerare, magis tamen quàm in mania ex ſanguine: quapropter balneo aquæ dulcis tepido vtendum, inclinante præſertim morbo, alijsq; irrigationibus, & localibus prædictis.

Quòd ſi Mania fuerit ex melancholico ſucco exuſto, curabitur ijſdemmet remedijs, quibus ipſa melãcholia curatur.

Per conſenſum vero furor genitus, nulla alia peculiari indiget curatione, verum primogenio affectu curato, & ipſe quoq; caſſabit, & ne fiat per eſſentiam, cerebrum iam dictis topicis medicamentis præſeruabitur.

At ſi Mania ob ſpermatis retenti, & corrupti euaporationem acciderit, nullum tutius, neq; magis præſentaneum inuenies medicamentum ipſo coitu: verum quia coitus omnibus, propter honeſtatem non conceditur, vel quia eſt virgo nobilis, vel vidua habens fratres, & propinquos ſuæ caſtitatis anxios cuſtodes: vel Monialis, & religioſa, inuiolatam caſtitatem deo iurata: adſit Obſtetrix, quæ inuoluat ſibi digitum indicem, vel medium cum pãno lineo, & inunctum oleo de ſpica, cum pauca caphura miſto in vuluam patientis intromittat, & fricet quouſq; dolor excitetur, & patiens conqueratur. peſſarium vel candelam ceream in panno ſimiliter lineo inuolutam ſufficientis quantitatis, inunctam ex oleo de lilio, vel de ſpica, in quo parum moſchi, aut ambræ ſit diſſolutum, intromittat in vuluam ſæpius in die. eſt enim mirabile remedium in ſuffocatione matricis, & in omni ægrirudine cõflata à menſibus ſuppreſsis, à ſpermatis corrupti retentione: quoniam trahit matricem ad inferiora, & ſperma corruptum eijcere facit: & quandoq; reſoluit.

Medicamentum infraſcriptum remouet maniacam paſſionem contingentem ex retentione ſpermatis corrupti, & menſtruorum, & deſtruit frigiditatem capitis contingentem à cauſis pręd ictis, & in mulieribus, & ſenibus, & decrepitis cõfortat appetitum. Recipe ſeminis Agni, iuniperi ana ʒ. 3. myrtillorum ℥. 5. peoniæ ʒ. 1. in puluerem tenuiſsimum redigantur & cum melle crudo formetur electuariũ: cuius doſis ſingula vice ſit ʒ. 1. exhibe ante prandium, & veſperi ituro cubitum, & ſuper bibat parum vini lymphati.

περὶ μελαγχολίας πλανωμένης.

De Melancholia errabunda. Cap. X.

MELANCHOLIAM errabundam appellare libuit illam melancholiæ ſpeciem, quæ ut plurimum in februarij menſe aduenire ſolet, vere non expectato, propter humoris melancholici tenuitatem motum ſuum accelerantem: & dicitur errabunda, quoniam, qui tali melancholia afficiuntur, ſemper ſunt in continuo motu, errones fiunt, vagantur, curſitant huc illuc, neſcientes quo uadant: neque in uno loco per horam quieſcere poſſunt. hæc ſpecies melancholiæ ab Auic. cæterisque Arabibus cutubut dicitur: eſt autem cutubut paruum quodam Animal plurimũ curſitans ſuper aquas ſtagnantes: guarda peſce, & ſchiarale-lo vulgo dicitur: itaq;, quemadmodum tale animal mouetur ſemper diuerſis, & inordinatis motibus, ut eius iter nunquam obſeruari poſſit: pariter qui hac melancholia laborant, nullum in ſuo curſu obſeruant ordinem.

Cauſa.

Cauſa antecedens huius paſsionis eſt ſanguis corruptus, qui poſtea ob nimium motum, & exercitationem, & nimias vigilias vertitur in bilem, & melancholiam adutam. Cauſa coniuncta: eſt bilis aduſta, & melancholia naturalis aduſta: quæ in aduſtione hunc determinatum modum malitiè acquiſiuit, vel poteſt eſſe bilis aduſta permiſta melancholiæ naturali nõ aduſtæ, quæ in miſtione talem modum malitiæ ſortitæ ſint, & hic morbus eſt per propriam eſſentiam, & non per conſenſum in cerebro.

Signa.

Color patientis eſt Citrinus, lingua ſicca, ueluti multum ſitientis: oculi ſicci, ſubmerſi, debiles ad videndum, & nunquam lachrymantes: totum corpus eſt durum, arefactum: facies miram præſeferens mœſtitiam: de omnibus triſtatur, & conquæritur: amat ſolitudinem pluſquam omnes alij melan-

cholici, non est audax, & temerarius vt maniaci, sed timidus: noctu ambulat, ignorans quò vadat, die quærit latebras inter mortuorum sepulchra: & fugit ire obuiam hominibus viuis: quandoq; in eos negligenter incidit, neque videt, quod oculis subiicitur. Deniq; in vno loco stare nescit, causa huiusmodi inquietudinis est error consilij, & iudicij, propter cuius paucitatem fugit, timens omne indiuiduum occurrens, & sic incipit in vna parte moueri, & obuians alteri indiuiduo iterum fugit ad aliam partem, & sic in suo cursu incerto fit similis insectis, & paruis animalibus super aquas discurrentibus, & salientibus, quæ cutubut Arabicè dicuntur: eius crura vlceribus scatent, quæ vlcera non consolidantur ob materiam melancholicam corruptam continuè propter motum fluentem ad illarum partes, & ideo fiunt cancerosa: vel non consolidantur: quia semper impingunt crura vepribus, truncis, saxis, & duris obiectis: & à canibus vndique impetuntur.

Cura ex paulo.

Curantur autem hi accessionis tempore venam secando, & sanguinem ferè usq; ad animi deliquium euacuando, eosq; boni succi cibis nutriendo: ingrediantur postea balneum aquæ dulcis, in quo paruam moram ducant: & per triduum uice syrupi serum lactis exhibeatur: hinc purgari debent hyera ex colocynthide, bis, terue (si oportunum fuerit) interponendo tamen inter vnam, & aliam purgationem ad minus spatium quatuor dierum, quo tempore pariter serum lactis accipiãt: in quo epithymũ infusum fuerit. a purgatione Cor, seu uirtus uitalis Corroborari debet cum theriaca potius noua, quàm antiqua, uel cum aliquo alio antidoto eiusdẽ facultatis, uel cum iis, quæ in affectu malancholico sunt commemorata.

Ad uesperam uero inualescente morbo, irrigationibus, iniunctionibus, & epithematibus somnum accersere conuenit. nares item, & tempora populeone dicto unguento illinantur quandoque etiam soporifera medicamenta in potu exhibeantur. quòd si prædicta non contulerint ægrum colaphis, & virgis percuties, ut à deprauata cogitatione abducatur: & ut materia melancholica intus latitans per dolorem

exci-

excitatum ad superficiem attrahatur. Vltimo eius sinciput propè comissuram sagittalem ferro ignito cauterizari debet.

περὶ ἐρωτομανία.

De Amore insano. Cap. XI.

EST Alia species melancholiæ: quam nonnulli propter amorem alicuius formę, vel pulchritudinis incurrunt: ylisci ab Auic. ἔρως græcè, latinè amor dicitur.

Est autē Amor affectus quidā animi cū intensa cogitatione, & desiderio, & solicitudine ad aliquā rem placitam obtinendam. à Poetis γλυκύπικρος, dulcis, & amarus uocatur, nam in principio suis blanditiis, & illecebris maximam delectationem, suauitatem, & tranquillitatem promittit: tandem irretitos acerbam, amarissimam, & anxiam uitam ducere facit: hinc igitur mala medica veneri mysticè dicantur, ut potè dulcia intus, corticem uero amara: de quibus eleganter hoc distichon lusit Alciatus.

Gal. de simpl. Med. 3. capit. 16.

Aurea sunt veneris poma hæc, iucundus amaror.
Indicat, est gręcis sic γλύκυπικρος amor.

De quo Amore, inquit Seneca, quòd est rationis obliuio, & insaniæ proximus: fœdum, & minimè conueniens animæ sospiti uitium: turbat consilia, altos, & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. de hoc Amore carnali, & inhonesto inquit Virgilius.

Et genus Aequoreum, pecudes, pictæque uolucres
In furias, ignemq; ruunt: amor omnibus idem.

Et paulo infra.

Quid Iuuenis, magnum cui uersat in ossibus ignem
Durus Amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat Cæca serus freta: quem super ingens
Porta tonat cœli, & scopulis illisa reclamant
Aequora: nec miseri possunt reuocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere uirgo.

Amor ſequitur uirtutem appetitiuam, quæ ſecundum Platonem, habet ſedem in hepate, ſicuti iraſcibilis in corde, & rationalis in cerebro: & quoniam hepar eſt officina ſanguinis, ideo ſanguinei ſunt magis ad Amorem diſpoſiti: hanc paſsionem eſſe in ſanguine illud argumento eſt, quòd actus huiuſmodi alterna requie caret. continua enim febris fit à ſanguine: quæ autem ſex horas quieti permittit à pituita: quę diem vnum à bile: quæ duos dies ab atrabile. In ſanguine igitur talem paſsionem continuam meritò collocamus: qui ſanguis neceſſe eſt vt fiat melancholicus niſi Amantibus ſuccurratur, & eorum cogitatio auferatur, & anima leuietur: nam die, noctuq; vulgares amantes anxia cogitatione vexantur, qui, amore durante, bilis incendio primum, deinde atræbilis aduſtione afflicti, in furias ruunt, & quaſi cæci, quò ſe pręcipitent, ignorant.

Ad amorem concurrit operatio cuiuſlibet virtutis ſenſitiuæ intrinſecæ. primò ſe ſe offert ſenſata forma: quæ apprehenditur ab imaginatiua: & defertur ab aliquo ſenſu particulari. Secundò ſuccedit, quòd forma ſit placita, & Iudicata pulchra ab æſtimatiua. Tertiò concurrit, quòd memoria continuę referat talem formam, placitam ipſi Iudicio, & æſtimatiuæ. ex quibus omnibus ſimul concurrentibus, & vnitis inſequitur appetitus fruendi illo ſubiecto, ſeu Muliere, cuius forma eſt placita, & Iudicata pulchra. Vnde uidetur, quòd Amor formaliter nihil aliud ſit, niſi appetitus, ſeu diſpoſitio ad appetitum. In Amore igitur apparet læſio omnium trium virtutum dictarum, ſed diuerſimodè: nam Imaginationis, & memoriæ eſt læſio per intenſionem operationis earum. Aeſtimatiuæ autem eſt læſio per corruptionem quia amans quandoq; habet hanc facultatem ita corruptam, vt id, quod ex ſui natura fœdum eſt, & turpisſimum: iudicat pulcherrimum. Iuxta illud.

Si quis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam,
Omnis amans cæcus, non eſt amans Arbiter æquus.

Amor in ſui exordio non eſt ſpecies melancholiæ: ſed in proceſſu temporis talis fit, quando uidelicet corpus iam afficitur mala complexione frigida, & ſicca, ob nimiam cogitationem,

tionem, incdiam, & vigilias, quibus humores aduruntur, & in melancholiam vertuntur.

Hic affectus differt à vera melancholia in hoc, nam Amor in principio fit vitio mentali, in progressu coniungitur cum vitio corporali: sed Melancholia semper fit vitio Corporali scilicet à mala complexione sine materia, vel cum materia.

Hic morbus plus accidit uiris, quàm mulieribus, tum quia sunt calidiores, & eorum semen maiorem in ipsis mouet titilationem: tum quia ad venerem maiori aguntur desiderio, neq; de pudore, & honestate conseruanda sunt, vt Mulieres, soliciti, nam ipsi non fiunt prægnantes: præterea cum sint magnanimi non putant à mulieribus insidias, & tela sibi parari: ideo non cauent ab illis. Mulieres autem amore captæ difficilius sanantur: quia post deperditam honestatem indomitæ, & effrenes solo ducuntur appetitu: harum intellectus est imbecillior, magis fragilis, & lubricus; & ad virtutes, & constantias uiriles minimè exercitatæ.

Causa.

Causæ procatarcticæ Amoris sunt otium; lasciuia; nimię delitiæ; solitudo; lectiones amatoriæ: sermones bandi, & suaues: colloquia amatoria: Ioci: Soni Musicales: Cantilenæ: choreæ: mundities: habitus corporis comptus: pulchritudo visa, vel audita multis extolli laudibus: Mulierum pulcherrimarum, & Iuuenum risus, intuitus lasciuus: adulationes, munuscula: & cæterę amoris illecebræ.

Causæ antecedentes sunt quatuor prima efficiens, & hæc est obiectum delectabile, & placitum, imprimens suam speciem in virtute imaginatiua, & æstimatiua. secunda est causa materialis in qua consistit: & est secundus ventriculus cerebri in quo viget æstimatiua. tertia est formalis assidua scilicet cogitatio de obiecto placito, & delectabili. quarta est causa finalis, ipsa delectatio, & fęlicitas, quam immensam patiens sibi proponit, si vnquam obiecto placito frui poterit.

Causa coniuncta est mala complexio melancholica iam à prædictis causis inducta, & confirmata: per quam facultas imaginatiua malè imaginatur: & cogitatiua malè cogitat, & sine ordine rationis iudicat: unde ipsi amantes faciunt ea,

quæ insanis, & furiosis ascribuntur; nam spreto omni periculo uitæ sub dio ante fores amicarum pernoctant: æstus, algores, famem, sitimq; patiuntur: propriam salutem infidissimæ comittunt fœminæ, eius imperio se subiiciunt: negligunt propria, dilapidantq; aliena curare volunt: & vt de suo amore fidem faciant quandoque sibi ipsis vulnera infigunt. Denique post posito omni honore, & spreto saluatoris nostri Iesu Christi beneficio, se, ac si latrones essent, laqueo suspendunt: & infames ad æternas pęnas damnati moriuntur.

Signa.

Ex Auic.

Signa erunt hæc, videlicet, color citrinus, profunditas oculorum, eorum siccitas, & priuatio lachrimarum, nisi cum fletus adest: motus continuus palpebrarum risibilis, quasi aspiciat aliquid pulchrum, & delectabile, aut nuncium audiat Iucundum, aut cantilenas, aut concentus musicales: aut gaudeat ob animi fixam attentionem circa suæ Amasiæ pulchritudinem. anhelitus eius est multæ intersectionis cum altis suspiriis, propterea quòd anima tota est abstracta in cogitatione rei amatæ. Insuper audiens cantilenas, & carmina amatoria disponitur uel ad risum, & lætitiam: uel ad fletum, & tristitiam. ad risum quidem, & lætitiam, si de recenti habuit gratum nuncium, uel aliquod munus, vel symbolum Amoris suæ dominæ: ad fletum vero, & tristitiam si certior factus est se repudiari, & non amari: sed alium pulchriorem à domina in sui locum receptum esse, omnia eius membra propter assiduas meditationes arefiunt, & marasmo afficiuntur, præter oculos: qui graues, magni, & turgidi fiunt: graues quidem ex melancholicis humoribus ad eos defluentibus, & ex resolutione spirituum ob nimias uigilias: magni uero, & turgidi ob continuum motum attrahentem, uel quia natura trasmittit ad eos multum nutrimenti respectu aliorum membrorum, uel quia ex risu frequenti sunt dilatati, & magnificati. præterea in suis gestis, & actionibus nullum seruat ordinem, neque decorem, nam nunc manus agitat, nunc pedes, nunc surgit, nunc sedet, nunc se prosternit, nunc attollit oculos, nunc humi deprimit: loquitur insulsa, contrariantia, & inter se repugnantia. Denique si in cogitationibus profundatur, actio

actio animæ, & corporis corrumpitur: corpus enim sequitur animam in suis actionibus; anima autem imitatur corpus in suis passionibus: Galenus inquit animi mores sequuntur temperaturam corporis; anima secundum temperiem corporis mouetur naturaliter ad operandum, nam secundum temperiem biliosam mouetur ad iram: secundum temperiem sanguineam ad gaudium, & sic de aliis: attamen secundum mores, & habitus animæ acquisitos per ipsam philosophiam, vel per bonam ædaucationem, & institutionem anima non sequitur temperiem corporis, sed ipsam disciplinam.

Signa etiam desumuntur ab ipso pulsu, per quem Medicus prudens cognoscet, quid sit, quod æger amat: quando uidelicet ob reuerentiam patris, uel ob aliquam malam persuasionem, noluerit fateri causam sui affectus: quæ cognitio ad curam magnopere confert: Medicus itaque semper tangens pulsum memoret nomina, figuras, domos, artes, genus, regiones eius de qua, uel de quo suspicatur, nam Vt monet Galenus ad nomen illius quæ, uel qui amatur, fiet pulsus diuersus, & intersectus, & patiens in faciem mutabitur ad diuersum colorem: confert hoc scire, quoniam interdum nullum regimen medicinale ad hanc curam requiritur, sed sufficit ut amans copuletur cum re amata, vel ipsa potiatur, & iam uisi sunt quidam, qui post febrium tolerantiam, & post debilitatem virtutis, & siccitatem marasmaticam sunt restituti pristinæ sanitati cum potiti essent re, quam maxime amabant; hinc itaque cognoscimus mirabilem obedientiam corporis animi affectibus.

Ad Posthumũ cap. 6.

Prognostica.

Qui hanc speciem Melancholiæ patiuntur, nisi citò ope, & cura medentis rescipiscant, maniaci fiunt, & marasmo consumpti moriuntur.

Cura.

Curam huius morbi suscipiens, in primis stude, ne patiens cogitationibus immergatur assiduis. adsint Amici dilectissimi, & eloquentes, quorum conspectus, & melliflua oratio ægrum à mœstitia, ad hilaritatem reuocare ualeat. Spatietur per hortos fructiferos, floribus odoriferis nitenteis, cum fœminis,

minis,& maribus pulchræ formæ: vbi præterlabentem aquam claram,& muscosos uideat fontes: oblectetur sonis dulcibus, testudinis, citharæ, lyræque. Cibi sint humectantes,(vt in cura melancholiæ dictum est) nisi affectus fuerit, ex retentione spermatis, nam tunc fortasse Ieiunium confert. Vinum laudatur odorum,& temperatum: uinum enim (ut Ruffus inquit) est fortis medicina trimidis, tristibus, & ex amore insanientibus: dicebat Galenus quicunque uinum de uitibus educere molitus inter sapientissimos est connumerandus. Laudatur balneum paruæ moræ humectans ex aqua dulci tepida; in qua flores maluarum, uiolarum, sint decocti; & oblectetur in tali balneo. caueat sudorem nimis exiccantem. Somnus vt in cæteris melancholiæ speciebus, maxime confert. Vigilans sit occupatus ruri circa arborum insitiones, & circa agriculturam: vel circa uenationes, & aucupia,& (ut dicit Horatius) Amite leui rara tendat retia

Turdis edacibus dolos:
Pauidumque leporem,& aduenam laqueo gruem
Iucunda captet premia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur?

Ad Posthumū cap. 6.

In urbe habeat continuas occupationes uel in sedandis litibus,& cõtrouersiis, vel in magistratibus gerẽdis: uel in cura familiari, & quoduis otiũ illi interdicatur, nã, dicit Ouidius

Otia si tollas periere cupidinis arcus
Contemptæque Iacent, & sine luce faces,
Desidiam puer ille sequi solet odit agentes
Da vacuæ menti, quo teneatur opus.
Quàm platanus riuo gaudet: quàm populus unda
Et quàm limosa canna palustris humo:
Tàm venus otia amat: qui finem quæris amoris,
Cedit Amor rebus: res age: tutus eris.
Quæritur Aegistus quare sit factus adulter
In promptu causa est: desidiosus erat.

Præterea quem ab amore sanare cupis, peregrè ducere debes ad regiones longinquas, ut varia, & diuersa videat, nam ut monet Ouidius.

Cum

Cum semel exierit, centum solatia curæ
Et rus, & comites, & uia longa dabunt.

Prodest etiam adducere aliquam puellam: quæ & forma, & moribus sit amabilis: cuius blãdo sermone animus patientis delinitus assuescat nouo amori, etenim,

Successore nouo uincitur omnis amor.

Sunt qui ad ægrum introducant vetulas in persuadendo doctissimas, quæ insinuationibus vtentes paulatim deueniunt ad vituperandam formam, genus, educationem, & mores ipsius mulieris amatæ: & ostendunt, quòd potius digna est, vt odio habeatur, quam vt diligatur. hinc proferunt omnia eius vitia & animi, & corporis: videlicet, quòd est superba, rixosa, ebria, malefica, infamis: vel quòd strabosis aspicit oculis, & est nasi fœtentis, & mali anhelitus, & quòd est clauda, vel Epileptica, & habet mammillas pendulas, molles, & laxas: & quòd eius facies semper est vncta, & fucata: & quòd mane à lecto surgit oculis lippitudine Scaturiẽtibus: & quòd dentibus rubigine, & squalore obductis, & ore tam grauiter olet, vt cloacæ assimilari possit. his, & similibus dictis vetulæ, in hoc officij genere ipsis uiris prudentiores, solent patientem ab incæpto amore, & à fixis in eo cogitationibus reuocare, & ad potiorem reducere sententiam.

Tandem si in sua opinione ostinatè perseueraret coniungatur legitimè cum amasia, si ex legis permissione fieri potest: Sin talem coniunctionem, lex nequaquam concederet, vt pote quia vnus esset christianus, alter Iudæus, vel quia essent affines, & malum nunquam permitti debeat, vt eueniat bonum: corrigatur Asinorum more, hoc est verberibus, & baculo.

Quòd si ex tali amore cutubut, seu melancholia errabunda: vel mania affectus omnino fuerit, (vt Rolandus ex Angelicæ amore olim laborasse à Ludouico Ariosto in suo poemate graphicè describitur) pro eius cura adhibe quæ in superioribus capitibus in cura melancholiæ, cutubut, & maniæ posita sunt.

Περὶ δίνου καὶ σκοτοδίνου.

De vertigine, & tenebroſa vertigine. Cap. XII.

Gale. de rat. uict. com. 4. tex. 42.

CVM caput circumagi videtur δῖνος, ſeu ἰλίγγος græcè: vertigo latinè uocatur affectio: cum autem, & tenebricoſa ſimul fuerit viſio, σκοτόδινος ideſt tenebricoſa vertigo appellitatur: recentiores autem hunc ſecundum affectum corrupto vocabulo ſcotomiam dicunt, cum potius ſcotodinam dicere deberent, nam σκοτεινὸς tenebricoſum, δῖνος vertiginem ſignificat. Auic. ſub nomine vertiginis comprehendit etiam ſcotomiam: ſicuti Raſis nono ad Almans. ſub nomine ſcotomiæ intelligit quoq; vertiginem, & rectius (ut mihi uidetur) nam, qui dicit ſcotomiam, dicit etiam vertiginem: non autem è contra: poteſt enim eſſe quòd aliquis patiatur uertiginem abſq; ſcotomia: at ſcotomia ſemper habet ſecum vertiginem. unde aliud eſt quòd caput circum agi, aliud quòd non modo circum agi, verum cum uiſus obſcuritate circum uerti uideatur.

Vertigo, & tenebricoſa uertigo poteſt conſiderari ut morbus in mala temperie frigida, vel calida, ſecundum uariam diſpoſitionem uaporis cerebrum alterantis: & ut morbus officialis ſcilicet obſtructio in neruis, venis, arteriis, & viis anterioribus cerebri. pariter poſſunt conſiderari vt ſymptomata, & primò quantum ad earum originem, & ſic ſunt actio corrupta uiſus: inducitur enim motus in ſpiritu uiſili, vnde actus videndi corrumpitur, & obiecta viſa, quamuis ſint firma moueri tamen uidentur. Secundò quantum ad earum complementum: & ſic ſunt actio corrupta virtutis imaginatiuæ. nam propter impreſſionem in ea factam ex repræſentatione ſpecierum viſarum, patientes imaginantur res eſſe extra quæ nō ſunt: & res extra moueri, quæ non mouentur.

Eſt autem vertigo imaginatio quædam, quòd caput, ſeu res uiſæ circumferantur, & uertantur: homo tamen nondum cadit, ſed ſe ipſum regit.

Scotomia uero erit, ubi obtenebrationes, hebetudinesq; ocu-

oculis obuerſantur, & omnia circum agi, & rotari videntur, & patiens in terram cadit, neque ſe regere poteſt: quoniam affectio maior eſt, quam ſimplex vertigo.

Differunt hę paſsiones ab Epilepſia, quoniam in iſtis æger neque ſenſu priuatur, neque ſpaſmo afficitur vt in epilepſia: conueniunt in caſu.

Quòd autem imaginatio in iſtis non lædatur, quidam incaſſum oſtendere conati ſunt, dicentes ſi talis facultas læderetur ægri non putarent ſe eſſe deceptos vt putant: nam licet videatur eis caput circum verti: aut quęcunque conſpiciunt circum agi, ſciunt tamen falſam eſſe viſionem, & imaginationem. reſponſio eſt, quòd nihil obſtat imaginationem læſam eſſe: quamuis æger cognoſcat uerum, aut falſum eſſe illud quod imaginatur: cum hæc cognitio ratiocinatricis facultatis, ſeu cogitatiuæ, & non amplius imaginatiuæ ſit munus: quæ cogitatiua conſtare poterit lęſa exiſtente imaginatiua, vt patet in quibuſdam phreniticidis ſpeciebus: de quibus ſupra cap. de phrenitide.

Dubitatur cur eſt, quòd cum accidat ſenſum communem errare circa obiecta ſenſus auditus, & aliorum ſenſuum, non dicitur in vertigine, aut ſcotomia operationes auditus, & aliorum ſenſuum ita corrumpi ſicut operationes viſus. reſpondent aliqui, quia nerui optici ſunt propinquiores organo ſenſus communis: vel quia in vertigine, & ſcotomia adeſt corruptio ſpirituum, & virtus viſiua magis abundat in ſpiritibus: vel quia vertigo motum reſpicit, affecti enim credunt omnia in gyrum moueri, ſed per viſum motus magis percipitur, quam per alium ſenſum: ideo viſui magis appropriatur. prima ratio videlicet quòd nerui optici ſint propinquiores ſenſui communi, vel imaginatiuæ, nulla eſt, cum organum auditus ſit æque propinquum, pariter organum olfactus, quæ ſunt duæ paruæ prompagines in parte anteriori cerebri. ad ſecundam rationem quòd vertigo, & ſcotomia ſit corruptio ſpirituum, & quòd virtus viſiua ſit magis in ſpiritibus. dicimus hoc concludere, quòd corruptio ſpirituum deſeruientium organis aliorum ſenſuum debet rarius complicari. tertia ratio pariter ceſpitat, videlicet quòd motus magis

visu persentitur, nam motus non modo visui verum omnibus exponitur sensibus. Dicas igitur quòd sensus communis errat in comprætensione motus: quia talis motus non est ita benè aptus sentiri alio sensu, sicuti sensu visus. & quamuis actio sensus communis possit corrumpi circa comprehensionem sensibilium aliorum sensuum, non debet huiusmodi corruptio dici uertigo, neque scotomia, sed alio nomine vocabitur.

Præterea etiam dubitatur, nam uertigine, & scotomia affectus non errat circa aliquod obiestum, nisi species illius obiecti ad sensum communem per oculum deferatur, aut delata sit, sed cum nemo possit aspicere proprium caput, nisi per speciem reflexam à speculo, species capitis sui non defertur per uisum ad sensum communem: ergo non errabit in apprehensione proprij capitis imaginando ipsum moueri, quando quiescit: dicas verum esse, ad quod argumentum deducit: nam patiens propriè non compræhendit caput suum moueri, sed partes sui corporis, ab eo uisibiles, unde per consequens fit idem iudicium de capite.

Causa.

Vertiginis, & tenebricosæ uertiginis aliæ sunt causæ primitiuæ: aliæ antecedentes: alię coniunctæ. Inter causas primitiuas hæc prima connumeratur uidelicet reuolutio circularis hominis super se ipsum; sicuti iuuenes tripudiantes, ut agiles appareant, quandoque per multum temporis spatium se circulariter uoluunt: unde ex tali reuolutione contingit quòd uapores, & spiritus in cerebro contenti pariter uoluantur, pro exemplo sit uas aquæ plenum, quod in gyrum uertatur. absque dubio ipsa quoque aqua in eo contenta, & si postea uas quiescat, in gyrum ducetur. pariter uapores, & spiritus circulariter mouentur ad corporis reuolutionem, quamuis postea corpus quiescat. sed quando spiritus uoluitur in gyrum: homo imaginatur, quòd obiecta uisa uoluantur in gyrum. nam ad hoc ut res moueri uideatur, nihil differt, imo æquale est, quòd res extra, siue spiritus intus moueatur.

Aristo. 2. cęli tex. com. 40.

Inter causas primitiuas uertiginis, & scotomię pariter connumeratur aspicere, uel considerare res circulariter motas, &

& præsertim splendentes, & luminosas, ita ut forma illa sensata in anima figatur: quòd autem figi, & imprimi possit patet, quia omnes operationes sensibiles fiunt cum instrumentis corporeis impressionem patientibus: inter quæ instrumenta dignior est spiritus sensibilis: quare in ipso spiritu remanet forma sensati fortiter imprimentis, quamuis tale sensatum postea fuerit ablatum: omne enim sensatum non efficit in instrumento sensibili nisi formam, quæ est sibi similis: hinc forma illa firmatur, & euanescit, secundum quòd instrumentum recipit, & pro ut magis, uel minus agens impressit. quę dictæ causæ erunt fortiores quantò corpus fuerit debilius, & magis dispositum ad patiendum, ut accidit ægris, & neutris conualescentiæ. ęgritudo quandoque tantum prorogatur, ut homo ab ea debilitatus, in conualescentia tamen existens facile ab iis causis uertiginem, & scotomiam incurrit.

Arist. de sensu & sensili.

Inter causas primitiuas tertio loco connnmerabis capitis percussionem, cranei fracturam, ita ut cerebrum comprimatur, & spiritus in gyrum agitentur, non secus ac ipsa aqua à proiecto lapide circulariter agitari solet. Item percussionem super dorsum: ex tali enim percussione potest causari scotomia ob consensum medullæ spinalis cum cerebro. item ambulare super pontem strictum, & tremulum: aspicere solem, rotas molendini: præcipitia, & per eorum summitates iter facere: & aquas cum fragore, & uehementi sonitu ab iis decurrentes per multum spatium intueri. Item audire multa tonitrua, & bombardas, timorem enim incutiunt, corpus agitant, & spiritus inordinatè mouent. Item crapula, ebrietas, somnus immediate post multam, & variam ciborum repletionem: superfluæ vigiliæ: nimia ob iram excandescentia: eliquatio humorum in capite à Sole, vel à pannis calidis circunductis, sunt causæ primitiuæ vertiginis, & tenebricosæ vertiginis.

Causæ antecedentes, aliæ per propriam essentiam in cerebro, aliæ per consensum: per propriam essentiam sunt quatuor humores in capite contenti, moti, aut euaporantes: multa enim caliditas capiti adueniens mouet, & agitat in es humores tam naturales, quam præter naturales: facitque ipsos euapo-

euaporare. Auic. adducit exemplum aquæ ebullientis, quæ ab igne motu inordinato mouetur, an vero hoc sit à qualitate, vt multi sentiunt, an sit quia corpora ignea aquæ admiscentur, vt putat Auer. non curamus: sat est quòd omnes humores in capite agitati, vaporesque crassi ab ipsis humoribus eleuati, exitum non inuenientes, & inepti vt discutiantur vertiginem, & scotomiam causare possunt.

2. de Anima. text. Comm. 115.

Per consensum oritur hic affectus, quandoque à toto, ut in febrium crisibus, aut in aliis per pharmaca euacuationibus. quandoq; per consensum ab aliquo membro particulari, vt à ventriculo, à matrice, à septo transuerso, à uesica, à cisti fellis. ut plurimum tamen fit per consensum à matrice, & à uentriculo: vnde Galenus inquit: sæpe etiam in uentriculo uitiosis superfluitatibus aceruatis ad cerebrum fertur exhalatio uaporosa. Eleuantur uapores, & ascendunt per uenas, per arterias, & per neruos: & quandoq; per uias amplas, sicuti per tracheam arteriam, & per oesophagum: & hi uapores tenebrosi, crassioresque existentes, causant scotomiam: tenuiores uero uertiginem.

3. Aph. 31.

Causa coniuncta sunt idemmet humores, & uapores, actu ipsam uertiginem, & scotomiam fouentes.

Signa.

Signa uertiginis, & scotomiæ generaliter sunt: quia æger imaginatur omnia ante se circulariter uerti: & eius oculi tenebris obducuntur, & uix continetur quin cadat: hæc autem, pariterque signa à causis primitiuis ex relatu ipsius scire poteris.

3. De loc. aff. cap. 8.

Signa uertiginis cerebro primogenio affectu laborante, sunt (ut Gale. scribit) quia aurium sonos, capitis dolores, grauitatesque præcedere uidebis: item olfactus, uel alterius alicuius sensus, inde prodeuntis oblæsionem: & affectus perseuerabit.

Signa per consensum ab ore uentriculi sunt, quia æger præsentit cordis morsum, dolorem, tremorem, nauseamque: item eius temperies ut plurimum erit biliosa: & fortasse ira accensus: uel inedia exiccatus: uel labore agitatus fuit. Item

affectus ab assumpto cibo quandoque recedit, & quandoque superuenit, non tamen perseuerat.

Signa per consensum à matrice sunt, quia ægritudines matricis præcessere, vt præfocatio, aut Apostema in ipsa, aut retentio mensium, aut spermatis. Idem dicendum est de signis per consensum ab hepate, à cisti fellis, à vesica vel à quouis alio membro, nam ægritudines membri consentientis præcedentes, signa dabunt.

Signa vertiginis à sanguine sunt, rubedo faciei, venarum extuberatio, frequens pulsatio circa tempora, pandiculationes, somnus, pigritia, dolor pulsatiuus, imaginationes rubeę, vrina rubea, & spissa.

Signa à bile sunt Color flauus, obiecta uisa Citrina apparent, uigiliæ infestant, nausea pręcedere solet, & in ore amaror persentitur: vrina tenuis, & subflaua.

Signa à pituita sunt, color faciei albus, vel pallidus, capitis grauitas, timor, sensuum stupiditas, somnus longus, & profundus, & sputaminum multitudo: & in ore quandoque insipiditas, quandoque salsedo persentitur: vrina alba, & incon cocta: & vertigo magis durat.

Signa vertiginis à melancholia sunt color faciei obscurus, pilorum nigredo, malæ cogitationes, imaginationes rerum nigrarum, timor, eructuationes acidæ, vrina tenuis, & pellucida.

Signa vertiginis à mala temperie pura sine materia sunt, quia antecessit frigus, vel calor, vel alia causa primitiua, per quam statim vertigo, & scotomia insecuta est.

Prognostica.

Vertigo, & scotomia magis hyeme, quàm aliis temporibus infestare solet.

Scotomia ferè semper Epilepsiam, vel Apoplexiam futuram denunciat: In senibus, & decrepitis magis periculosa. Vertigo, seu scotomia eueniens per consensum, alicuius membri stupore affecti, est præludium Epilepsiæ, vel Apoplexiæ.

Gal. 3. Aph. 17.

Dolor capitis uertigini, vel scotomiæ superueniens soluit ipsam, nam vapor, qui erat in ventriculis, cerebri, cum

prius esset in motu, & vertiginem causaret, nunc autem expulsus ad menyngas, ibique infixus, non amplius vertiginem, sed dolorem facit.

Curæ.

Quicunque à vertigine, & scotomia liberari studet, in primis fugiat Aerem crassum, humidum, nebulosum, & nocturnum: Caueat à uentris, & præsertim australibus: Aer sit purus, & temperatus: sub radiis lunæ, uel solis moram ducere non debet: neque aspicere nubes per Aerem currentes, aut flumina impetuosè labentia, neque rotas, aut trochos, neque imaginari res circulariter motas. fugiat aspectum uoraginum, & profunditatum. Cacumina montium, turrium, nauium non ascendat. Timpani strepitum, tubarum clangorem, tormenti bellici bombos non audiat.

Vtatur cibis boni succi, facilis coctionis, & nequaquam flatuosis: fugiat ciborum varietatem, & nauseatiuam satietatem: surgat à mensa potius famelicus, quam satur. panis sit ex optima farina, benè fermentatus, & probè coctus. Conueniunt carnes hædinæ, veruecis, vituli lactantis, pullorum, gallinarum, caponum, palumborum, turdorum, phasianorum, perdicum, & auium in montibus degentium. Item oua recentia sorbilia: panis in iure madefactus, vel bullitus: hordeum decorticatum, far, ius ciceris. Inter herbas eligat rutam, anisum, mentham, origanum, fœniculum, borraginem, buglossum, abrotanum, amaracum, saluiam, asparagum, thymum, rosmarinum, serpyllum, & rapa, præsertim sub cinere cocta. ex fructibus amygdalas saccharo incrustatas, pyra cocta, mala cotonea, pineos nucleos, ficus recentes, & siccas: vuas pensiles, & passulas: pruna damascena, & oliuas salitas: fugiat Cæteros fructus horarios, & putredini obnoxios, & fructus flatuosos, uaporososque. hyemali tempore condiat sua fercula caryophyllis, cinnamomo, & galanga: pro intinctu vtatur amygdalis contusis, & serpyllo, cinnamomo, succo mali medici, aut succo vuæ omphacinæ admistis: uel sapa, uel sinapio, mostarda dicto. In acetariis utatur intybo cocto, & oximelite condito: aut capparibus cum passulis: aut

Caryotis.

Caryotis. Caueat à carne bouina, porcina, leporina, anatina, Anserina, à sanguine animalium, à lacte, à caseo: ab omnibus fungis, ab omnibus piscibus, & ab omnibus edulijs in sartagine apparatis: à frumento in aqua cocto, ab oryza, à lente, à milio, à laganis: fugiat lactucam, caules, apium, petroselinum, betam, allium, cepam, & omnia acria euaporantia.

Potus sit aqua mulsa: uel uinum tenue, album, pauciferum, & modicè sumptum: uinum meracum, & uaporosum omnino interdicatur.

Exercitio utendum miti, & ante cibum, & depositis prius (si possibile est) alui excrementis: uicem exercitij supplebunt quandoque frictiones: quæ à supremis partibus cœptæ ad infima desinent. fugiat artes in quibus exercendis necesse est, demissos habere oculos, ut est ars scribendi, & suendi. caput non multum calidum teneatur, neque abluatur, nisi post uniuersalem purgationem, & nullo infestante catarrho. Somnus sit mediocris, non immediatè post cibum, sed ab assumpto cibo saltem post duas horas. uiteturque diurnus, ac in loco multum calido factus.

Ventris superfluitates nitendum est ut singulis diebus excernantur: quòd si natura in hoc auara fuerit, clysteribus, uel glandibus erit excitanda.

A uenere penitus abstineat, nisi uertigo, & scotomia fuerit à mensibus suppressis, uel à spermate diu retento, nam tunc per interualla admittitur.

Ab Animi perturbationibus desistendum, præsertim ab ira, tristitia, timore: pariter à contentionibus, à clamore, & à Cantu.

His ita institutis: reliqua cura duplex est: una quæ adhibetur tempore paroxismi: alia autem tempore quietis. In ipso itaque paroxismo moueatur patiens: fricentur extremitates: abluantur crura, & pedes, postea sale, & aceto fricentur: facies uino aspergatur: oculi madefiant saliua ex foeniculo masticato: offaciat Euphorbium, Melanthium, castoreum, & moschum. glandes indantur ex melle, speciebus hyeræ, sale gemmeo, agarico, & centaureo confectæ: uel clysteria ex decocto utriusque centaurij, maluarum, mercurialis, uiolarum,

chamæmeli, adiiciendo hyeræ ℥. 5. mellis rof. ℥. 2. olei ane thini. ℥. 3.

Marcellus in fuo de medic. lib. cap. 3. fcribit, quòd uertiginem cito emendabis fi betæ nigræ fucco tempora perlinas: infuper efficacisfimum remedium effe, fi abrotanum tritum in uini potione tepidum bibatur: uel cum oximelite non acri accipiatur.

Tempore autem quietis, fi uertigo fuerit à caufa primitiua, poft caufæ remotionem, tota intentio curatiua uertitur ad alterandam intemperiem impreffam, & ad roborandum cerebrum cum rebus odoratis.

Pariter fi uertigo, uel fcotomia fuerit per propriam effentiam uaporibus in cerebro eleuatis, intentio erit ad refoluendum uapores in capite exiftentes cum frictionibus, pectinationibus, embrocis, epithematibus, unctionibus, aliisq; medicinis refoluentibus, tam interius, quam exterius applicitis, ut cum theriaca, Mithridatio, Diamofcho, Diambra, Diacimynu, coriandro, Anifo, & cum huiufmodi aliis, quibus cortices citri, nux mofchata, & amaracus addi poffunt. Exterius cum facculis ex fale, & milio in fartagine torrefactis cum uino, & pauco aceti.

In hac intentione laudatur etiam cauterium in parte pofteriori capitis, fuper utranque eminentiam.

Si uertigo fuerit cũ materia ultra debitã uictus inftitutionẽ quatuor emergũt intẽtiones curatiuæ. prima euacuat. fecũda diuertit. tertia repcutit, & refoluit, quarta corroborat. ꝑ prima intẽtione perficiẽda, fi uires cõfenferint, nihilq; aduer fetur, & materia fanguis, uel cũ fãguine educibilis fuerit, fiue in principio morbi, fiue in progreffu, uenam fecabis, faphenã primum, uel bafilicam, uel cõmunem: deinde cephalicam: & quoniam ægri ex qualibet occafione concidunt: fanguis (ut Aetio placuit) non aceruatim euacuandus eft, fed interpofitis uicibus, & per interualla: dummodo congrua expleatur quantitas. Veruntamen fi fanguis in capite folummodo redundauerit, fatis eft phlebotomare Cephalicam, & fortaffe uenam frontis, aut uenam poft aures, aut nafi, aut his partibus hirudines affigere: præfupponendo femper quòd uentris

tris lenitio, & fœcum à locis communibus eductio præcesse-rit. huiusmodi phlebotomia omnibus ferè uertiginis, & scotomiæ speciebus confert: nam partim diuertit, partim materiam coniunctam à capite eradicat. Si uero aliquid sanguinis extractionem prohibuerit: primum acri clystere aluus eluenda, mox purgante medicamento subducenda, humori infestanti congruo: ut si bilis peccauerit, præparabitur cum syrupo endiuiæ, rosarum, uiolaceo, uel nymphæ: & educetur cum Elect. de succo rosarum, cum diapruno, cum mirobalanis citrinis, cum Rhabar, & cum medicinis, quæ supra in cura doloris capitis à bile proposita sunt: interim (si expediens uidebitur) ut pote quia materia sursum repit, uomitum quandoq; prouocabis.

At si crassus succus, pituita scilicet redundarit (frequentius enim ab hoc humore, quàm ab alijs uertigo, & scotomia conflari solet) post debitam præparationem cum syrupo de calamintha, oximel comp. syrupo de stæchade: cum decocto radicum Ireos, hypericonis, saluiæ, & similibus per octo dies exhibitis: euacuabitur infrascriptis pilulis, Recipe pilularum fœtidarum, de sarcocola, cochiarum ana ℈. 1. fiant pilulæ num. v. post quarum assumptionem pannis calidis uentrem foueat, ut melius actuari possint. hinc, interposita quiete duorum, aut trium dierum, iterum purgari poterit cum hyralogodione, uel aliis hyeris magnis. per acta debita purgatione, iturus dormitum per duas horas à cœna, singulo quoque tertio die accipiat ʒ. 5. Aureę Alexand. cum ʒ. 1. decocti saluiæ: & tempore nocturno habeat super commissuram coronalem ʒ. 1. infrascripti pulueris, Recipe ligni aloes ʒ. 1. s. macis ʒ. 2. origani, Calaminthæ, spicæ ana ℈. 1. rosarum rub. corralliorum, sanatalorum rub. puluerizētur omnia per se, & misceantur, quòd si affectus contumax, & rebellis perseuerauerit, ad decoctum ligni guaiaci confugies: in quo: si à pituita uertigo, & scotomia originem duxerint: maximum inuenies auxilium.

Si autem uertigo, uel scotomia fuerit a materia melancholica, digeratur talis materia cum syrupo borraginis, de fumoterrę, de epithymo, de pomis: & educatur cum catapotiis

de lapide lazuli, uel Elect. hamech; uel Recipe senæ, epithymi, polypodij ana ℥. 1. Corticum mirobalanorum indorum ℥. 2. in aqua lupulorum fiat decoctum, in quo dissolue sacchari borraginati ℥. 5. syrupi infusionis uiolarum ℥. 1. misce, & exhibe.

Pro secunda intentione fiant diuersiones cum clysteriis, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis occipitio adhibitis, apophlegmatismis pituitam à capite per os elicientibus, gargarismis insuper utatur ex pulegij, & origani decocto cum oximel. naribus aqua hordei suscipiatur cum anagallidis succo, aut radicis betæ, aut cyclamini. Balneum denique ingrediatur, in eoque totus usq; ad collum immergatur, maximæ enim per balneum à capite fiunt diuersiones, & maximum assequetur commodum, præsertim si à bile, & à melancholia affectus causatus fuerit. Quòd si morbus adhuc perseuerat, & sit ex uaporibus calidioribus per arterias sursum eleuatis, arteriæ ipsæ iuxta tempora sitæ, supra aures sunt incidendæ, & hoc est præceptum Galeni, item Pauli, & Aetij, modum incisionis, Paulus te docebit. uerum quoniam (ut dicebat Galenus) non omnes huius auxilij beneficio curati sunt, cum propterea quòd per altiores arterias, quę ad cerebrum, ex ipsius basi per retiformem plexum ascenduut, uaporosus, calidusq; spiritus interim elabitur, ac cerebrum implet: tum etiam quòd spiritus flatuosus potest ex inæquali intemperie oriri: & ideo si affectus altero prædictorum modorum excitetur, nullam utilitatem ex arteriarum sectione ægri suscipient: Quapropter, antequam incidantur, summopere tibi laborandum est, ut perfectè cognoscas quando huic remedio sit locus.

3. de loc. aff.

lib. 6. cap. 5.

Pro tertia intentione adhibeantur extra, quæ infrigidant, & repercutiunt ex aceto, & oleo rosaceo. In processu aliqualiter resoluentia admisceri debent, ut est oleum chamęmelinum: in declinatione meris resoluentibus res agetur: & uertigine, uel scotomia existente cum febre, nisi sit per uiam crisis, abraso prius capite, catulus per medium scissus adhuc palpitans superponatur: aut gallus, aut gallina, aut pullus.

Pro quarta intentione corroborabis cerebrum imponendo ad intra aures, & nares quę sint boni odoris, & caput cale-

facere

facere possint: & masticando Acorum, nam à proprietate in hoc morbo iuuat. Item odorando sæpius huiusmodi puluerem Recipe ambræ ℈. 1. moschi, g. 2. macis, ℈. 5. cardamomi minoris, ligni aloes, peoniæ, amaraci ana. ʒ. 1. rosarum rub. ʒ. 2. misce, & fiat puluis tenuissimus, & in sindone consutus sæpe odoretur: multum enim cerebri substantiam confortat, materias consumendo, vapores melancholicos, pituitososque discutiendo, & obstructiones aperiendo.

Si vertigo fuerit propter uirium imbecillitatem, & spirituum resolutionem, curabitur iisdem remediis, quibus ipsi conualescentes curari solent: id est cibo laudabili, bonis odoribus, quiete, lætitia, & somno.

Quòd si vertigo, vel scotomia fuerit per consensum à ventriculo propter multitudinem cibi ingesti, vel propter corruptionem, vel propter acredinem humoris in eo contenti, vomitu curari poterit ex anethi, & raphani decocto, in quo syrupus acetosus, aut oximel permisceatur, tepidumque à cibo per duas, uel saltem per unam horam exhibeatur: post cuius assumptionem æger vomitum sibi prouocabit vel digito in ore intromisso, vel penna in oleo intincta: deinde, vno die interposito, catapotiis cochiis (si virtus valida fuerit) purgabitur: vel cum ʒ. 5. hyeræ compositæ Gale. scire tamen debes quòd medicinę exoluentes conueniunt ubi non solum in stomacho, sed in partibus circunstantibus huiusmodi fuerit materiæ repletio: nam si solum in stomacho est vitium, sufficient pilulæ aloephanginæ, aut mastichinæ, aut decoctum myrobalanorum citrinorum, vel chepulorum cum manna calabrensi, aut syrupo ex pluribus infusionibus ros. rub. vel aliquid simile pro ratione diuersitatis uitiosi humoris redundantis. Et abstinebit (inquit Rasis) à cibis frigidis, per quos pituita multiplicatur. pro ventriculi corroboratione vtatur extrinsecè fomētis ex absinthio, mentha, & rosis: item ceratis, & inunctionibus: intrinsecè autem huiusmodi Elect. nam coctionem adiuuat, vapores, & flatuositates discutit. Recipe specierum plirisarcoticon, diagalan. Diacinnamomi, dianisi, specierum rosatæ nouellæ ana partes æquales sacchari q. 5. confice secundum artem.

Vertigo, seu scotomia per consensum à Matrice, vel ab aliis membris, curatur per curationem matricis, vel aliorum membrorum.

Pro remouenda visus obtenebratione vtatur tali aqua guttatim in oculo suppino alternis diebus instllata. Recipe succi amaraci, rosarum, verbenæ ana ℥.1. succi fœniculi ℥.2. ligni aloes ℥.2. fellis piscis lutij fluiatilis ʒ.1. conterantur omnia in mortario ęneo saltem decies in una die, & à sedimento facto excoletur diligenter, & in ampulla vitrea radiis solaribus diu exponatur, ad vsumque seruetur.

περὶ ἐφιάλτου.

De incubo. *Cap.* XIII.

INCVBVS latinè, ἐφιάλτης græcè ἀπὸ τῦ ἐφιαλλεσθαι quod inuadere, & præmere significat: à Themisone (ut Paulus refert) πνιγαλίων, uel πνιγαμων: Arabicè almeidalan, seu albeidalan, seu algiathum dicitur. Auic. strangulatorem. Auer. Alchabum uocauit. Nonnulli vulgares dęmonem folettum: nonnulli mazapedum, id est puerorum interfectorem: nonnulli grauedinem appellant. Plinius modo suppressiones, modo noctis ludibria, modo faunorum in quiete ludibria nominauit. Est autem Incubus ægritudo quædam, in qua homo sentit cum somnum ingreditur phantasma graue super se ipsum cadens, & comprimens, & angustiatur spiritus eius, & vox intercipitur, & motus, & se præfocari putat, & cum ab eo separatur, statim excitatur. vel Incubus est ægritudo quædam, in qua homo cum dormit, aggrauari, & præmi, seq; omnibus motibus priuari sentit à re, quam abiicere non potest. Virg. 12. Aeneidos his uersibus Incubum perbellè descripsit

3. collig. c. ul.

lib. 25. cap. 4. Auic. 1. tertij c. 5. tract. v.

Ac veluti in somnis oculos ubi languida præssit
Nocte quies: nequicquam auidos extendere cursus

Velle

Velle videmur:& in mediis conatibus ægri
Succidimus:non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba ſequuntur.

Multi vulgares, & præſertim ſuperſtitioſæ mulieres arbitrantur Dæmonem nocte ambulantem dormientes inuadere, & opprimere ita ut moueri non posſint, qui poſt quam cognoſcit ipſos bono animo auxilium Ieſu Chriſti inuocare: vel ſigno crucis ſe munire velle, ſtatim recedit: & ipſi excitantur, vireſque recuperant ſuas. Auguſtinus. 15. de ciuitate dei: & S. Thomas in prima parte ſuæ Theologiæ ſcribit Dęmones reperiri, qui dicuntur Incubi, & Succubi: imo vnus, & idē, modo eſt Incubus, modo Succubus: aſſumit enim corpus ex aere condenſato, & formam alicuius mulieris (aer enim fit coloratus per multam condenſationem ſicut aqua per con gelationem) & cum tali forma ſe ſe offert in ſomnis alicui viro aſſueto habere rem cum illa muliere, cuius formam Dæmon aſſumpſit: vnde vir credens ſe muliere amata, & exoptata potiri, emittit ſperma, quod à Dęmone ſuſcipitur, & conſeruatur: qui Dæmon poſtea fit incubus, & ſperma ſuſceptum eiaculat in uuluam illius mulieris, cui in ſomnis apparet ſub forma viri ab ea amati: vnde talis mulier aliquando grauida fieri poteſt, non à Dæmone (quoniam Dæmon ſperma non habet) ſed à ſpermate uiri, ope tamen Dæmonis in aruum genitale intromiſſo.

Merlinus Britanicus Necromantiæ artis maximus profeſſor hoc modo fortaſſe genitus, falsò Dæmonis filius dicebatur, cum potius à uiri ſpermate opera dæmonis procreatus di ci deberet. hoc modo Gigantes, qui filij terræ credebantur, genitos fuiſſe nonnulli affirmant.

Auerroes ſcribit, mirum nequaquam uideri, quòd mulier, abſque concubitu, abſque uiri confricatione grauida fiat, dummodo ſperma uirile eius uulua aliquo modo attrahere poſſit, nam habet propriam uirtutem cum eo à tota ſpecie: & ad hoc probandum narat hiſtoriam cuiuſdam mulieris ſuæ uicinę, quæ ingreſſa Balneum, in quo mali homines ſperma emiſſerant, grauida euaſit: eius enim uulua, ueluti magnes attrahit ferrum, illud ſperma ſtatim arripuit: ob hoc igitur non

2. collig. c. 10

eſt

est dicendum, quòd filius inde natus, esset filius Balnei, nam uerè erat filius uiri, à cuius spermate in Balneo ortum duxit. Sed hæc incidenter diximus de Dæmone Incubo, & Succubo: deque muliere absque uiri concubitu grauida facta: quæ cum sensibus minus exposita sint, uera esse, uel falsa affirmare non possum. Agam igitur de Incubo ægritudine, non de Incubo Dæmone, ad quem expellendum nulla habeo remedia nisi rectam fidem, & Christiana opera.

Incubus itaque noster non erit Dæmon: sed magis præludium, uel præcursor morbi comitialis, aut insaniæ, aut Apoplexiæ. erit itaque symptoma in genere noxæ functionum animalium ferè omnium, nam imaginatio in eo deprauata, sensus torpidus, motus difficilis, imo (vt dixit Aetius) quamdiu durat affectus, immobiles ægri permanent. Sequitur hoc symptoma morbum, id est obstructionem viarum spiritus sensibilis, & motiui. Consideratur etiam vt morbus, quia sensibiliter lædit operationes, & est morbus in via, id est obstructio pororum, & meatuum cerebri, propter quàm liber transitus spiritibus animalibus denegatur.

Dubitant nonnulli an Incubus possit fieri in homine uigilante? Dicit Gentilis quòd propriè non fit in vigilia: nam stante aliqua quantitate vaporis crassi potest in somno induci aliquod phantasma terribile: quod in vigilia induci non potest: paruæ enim phantasiæ dormientibus apparent magnæ: quæ vigilantibus magnæ non videntur, vt apud Arist. de somno, & vigilia scriptum est, quòd si in vigilia fieret, profectò magna præcederet causa: nam tantus esset vapor, quòd per calorem uigiliarum discuti minime potest: & potius species Epilepsiæ, vel Apoplexiæ uocari deberet, quam Incubus.

Accidit autem ut supinè dormientes hanc incurrant ægritudinem, quia materia obstruens ad posteriora declinat: vnde motus, qui ab illa parte originem ducit intercipitur (non enim ibi sunt uiæ expurgandi sicut in sincipite) & ob affinitatem ipse pariter sensus aliquo modo læditur: quapropter Auic. dicit quòd supinè dormire disponit hominem ad malas ægritudines, ut ad Apoplexiam, phrenitidem, & Incubum.

Lib. 1. fen. 3. ca. de somno.

Incubus accidit iis, qui ob multam ciborum ingluuiem assiduis

&duis laborant cruditatibus: qui sæpe inebriantur, uel nimio potu vini vtuntur: qui supinè dormiunt, & consueta intermittunt exercitia. Item Incubus accidit frequentius pueris, quàm adultis, sed in adultis est magis timendus, & adhuc magis in ipsis infantibus, in quibus calor nimio humido facilè suffocari potest.

Differt Incubus ab Epilepsia duobus modis primò quia motus magis amittitur in Incubo, in Epilepsia verò sensus: & materia causans Epilepsiam est magis venenosa, & mala, ideo inducit dolorem in fronte: materia causans Incubum est in maiori crassitie, & multitudine. secundò quia materia Epilepsiæ magis obstruit partem anteriorem cerebri: materia autem Incubi magis obstruit partem posteriorem.

Causa.

Causa duplex est, alia extrinseca, alia intrinseca; causa extrinseca, seu primitiua est frigiditas occursans parti posteriori capitis, & comprimens cerebrum: ob quam compressionem prohibetur spirituum descensus ad inferiora: vt patet in iis, qui sunt in loco frigido. pariter inter causas primitiuas connumeratur somnus statim à nimia Ciborum, & potus repletione: tunc enim ascendunt vapores crassi ad cerebrum, vnde spiritus animales non possunt descendere, neque præstare facultatem motiuam membris inferioribus.

Causa intrinseca alia antecedens, alia coniuncta; causa antecedens sunt humores sanguinei, vel pituitosi, vel biliosi, vel melancholici, vel misti dominantes in cerebro, vel in aliis corporis partibus.

Causa coniuncta sunt vapores crassi ab iisdem humoribus eleuati, vel à cibo, vel à potu obstruentes vias spirituum.

Signa.

Rasis inquit cum quis in somno quasi graue aliquid super se cadere senserit, Incubum pati nunciandus est. quæ signa ex relatu ipsius ægri fient manifesta, nam (vt scribit Aetius, & Paulus) comitabitur eo detentum motus interceptus, torpidus in somno sensus, suffocationis imaginatio, & veluti ingruentis alicuius detentio: ad hæc vox supprimitur, aut incerta, indiscretaque editur, nonnulli vero etiam audire eum, qui

super ipsos inciderit, ac venerem exigere imaginantur, sed contactis eos digitis fugere.

Prognostica.

Incubus à causa intrinseca est antecessor vel Epilepsiæ, vel Apoplexiæ, vel conuulsionis, vel insaniæ, aut subitaneæ mortis.

Sudor frigidus, & pauor, aut cordis tremor post Incubum superueniens malum.

Qui post Incubi accessionem ad se non reuertuntur, sed corpore tremunt, sudor frigidus à stomacho, vel à capite ema nat, morti adhærent.

Cura.

Incubum patiens degat in aere lucido, ad calidum, & siccum vergente, procul à terris, & malis odoribus: vitabit aerem nebulosum humidum, vaporosum, & ventis expositum. Sub radiis solis, vel lunæ, neque apud ignem morari debet. Cibi sint tenues, non flatuosi, neque vaporosi, sed concoctu faciles, modici alimenti: quibus admista sint: quæ extenuandi vim habent ut hyssopus, serpyllum, satureia, Amaracus. Cœna per multos dies sit nulla, vel saltem parcissima. In fine mensæ vta tur bellariis astringentibus, vt pyris, cotoneis, diacitonite composito descriptione Nicolai. à rebus dulcibus, multumque sanguinem generantibus, item à vino (si possibile est) abstineat: vel saltem illud sit album, aquosum, subastringens, & moderatè sumptum. Exercitio vtendum, & membra inferiora sunt fricanda, vt calor ad exteriora reuocetur, & pori aperiantur, vaporesque inclusi diffundantur. à somno diurno, ac statim à cibo cauendum est. vt venus per interualla iuuabit: sic & continua animi tranquillitas, atque securitas. Cæterum in ipsa accessione habeat socium, à quo statim concuti, & excitari possit, & aqua ros. aspergi: & existente Incubo à nimia ventriculi repletione prouocabit vomitum, & Diambram, vel aromaticum rosatum, uel quid simile à uomitu exhibebit.

Quòd si adfuerit sanguinis redundantia, ex saphena æger phlebotomari debet: postea (si expediens uidebitur) ex com muni, uel ex cephalica: & cucurbitulæ super tibiarum carnositatem

ſitatem ſunt affigendæ: uerum ſi ætas, uel quid aliud phleboto miam prohibuerit, cucurbitulæ uel hirudines locis appoſitæ conuenientibus eius uicem ſubire debent. Si uero uitioſi humores dominium habuerint, ad purgantia medicamenta con fugies, prius tamen exhibitis ſyrupis attenuantibus pro ipſorum humorum præparatione: quibus præparatis, ſi pituita fuerit, qui redundat humor, uenter multoties pilulis cochiis erit ſoluendus, vel hyera picra cum agarico: uel, ſi melancholicus redundat humor, hyera picra cum epithymo, & ſena: aut pilulis de lapide lazuli erit educendus. poſt purgationem uentriculum, & caput corroborabis extrinſecè cum oleis, & inunctionibus, vt cum oleo rutaceo, coſtino, & laurino: intrinſecè autem cum Elect. Cordialibus, ut cum diamoſcho, Elect. de gemmis, diantho, & ſimilibus, ad quam intentionem laudatur theriaca exhibita bis in hebdomada cum aqua poeniæ. Item ex Pauli, & Aetij ſententia laudatur niger peoniæ fructus: ſi quindecim eius grana trita cum aqua in potu ſingulis diebus exhibeantur quò ad æger ſanetur. Denique cauterium adhiberi debet, ut infra de Epilepſia dicemus.

περὶ ἐπιληψίας.

De Epilepſia. Cap. XIIII.

Ἐπιληψία ſuperioris partis comprehenſio interpretatur: morbum comitialem latinè appellant: eo quòd laborantes in comitiis romanis, quæ Calendis Ianuarij in campo Martio pro creandis magiſtratibus fiebant, mani feſtabantur: & ipſa comitia interrumpebantur quo die aliquis concidiſſet. dicitur & morbus Lunaticus, quia ſecundum lunæ uarios aſpectus plurimos inuadit, unde Galenus inquit illa Epilepſia, quæ creſcente luna uenit, ſui materiam ſignificat eſſe humidisſimam: omne enim humidum creſcente luna habet incrementum, quæ autem uenit de ficiente luna frigidisſima quidem eſt, ſed tamen parum humi da. dicitur pręterea ἱερὸς νόσος id eſt morbus ſacer nam in par-

te sacra scilicet in capite fit. à quibusdam diuinatio appellatur, quia in tali morbo ob fortem obstructionem omnes sensus exteriores ita ligantur, ut ferè ab omnibus uacent operationibus, quare anima rationalis aliunde non impedita ad quādam simplicem essentiam reuertitur, quò fit ut quandoque Abscondita præcognoscat, & amoto paroxismo prædicet: cuius rei causam idiotæ ignorantes credunt hoc in Dæmonum uirtute fieri. Guaynerius scribit se quendam iuuenem biliosum cognouisse: qui in ipsa morbi accessione mira uidere dicebat, quę literis mandare maxime cupiebat, si fari potuisset. nonnulli ἡρακλειον νοσημα hoc est herculeum morbum uocant: quia est contumax, & rebellis ad expellendum ut Hercules: uel quia in prosternendis hominibus sit fortis ut Hercules: uel quia Hercules talem sit passus affectum. Hip. νοσον παιδικον id est puerilem, seu infantilem morbum nuncupauit, quia pueri ob multam humiditatem, qua redundant, & ob inordinatam uictus rationem, sæpissime tali morbo corripiuntur: unde ab Auic. mater puerorum dicitur. Ego autem Nouercam puerorum, quòd eos malè tractet, uocare soleo. Deniq; non desunt qui talem morbum comessalem uocent, quia comessationes, crapulæ, ebrietates sunt ipsius causæ.

3. de loc. aff. cap. 5. & 7.

Est autem Epilepsia (Galeno teste) conuulsio uniuersarum corporis partium non perpetua, sed quæ ex temporum accidit interuallis, cum mentis, & sensuum oblæsione. uel secundum Auic. Epilepsia est ægritudo prohibens membra animata ab operationibus sensus, & motus, & erectionis prohibitione non integra propter obstructionem contingentem: & est spasmus uniuersalis non tamen perpetuus accidens ex nocumento adueniente uentriculo anteriori cerebri, & medio, & posteriori per colligantiam (ut bene sentit Gal.)

Nunquid uero Cerebrum ut similaris, uel tanquàm pars, Instrumentalis afficiatur? clarum est quòd secundum uentres patitur, itaque ut instrumentalis erit affectum.

Vapor enim, seu flatus in cerebro genitus, vel aliunde adueniens, si secum aliquam habuerit venenosam qualitatem cerebrum, aut eius membranas vellicando percutit: quare sentiens nocumentum contrahitur, ad cuius contractionem nerui,

ui, qui ab eo ducunt originem pariter retrahuntur versus proprium principium, & sic fit spasmus:per quem insequitur obstructio in uiis spirituum:qui ad membra transire nequeuntes sunt in causa, quòd sensus, & motus in illis corrumpatur, & patiens cadat.

Differt Epilepsia ab emprosthotono, opisthotono, atque tetano: quoniam hæ tres affectiones sub diuersis figuris sunt perpetuæ, & permanentes conuulsiones: sed Epilepsia ex temporum interuallis accidit.

Insuper in uera conuulsione nullum fit principibus functionibus nocumentum. In Epilepsia autem non modo functiones principes, uerum, & sensibiles operationes suscipiunt detrimentum.

Differt Epilepsia ab Apoplexia: quoniam Epilepsia ut plurimum cito soluitur, & est cum paroxismis, & rarò terminatur ad paralysim. Apoplexia si sit fortis interficit: si debilis terminatur ad paralysim ferè semper.

Gal. de diff. & de causis sym.

Quæret fortasse aliquis an Epilepsia sit morbus, vel symptoma? Auic. enim dicit, quòd est ægritudo: At Galenus inter symptomata reposuit: insuper conuulsio est symptoma, nam est malus motus, sed Epilepsia est conuulsio ergo symptoma: dicimus quòd Epilepsia considerata vt obstructio, à pituita, uel ab humore adusto in uiis uentriculorum cerebri est morbus in uia, considerata ut intemperies frigida à pituita impressa est morbus. Considerata ut motus conuulsius est symptoma in genere noxæ functionum animalium: quæ cum in triplici sint differentia, in cunctis per affectum comitialem noxa existit: namque motrix facultas est deprauata, sensus ferè abolitus: ratio, & memoria diminuta, imo quasi abolita.

De symp. diff. cap. 3.

2. de symp. caus. c. 2.

Epilepsia diuiditur quia alia fit cum febre, quando scilicet est ab humore calido: alia sine febre, & tunc est ab humore frigido. Item Epilepsia alia est fortis, in qua maxima adest obstructio, & prohibitio transitus spiritus adeò quòd patientes nihil sentiant: alia debilis, in qua minor obstructio, & patientes aliquo pacto sentiunt. Item Epilepsia alia vera, & fit ab humoribus pituitosis: alia non uera, & fit ab aliis humoribus. Item Epilepsia aliquando seruat periodos ita ut quandoque

sequatur

sequatur motum solis, & adueniat semel in anno: quandoque sequatur motum lunę adueniens semel in mense ut in nouilunio, uel in plenilunio, vel luna deficiente. aliquando non seruat periodos, sed aduenit modo post duos menses, modo post tres, modo post quatuor: & peior est periodica. Item Epilepsia alia humoralis, alia uaporosa: & humoralis alia pituitosa, alia melancholica, alia biliosa, alia sanguinea. Item Epilepsia quandoque est per propriam essentiam in cerebro: quandoque per consensum ab aliis membris, ut à ventriculo ob corruptam cōcoctionem, uel nauseatiuam satietatem, uel fortem dolorem, uel intensissimam famem, uel ob humores frigidos, aut calidos in eo contentos, & ad caput euaporantes. ab hypochundriis, seu à septo transuerso malè affecto. ab hepate crassis, & malis humoribus referto. à splene. ab intestinis propter uermes, & materiam corruptam in illis contentam: à quibus eleuantur mali uapores ad cerebrum: unde sentiens nocumentum contrahitur, conuelliturque epileptica conuulsione. à renibus, à vesica. à matrice, & talem Epilepsiam Paulus scribit se in muliere prægnante uidisse: in qua post partum ægritudo cessauit. Item à testibus, & uasis spermaticis, quando in iis sperma collectum corrumpitur, infrigidaturq; & sibi induit naturā ueneni: cuius uapor ascendens cerebrum lædit, & Epilepsiam inducit. Item à bracchio. à Genu. à crure. à digitis pedum, & manuum.

Epilepsia deterior est quę fit per propriam essentiam, quàm quæ fit per consensum; & quæ fit ab humore melancholico, quàm quæ fit ab humore pituitoso: nam data paritate utriusq; humoris semper melancholia magis obstruit, & difficilius remouetur quàm pituita.

Aetas magis disposita ad Epilepsiam est puerilis, & præsertim ad Epilepsiam ab humore pituitoso, tum propter eorum humidam temperiem, & membrorum debilitatem: tum propter inordinatam uictus rationem: verum si hæc passio fuerit ob eorum malam temperiem humidam, adhuc infantes afficiuntur. Sin fuerit ob malum victus regimen, nō in principio, sed in ætatis progressu fiunt Epileptici. Aetas vero Iuuenilis, & virilis est magis disposita ad Epilepsiam ab humore melancholico,

cholico, bilioſo, & ſanguineo. Aetas ſenilis & decrepita minime omnium ad Epilepſiam diſpoſitam. nec obſtat dictum Auerrois, videlicet quòd patientes hanc ęgritudinem ſunt frigidi, & humidi, ut pueri, vel frigidi, & ſicci vt ſenes. neque valet dicere vbi eſt materia craſſa, ibi maximè fit Epilepſia, ſed in ſenibus eſt materia craſſa. Item in quibus fit Apoplexia in iiſdem Epilepſia fieri deberet, quia Epilepſia eſt ferè parua Apoplexia, ſed in ſenibus ſæpe fit Apoplexia vt teſtatur Hip. ergo & cætera: nam oppoſitum ſentit Auic. vnde conciliando dicere poteris quòd Auer. non loquitur abſolute de omni Epilepſia, ſed de melancholica eueniente à quadrageſimo Anno vſque ad ſexageſimum: quę quamuis rarò eueniat, eſt tamen frequentior in primo ſenio conſtitutis, quàm in aliis ętatibus, vel dicendum quòd Auer. loquitur de Epilepſia facta à uaporibus malignis, quæ ſæpius fit in ſenibus, non de Epilepſia facta ab humoribus, & de Epilepſia pituitoſa eueniente in pueris: vel negandus Auerroes. Ad primam rationem dicas quòd ad efficiendam Epilepſiam non ſufficit copia, materiæ craſſæ, ſed requiritur etiam motor illius materiæ id eſt calor naturalis, qui ſenibus deficit. Ad ſecundam rationem eſt reſponſio, quòd ſimilitudo de Apoplexia ad Epilepſiam non eſt bona, nam Apoplexia poteſt fieri per viam ſimplicis exuberantiæ materiæ obſtruentis, & ſuffocantis, nec in ea expectantur interpollatæ acceſsiones, ſicut in Epilepſia: nam ſi eſt Apoplexia fortis ſtatim interficit.

3. collig cap. ultimo.

6. Aph. 17.

Ad Epilepſiam diſponuntur inordinatè comedentes, multumque bibentes: ſuper terram abſque lecto dormientes: ſub radiis ſolaribus, vel ſub aere frigido longam moram ducentes.

Tempora ad Epilepſiam magis diſponentia ſunt ver, & hyems: conſtitutio humida magis quàm ſicca: venti meridionales magis quam ſeptentrionales.

Quæritur nunquid conuulſio Epileptica ſit uel ex plenitudine, vel ex ſiccitate, vel ex contractione à natura fugiente aliquid nociuum (nam per Auic. ab his tribus fieri poteſt) Galenus conuulſionem morbi comitialis connumerat inter eas, quæ ex repletione neruoſarum, partium fiunt: quod for-

v. Aph. 70.

tasse verificatur quando morbus comitialis est per propriam essentiam in cerebro, non autem quando est per consensum siue ab ore ventriculi, siue ab aliis partibus: cum nulla repletio neruosarum partium tunc percipiatur: neque cerebri cauitates obstruantur. unde conuulsio in morbo comitiali per consensum non erit à plenitudine ut dictum est: pariter non erit à siccitate: quoniam quæ fit à siccitate fit per longum temporis spatium, sed hæc fit subitò, & confestim soluitur: præterea cerebrum est membrum humidum, & stante uita, non potest tantum exiccari, vt corrugatur, & contrahatur. Sed si aliquis instaret dicens quamlibet conuulsionem aut ex plenitudine fieri, aut ex inanitione, seu siccitate testimonio Hip. responsum uelim, illud ueritatem habere in his conuulsionibus, quæ per essentiam fiunt, & non in his, quæ per consensum, ut clarè docet Galenus, namque in his quidam similis motus cerebro euenit, qualis stomacho interdum à re quapiam molestato accidere solet: quippè cum à ciborum mole grauatur, aut ubi corruptis cibis morsu infestatur, tunc namque singultum effici conspicimus: sic etiam cerebrum idem pati existimandum erit, cum aliquid à parte primario affecta ad ipsum eleuatur, quod licet sit mole minima, facultate tamen maxime nocet: itaque conuulsio in Epilepsia per consensum fiet ex contractione à natura fugiente aliquid molestum.

6. Aph. 38.

v. Aph. 2.

Quæritur præterea num morbus comitialis hoc modo per consensum genitus: uel sut ille, qui primario affecto cerebro fit, ad morbum in uia, seu in cauitate reducatur? constat eum quoque ad morbum in uia, seu cauitate reduci: nam licet humor crassus in cerebri uentriculis meatum obstruens non comprehendatur, sicuti in morbo comitiali per essentiam genito: constringuntur tamen in hoc affectu spirituum uiæ, ac cerebri ventriculi quando videlicet ipsum cerebrum concutitur, ut à se expellat quodcunque fuerit id, quod contristat. Cauitates enim partium non modo læduntur, aut pereunt, quando obstruuntur, constipantur, coalescunt, aut in se, se resident: verum etiam dum constringuntur, vt sentit Galenus de morb. causis. Ad morbum igitur in via, semper hic affectus est reducendus.

Causa.

Causa Epilepsiæ per propriam essentiam in cerebro, alia primitiua, alia antecedens, alia coniuncta. Inter causas primitiuas connumeratur casus, percussio in capite, morsus animalis venenosi, haustus pharmaci venefici, aut eius applicatio. Aer nimis frigidus coarctans, & humidus replens cerebrum. Item aer nimis calidus siue à sole, siue ab igne dissoluens humores, & attrahens vapores ad caput: ipsiusque aeris mala qualitas pestilentialis: item venti boreales adstringentes, & prohibentes debitam transpirationem, ventique australes caput replentes. item aspicere res altas, & profundas vt barathra, voragines, aspicere nimis lucida, & circulariter mota, vt solem: Audire strepitus repentinos, vt bombardæ, tonitruum, olfacere nimis fœtida, & quandoque multum odorata, dissoluunt enim, & mouent humores in capite.

Item cibi vaporosum, & crassum sanguinem procreantes, vt fabæ, lentes, caro porcina pinguis, bubula, leporina, Anguillæ, tenchæ, fercula ex pasta infermentata elixa, vt laganum, caseus antiquus, caules, lactuca, allia, cepæ, lac super alia cibaria assumptum, corrumpitur enim, & caput replet, omnia dulcia, & facile corruptibilia, vt fructus horarij. Satietas nauseatiua. cruditates multiplicatæ. fames, longaque Ieiunia. Vinum nigrum crassum, fœculentum, nouum: pariter vinum antiquum, minimè lymphatum, vaporosum (caput enim ferire solet) item multa exercitatio, & motus post repletionem. longa mora in balneo præsertim aquæ dulcis. multa effusio aquæ calidæ super caput. nimia quies, & otium. retentio excretionum consuetarum. Venus immoderata, & ab assumpto cibo, & eius vsus interdictus. Item pasiones animi, vt ira, timor, mœstitia.

Causa antecedens est malus humor in capite, vel in toto corpore, vel in aliquo membro cum capite consensum habente aggregatus: qui humor, vel est sanguis, vel pituita, vel melancholia, rarò autem bilis. Item mala temperies capitis, vel totius, vel alicuius membri communicantis. Item debilitas ipsius cerebri. nam vt scribit Hip. cerebrum Epileptici natura- (6. Epidem.)

liter debile esse solet: licet non sequatur quòd omnis habens cerebrum debile sit epilepticus.

Inter causas antecedentes connumeratur nimia laxitas viarum, per quas cerebrum superflua recipit: & nimia astrictio meatuum per quos à superfluitatibus expurgatur.

Causa coniuncta est humor, aut vapor, aut flatuositas replens sua quantitate cerebri ventriculos, non tamen integre. aut sua mala qualitate cerebrum lædens irritansque ad expulsionem. quę causæ scilicet antecedens, & coniuncta quandoque à primitiuis excitantur.

Signa.

Signa morbi comitialis futuri sunt vertigo, Incubus; insolita obliuio; anhelitus mutatus: insomnia turbulenta, & timoris plena; Capitis grauitas; coloris in facie mutatio; impedimentum in sermone: inuoluntaria spermatis emissio, nocturnaque pollutio: linguæ flauities, viriditas venarum, quæ sub ea apparent, & hoc ob humiditatem venenosam, & malæ qualitatis.

9. Ad alman.

Signa morbi comitialis præsentis sunt (inquit Rasis) quia patiens cadit in terram, & torquetur, & commouetur, & sensum amittit: nonnulli dentibus strident, inuoluntariè stercus, & vrinam emittunt: ab ore nonnullorum humiditas spumosa, seu saliua spumosa emanat: quæ spuma cum tripliciter generari possit, scilicet ex motu vehementi vt in mari accidit, ex intensa caliditate in humido agente, vt in lebete ebulliente videre est: ex motu, & caliditate, vt in equis currentibus. Scribit Gale. quòd in corporibus animalium, quando adsunt ex morbo Comitiali conuulsiones, vehementia motuum solet spumam generare. In apoplecticis, & in iis, qui strangulantur fit spuma propter anhelitus uiolentiam, conantur enim attrahere aerem, quia suffocantur, vnde calor in spiritalibus intenditur, & dissoluit humiditates pulmonis, & facit spumam: itaque in spuma apoplecticorum, & strangulatorum ad est aliquid de substantia humida pulmonis dissoluta à forti calore in coarctatione, seu violentia anhelitus: secus est autem in spuma epilepticorum, nisi epilepsia esset tam sæua, vt perduceret ad mortem.

2. aph. 43.

Signa præcedentia Epilepſiam primogenio affecto cerebro ſunt grauitas capitis, dolor, viſus obſcuritas, ſenſuum aliorum læſio, vt auditus, & odoratus: item corrumpitur virtus diſcurſiua: & patiens non ſentit nocumentum in aliis membris, neque vaporum eleuationem.

Signa Epilepſię per conſenſum à ventriculo ſunt quia affectus excitatur poſt multas epulas, & præſertim varias, craſſas obſtruentes, & poſt ebrietatem: vel in corporibus bilioſis poſt longam inediam, vnde in iſtis præcedit cordis tremor, roſio, inſolita quædam paſſio, Anxietas, nauſea, & ventriculi ſubuerſio: aliquando præcedit obſcuritas in viſu: aliquando fortiter clamant priuſquam cadant: quandoque non cadunt, ſed deficiunt, triſtantur, & ſaliua ab illorum ore ſuperfluit. huiuſmodi Epilepſiam per conſenſum ab ore ventriculi patiebatur iuuenis ille Grammaticus: de quo Galenus ſcribit quòd quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, Epilepticus cadebat.

v. de loc. Aff. cap. 6.

Signa Epilepſiæ hypochundriacæ ſunt ructus acidi, & præſertim quando illæ partes ſunt refertæ materia melancholica, vel pituitoſa, per quam cibus aciditatem acquirit: item inflatio, rugitus, & dolor in ventre tardè quieſcens propter materiæ craſsitiem. aliquando ſentitur caliditas, & inflammatio in ipſis hypochundriis, præſertim exiſtente ibi materia bilioſa, vel materia putrefacta. quandoque excitatur dolor inter vtraſque ſpatulas poſt cibi aſſumptionem, quamuis cibus ſit paucus: qui dolor poſt celebratam concoctionem quieſcere ſolet: poſtea ab aſſumpto nouo cibo reuertitur, & hoc accidit quia in ventriculo corrumpitur cibus, à quo vapores mali eleuantur, & tranſeuntes per œſophagum cauſant dolorem inter ſpatulas, vbi œſophagus eſt collocatus.

Signa morbi comitialis ab hepate ſunt, dolor, & grauitas in dextro hypochundrio: item adeſt tuſsicula quædam ſicca, & nihil expuunt: & cætera atteſtantia hepatis læſionem.

Signa morbi comitialis à ſplene ſunt, dolor, & rugitus in ſiniſtro hypochundrio, durities ipſius ſplenis, & multa obſtructio: totius corporis color ad nigrum, & melancholicum vergens.

Epilepsia per consensum ab intestinis cognoscitur ex lumbricorum,& ascardium emissione:à saliua: à multis humiditatibus ab ore fluentibus: & tempore accessionis punctionem, Corrosionem in ventre sentiunt.

Signa Epilepsiæ per consensum à Matrice sunt menstruorum retentio,aut spermatis, aut humiditatum malarum, quæ per pudenda emitti solebant:item grauitas in fundo ventris, dolor in pectine,inguinibus, & in partibus dorsi, quibus matrix alligatur.

Signa Morbi Comitialis per consensum ab aliqua parte corporis remota sunt, quia patientes sentiunt vaporem malum eleuari ab illa parte, & sensim cerebrum petere: narrat Galenus se adolescentem vidisse hanc speciem morbi comitialis in puero quodam, qui tertium decimum ætatis annum agebat:narrante puero dispositionem ipsam à crure initium capere,mox illinc resta ascendere per femur,lumbos,ac per latera ad ceruicem, donec ad caput perueniret: quod cum primum tangeret, ipsum haud quaquàm sibi constare dicebat: verum quale esset id,quod ferebatur ad caput interrogatus puer,nihil habuit, quod responderet. Alius tamen Adolescens mentis compos, qui satis poterat & sentire quòd fiebat, & alteri narrare,dicebat veluti frigidam quandam auram esse id,quod ascendunt.Tale quiddam contingit iis,qui à scorpione,aut ab aliqua uenenum eiaculante bestia icti sunt.

3. de loc. aff. cap. 7.

Signa morbi comitialis à pituita, ab humore melancholico,à sanguine,à bile cognoscuntur à patientis temperie,à calore, ętate, victu præcedenti ab excrementis, & ab accidentibus. Sunt quinque, quæ à tota specie ipsam detegunt Epilepsiam.

Primum est indumentum ex corio caprino recenter exempto.ab animali: ita vt si aliquis æger pelle caprina opertus aquam ingressus fuerit statim concidet:eundem effectum præstat cornu, & hæpar caprinum, seu hircinum odoratum, aut comestum. Secundum lapis gagates igni prius admotus, & naribus inditus cadere facit.Tertium est Apium:vnde Gerardus recitat, quòd Epilepticus quidam viridarium ingressus cum primum Apium vidisset, statim cecidit.Quartum est galbanum

banum suffumigatum. Quintum sunt ossa suffumigata, & odorata.

Prognostica.

Pueros, qui morbo Comitiali laborant, mutationes potissimum ætatis, locorum, & victus liberant.

2. Aph. 45.
5. Aph. 7.

Quibuscunq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem mutationem accipiunt: quibuscunque autem vigesimoquinto commoriuntur.

Si Mulier prægnans morbo Comitiali corripitur per fœtus emissionem liberatur.

Quicunque tempore menstruorum, aut ex immundo spermate, aut parentibus Epilepticis genitus Epilepsiam incurrit, nunquàm morbum euadet.

Epilepsia, quæ ab humore melancholico causatur, data paritate humoris, & meatuum, in quibus fit obstructio, semper est deterior, quàm quæ fit à pituita: & quæ fit à pituita, quàm quæ fit à sanguine.

Pueri, quorum capita vlceribus manantibus, achoribus dictis expurgantur: & à quorum riaribus mucositates scatent, difficile incurrunt Epilepsiam.

Epilepsia ex inordinato victu eueniens curari potest, & præsertim in pueris: in sene autem quocunque modo eueniat incurabilis est.

Epilepsia per consensum vt plurimum sanatur. Cum Epilepticus subito cadit cum clamore, & tremore, & eius membra torquentur, & vrinam emittit, & egerit, morbus est sæuior.

Qui transacto Epilepsię paroxismo verecundantur, & recordantur, curam faciliorem promittunt.

Epilepsiæ paroxismus frequens, sed parum durans morbi spem curationis pollicetur: contra rarus, & diu perseuerans curam desperatam ostendit.

Quò magis æger ab ore spumat, eò morbus difficilior, & periculosior.

6. Epidem.

A febre quartana detenti non incurrunt Epilepsiam: & patientibus Epilepsiam, quartana superueniens soluit ægritudinem.

Cura.

Morbi Comitialis curatio triplex est, vna præseruatiua: alia, quæ in ipsa accessione adhibetur: tertia, quæ pro omnimoda ipsius morbi eradicatione conuenit.

Cura præseruans infantem ne Epilepticus efficiatur est, vt cum primum natus est (facta membrorum figuratione, & aliis, quæ fieri debent) antequàm lac sugat, assumat huiusmodi nutrimentum videlicet, Recipe sacchari albi puluerizati ℥.2. confice cum oleo sesamino recenti, vel oleo amygdalarum dulcium recenti, & in formam Electuarij redigatur: de quo exhibe infanti cum digito ad quantitatem vnius cochlearis: confestim enim infans sopore occupabitur: cui deinde excitato iterum de eodem cibo exhibebis per plures vices: nutrit enim, & suauiter purgat per secessum noxios humores, humiditates pituitosas, & sordes melancholicas in utero congregatas, in uentriculo, & in intestinis: quæ, nisi emitterentur, disponerent ad Epilepsiam, cæterum per quatuor, vel sex menses singulo die mane, & vesperi post balneationem, & exiccationem, inungatur oleo sisami, vel chamæmeli, & pro Amuleto smaragdus, aut lapides inuenti in pullis hyrundinum: aut peonia, aut lignum uisci quercini ligatum in argento ad collum infantis suspendatur.

Interim Tralliani monitu, nos curam habere oportet, ut lac nutricis sit benignum, & recrementis liberum: nam quod vitiosum, & crassum est ualde solet naturam impedire. Fiet autem probi, boniq́ue succi, si Nutrici animum adhibeas, quæ mediocriter exerceri debet, & motum, laboremq́ue ante cibum subire, nam exercitatio secundum cibum omnibus inimica, cibisq́ue boni succi nutriri, cui etiam vinum mediocriter tenue propinandum est recrementi expers, & boni succi efficax.

Si igitur lac fuerit tenue, paulò ipsum crassius efficere conuenit: sin crassum, extenuare quibusdam, quale est fœniculum, aut anisum, aut anethum, aut eruca, aut ruta, aut porrum. omnia autem hæc dum viridia sunt, assumantur, nam sicca, cum magis sint acria, plus uteri vasa aperiunt, & nimis sanguinis menstruorum vacuationes incitantur, quo nihil est deterius.

terius. Insuper venus Nutricis pueris lactantibus est nocentissima: quippe lac hinc tenue, & fœtidi odoris fieri necesse est. Sin autem contingat etiam concipere adhuc multò fit pernitiosius. ac cauendum est ne illa omnino Nutrix puero mammillam porrigat: sed alia potius quærenda est, quæ lac habeat benignum: quæ sit optimè disposita, & (vt inquit Mesue) nec pinguis, nec tenuis, nec iracunda, nec pigra, nec multum laborans, nec multum quiescens: viuida vultu, bonorum morum, cuius operationes naturales sunt veræ, & propriè digestio.

Cognoscitur autem lac colore, substantia, & odore. Colore quidem vt & albissimum sit, & nihil habeat liuidum, aut fœtidum. substantia vero vt nihil admodum tenue, aut crassum, aut caseosum contineat: nam tale conuulsiones potissimum generare solet, & neruos obstruere. oportet præterea ut infans custodiatur ab omni re subitum timorem incutiente: & cum primum aliquas leues purgationes ferre poterit, purgabitur medicamentis pituitam educentibus, ad quam intentionem uomitus cum aqua mellis quandoque prouocatus Iuuabit. olfaciat rutam, & cætera attenuantia.

Cura Epilepsiæ tempore accessionis erit, ut primum ęger aduentum morbi nequaquàm præsentiens, custodiatur ne maneat prope loca alta, præcipitosa, aut prope flumina, neque maneat iuxta ignem, aut puteos, aut foueas, aut in aliis locis, in quibus cadens discrimen uitæ, aut magnam subire posfit læsionem: sed detineatur super sedile capite eleuato: & os eius aperiatur spathula, uel aliquo ligno, & ita per aliquod spatium detineatur ad facilitatem anhelitus, ad spumæ, & materiæ pituitosæ emissionem, ad uomitus prouocationem: & ut lingua, palatum, & dentes theriaca, aut mithridatio, aut confect. anacardina oblini posfint: hæc enim ad excitationem faciunt. Interim fricentur extremitates, & aqua calida abluantur: intra nares succus rutæ: aut Ellychinium intinctum in unguento, quod recipit adipis castorei ʒ. 2. Succi, uel olei rutæ ℥. 1. intromittatur usque ad naris extremitatem uel, Recipe succi cyclamini, seminis rutæ, coaguli leporis ana ℥. 2. contundantur simul, & intra nares cum penna insufflentur ad

idem,

idem, Recipe castorei siccioris, cyclamini, folij, origani, ligni aloes ana ℈. 1. fiat puluis, est enim efficax insufflatus. Ad idem facit succus peucedani, bitumen, pix cedria, succus cyrenaicus, & perseuerante exacerbatione immittatur glans ex agarico, sale gemmæ, hyera, & melle despumato confecta ipso postea excitato huiusmodi indatur clysterium, Recipe maluarum, mercurialis, calaminthæ, aristolochiæ, centaurij, florum chamæmeli, ana m. i. furfuris p. 1. coquantur omnia simul, inde colentur, & decocti colati accipe lib. 1. salis gemmæ ʒ. 4. olei anethini, chamæmelini, ana ℥. 2. mellis ros, sacchari rub. an. ℥. 1. s. hyeralogodionis ℥. s. benedictæ laxatiuæ ℥. 2. misce, & adhuc perseuerante accessione, Recipe foliorum amaraci, florum rosmarini ana ℥. s. ligni aloes ℥. 1. in puluerem reddantur quibus adde farinæ hordei ℥. 1. amyli ℥. 2. vini maluatici ℥. 3. mis. & fiat emplast. quòd super pannum rubeum extendatur, & calidum capiti prius abraso adhibeatur à capillis frontis usque ad posteriorem partem commissuræ coronalis & sagittalis vnde quaque per tres digitos, item, Recipe olei rutacei, de castoreo, de piperibus ana ℥. 1. costi, pyrethrig, ingiberis, galangæ, seminis rute ana ℥. 1. s. fiat linimentum, quo calido omnes spatularum partes oblinantur. uel ligentur testes strictè circa radices scroti aluta ex corio arietis hoc enim remedio excitabitur. Sunt qui accipiant ocimi, origani, florum rosmarini, amaraci ana ℥. s. Hyacinthi, smaragdi, sapphiri, ossis de corde cerui ana ℥. s. zedoariæ. ℥. i. s. croci ℈. 2. farinæ amyli, farinæ frumenti ana ℥. 2. cum aqua ros moschata parum bulliant, & fiat emplast. quo actu carico obducatur pars pectoris sinistra nam in hac ægritudine constat cor læsum esse: cui hoc medicamine subuenitur.

Si autem æger (inquit Rasis) ante accessionem sentit quasi graue aliquid ex aliquo suorum membrorum eleuari, & ascendendo caput petere: deinde syncopim incurrit, & cadit: tunc oportet, ut quàm primum sentit illud eleuari, ligetur membrum strictè supra locum à quo vapor ille eleuatur: hæc enim ligatura, aut omnino prohibet paroxismum Epilepsiæ, intercipiendo transitum uaporis maligni, & uenenosi: aut saltem minuit, prohibendo ne totus uapor confertim ad superiora

feratur,

feratur, quare si ua po r, aut aura eleuatur à manu, ligetur brachium: si à pede, tibia; si à genu, ligetur coxa. possunt etiam diuersionis causa fieri ligaturæ infra locum à quo talis fit euaporatio.

Cura, quæ pro omnimoda ipsius morbi comitialis eradicatione conuenit, triplici perficitur medicinæ instrumento, diæta, pharmacia, & chirurgia. optima diætæ institutio exorditur ab aere, qui ad calidum, & siccum declinans, longe à lacubus, & locis palustribus eligi debet: præsertim si à pituita morbus comitialis ortum duxerit: nam si à Melancholia, ad calidum inclinans, eligatur temperatus in passiuis: & ut aer conueniens inueniatur confert (Dicebat Auic.) mutatio de loco ad locum, & regione ad regionem. In thalamo ægrotantis fiant per multum spatium suffumigia, clausis fenestris, ex hyssopo, ruta, Iuniperi, & lauri baccis, & ex styrace calamita: deinde, ut Caliginosus aer exhalari posit, fenestras parumper apertas detinebis, antequàm æger thalamum ingrediatur, nam nimis odorata in hoc affectu quandoque nocent. Caueat à frigore repentino, à calore superfluo, & à uentis impetuose spirantibus: item à clamoribus à strepitu uehementi bombardarum, timpani, tubarum tonitrui fulminis: & ab aliis, quæ subitum terrorem incutere possunt.

Cibus (ut bene admonet Mesue) sit boni nutrimenti, & laudabilis chimi, non uaporosi, aut corrupti: & sit cibus habens mediocritatem in actiuis qualitatibus: in passiuis declinet parum ad siccitatem: sit facilis concoctionis, & minimè grauans; neque assumatur usque ad satietatem, neque post repletionem, neque super alium cibum indigestum. abstineat ab acribus, ut à sinapi, à cepis, alliis, porris, Apio, & similibus ad caput euaporantibus: & quàmuis sinapis attenuet humores crasses, tamen quoniam est uaporosa, melius est ut ab ea abstineat. prohibentur olera, ut lactucę, atriplices, beta, malua, blitum, caulis, & huiusmodi: quæ si concedi debent, id raro fiat, & ante alia cibaria, propter uentris lenitionem: non comedat fungos, neque rapa, neque alias radices, quia sunt excrementosæ, flatuosæ, & difficilis coctionis. Inter legumina, fabæ, phaseoli, lens damnatur: Ius ciceris admittitur. fru-

ctus

ctus omnes horarios humidos, & crassi nutrimenti fugiat, præcipuè nuces, & dactylos. vtatur pistaciis, & passulis, pineis, & in fine mensæ cotoneis. pisces sunt molesti: item lac, caseus, recocta, & fercula ex lacte. abstineat à carnibus porcinis, taurinis, ceruinis, leporinis, ouinis, caprinis antiquis, anatinis, anserinis, à cerebro, & ventre animalium: & ab auibus Epilepsiam patientibus, & sunt, secundum aliquos, perdices, & coturnices, qualeas dicunt, A laudæ. panis eius sit ex optimo frumento, leuis, albus, spongiosus, benè fermenatus, & coctus. vtatur cichoreo, ruta, anetho, coriandro, origano, pulegio, betonica, saluia, peonia, amaraco, rosmarino. Carnibus hyrundinum, pullorum, gallinarum, caponum, phasianorum, turdorum, turturum, & auium in montibus degentium. hædorum, vitulorum lactantium, veruecum, aprorum, & luporum.

De coturnicibus Plin lib. 10. c. 23. scribit, veneni semen illis gratissimus cibus quàm ob causam eas damnauere mensę, simulque comitialẽ propter morbũ, quẽ solæ animaliũ sentiũt prętcr hominem.

Potus sit hydromel: vel aqua in qua passulæ, & parum cinnamomi sit decoctum, vel syrupus acetosus tam melinus, quàm saccharinus, secaniabim arabes dicunt. Fugiat vinum, & ebrietatem, & omnem potum immoderatum, præsertim post comestionem, dum cibaria in ventriculo concoqui incipiunt, quòd si à vino, abstinere non potest, bibat vinum aquosum, tenue, & dilutum. omnem fugiat repletionem, & malam digestionem, quòd si æger fuerit temperaturæ biliosæ fugiat etiam immoderatam famem. vniuersaliter omnis Epilepticus debet comedere, & bibere minus, quàm eius sit appetitus: & magis expedit esse inanitum, quam repletum. exercitia ante cibum conferunt, & frictiones, & balnea resoluentia, & exiccantia: à balneo non bibat, præcipue vinum, nam nihil pernitiosius. vitandus coitus, etenim coitus est ferè species morbi comitialis: verum tamen aliquando post multa interualla prodest. Somnus sit nocturnus, nequaquàm autem diurnus, neque immediate à cibo. Caueat iram, tristitiam, intensam cogitationem, & cętera mala animi accidentia: sit hilaris, & gaudens.

Quòd ad pharmaciam spectat; syrupi in Epilepsia phlegmatica sint mel rosaceum, oximel simplex, oximel scillinum, syrupus de stœchade, de hyssopo. In Epilepsia melancholica

sunt

sunt syrupus de fumoterræ de lupulis, de epithymo, de absinthio.

In phlegmatica, Recipe hyssopi ʒ.3. passularum ℥.5. coquantur in lib. 2. aquæ pluuialis ad medietatis consumptionem, quod decoctum exhibeatur per quindecim dies cum oximelite scillino, vel Recipe radicis Ireos, acori, cyperi, scillę, ammios, visci quercini, polij, origani, calaminthæ, aristolochiæ, ana ʒ.2. seminis anisi, marathri id est fœniculi, seselis, ocimi, peoniæ, ana ʒ.1. glycyrrhizæ, passularum ana ʒ.1. 5. floris rosmarini, stœchadis, radicis fœniculi, rusci, ana ʒ.5. absinthij, succi fumiterræ ana ℥.1. cum melle, vel saccharo q. s. fiat syrupus, & cum aceto scillino acidus reddatur, & propinetur cum decocto cichorij, rutæ, peoniæ, & nucis moschatæ.

In Epilepsia Melancholica, Recipe radicum fœniculi, graminis, aristolochiæ, hyssopi, rutę, peoniæ, polij ana ℥. 1. succi borraginis, melissæ, succi fumiterræ ana ℥.5. florum uiolarum, epithymi, foliculorum senæ, polypodij, visci quercini, florum stœchadis ana ℥. 2. cum saccharo, uel melle q. s. fiat syrupus secundum artem. his, vel similibus syrupis concocta, & præparata materia educetur, si fuerit pituitosa, cum Elect. indo, agarico, pilulis de hermodactilis, de sarcocola, hyeralogodione, vel pilulis cochiis multoties exhibitis: vel ex Mesue, Recipe seselis, aristolochiæ rotundæ, castorei, salis indi ana ʒ.5. radicis peoniæ trochis. de scilla ana ℈. 2. hyeræ picræ, stœchadis, epithymi ana ʒ. 1. ℈.1. polypodij ʒ. 1. agarici ʒ.1. s. colocynthidis. ℈.2. turbit ʒ.2. myrobalanorum bellericorum, empelicorum, ana ℈. 1. lapidis lazuli ℥.1. s. myrobalanorum citrinorum, ellebori nigri, chamæpityos, chamædryos, ana ʒ.1. confice cum oximel scillino, dosis sit ʒ.1. uel si fuerit materia melancholica, Recipe lapidis lazuli præparati, lapidis armeni ana ʒ.1. colocynthidis, diacrydij, ellebori nigri, spicæ ana ℈. 1. epithymi ʒ. 2. hyeralogodionis ʒ. s. misce, & cum mulsa fiat magdaleon: dosis sit ʒ.1. pro singula uice: post quas assumat tres uncias decoctionis epithymi, & passularum. poteris etiam uti catapotiis Alexandri, habent enim Aloes, diacrydij, gummi, colocynthidis, ellebori nigri, bdelij,

bdelij, singulorum ʒ.2. euphorbij ℈.1. excipiantur brassicæ succo, vel, vt mitiora sint, Elect. ros. Mesuæ misceantur: capiat ex his æger pro viribus ℈.4. uel minus, tutò enim exhibentur, nec comitialibus modo, verum etiam vertiginosis, & articulariis, si quid aliud, auxiliantur.

Clyster in hoc affectu conferens, Recipe stœchadis hyssopi, absinthij, rutæ ana m.s. pulpæ colocynthidis ʒ.2. cartami ℥.s. centaureæ m. 1. olei liliorum alborum ℥. 2. fiat clyster. Aliter Recipe radicum Iridis, aristolochiæ rotundæ, centaureę minoris, menthæ, absinthij, anethi, ammios, carui ana ℥.s. seminis peoniæ ℥.1. rutæ, hyssopi, pol j, maluæ, bliti, mercurialis ana m.1. furfuris p. 1. olei rutacei ℥.2. hyerę picræ ℥.1. fiat clyster, quòd si febris infestaret abiicies ea, quæ sunt calidiora, & ipsum enema moderabis. In Epilepsia biliosa (quæ rarò accidit) pro ipsa concoctione, & euacuatione sufficiant, quæ superius in cura doloris capitis à bile dicta sunt. In sanguinea uero fiat phlebotomia ex saphenis multa existente plethoria, deinde ex cephalica: quòd si ætas, & cætera ad phlebotomiam requisita non consentiant, cucurbitulæ super tibiarum carnositatem cum scarificatione adhibeantur reiteratis uicibus.

Notandum tamen est quòd pro ipso morbo comitiali remouendo non vnica sufficit euacuatio, sed quia affectus difficilis est, patientem sex vicibus singulo anno purgabis, vernali tempore bis: bis in autumno: semel æstate: & semel hyeme. vel saltem, si debilis esset complexionis, neque tot euacuationes ferre posset, semel in vere, & semel in autumno.

A purgatione multis profuit aqua thermalis, & decoctum ligni guaiaci, præsertim existente affectu à materia pituitosa, exhibitum per quadraginta vel ad plures dies, quòd si fuerit à materia melancholica, ægros ad balneum ducere non erit inutile. postea deueniendum est ad eradicationem causæ coniunctæ cum cucurbitulis occipitio affixis, & cataplasmatibus, & vesicatoriis. Vnum maxime curare debes, vt scilicet attractio materiæ à profundo capitis ad extra scilicet ad cutim fiat: itaque raso prius capiti hoc sinapismum apponatur, quod Recipit sinapi optimè contusi ℥. s. cantharidum ʒ. s.

peoniæ

peoniæ ʒ.2. fermenti ℥. 1. ammoniaci dissoluti cum pinguedine milui, vel Anatis ℥. 2. misce, & dimittatur super comissuram coronalem, & sagittalem quousque locus rubefiat, & vesicæ, crustæque excitentur: quibus amotis, caput inunges pinguedine Milui: deinde iterum emplastrum appones: & nunc inunctione, nunc sinapismo certabis, donec caput crustosum, & vlcerosum reddatur, sicque per longum tempus, hoc est per duos, vel tres, menses, pro vt opus fuerit, conseruetur. Interim vti poterit Masticatoriis, gargarismatibus, & sternutamentum mouentibus: & iis, quæ interius assumpta cerebrum corroborant, vt est peonia, & semen eius, seseli, aristolochia rotunda, pyrethrum, polium montanum, theriaca antiqua, Mithridatium, diatriompipereon, confect. anacardina, Diamoschu dulce, & hoc Halyabbatis, quod Recipit seselis, baccarum lauri, ana ʒ.3. aristolochiæ rotundæ, peoniæ ana ʒ. 2. Castorei, trochis. Scillæ ana ʒ.1. confice cum melle despumato: vel, si potentius efficere volueris, adde pyrethri, piperis albi ana ʒ. 1. s. confice cum oximelite scillitico. uel hoc, quod confert non modo Epilepticis, & omnibus cerebri, neruorumque ægritudinibus, uerum etiam ventriculi, intestinorumque doloribus frigidis, & uentosis, Recipe gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ, aristolochiæ rotundæ, pyrethri ana ʒ.1. mellis lib. 1. misce, uel (ut scribit Gentilis) Recipe radicum fœniculi coctarum, & purgatarum lib. s. pyrethri mollificati ℥. 3. pinearum ℥. 2. caryophyllorum, cinnamomi, ligni aloes, galangæ, nucis moschatæ, cardamomi ana ʒ. 1. corticum citri, seminis ocimi ana. ʒ. s. ambræ ℈. 1. mellis quod sufficit. Aliud Gerardi, Recipe Margaritarum ʒ. s. galangæ, cinnamomi ana ℈. 2. Zedoariæ ℈. 1. coriandri præparati, corallij rub. ana ℈. 1. Corticum Citri conditi ℥. s. sacchari Candij ℈. s. macis, nucis moschatæ, caryophyllorum, granæ tinctorum, cubebarum, anisi, fœniculi ana g. 3. santalorum citrinorum, serici crudi, doronici, mastiches ana g. v. uisci quercini, seminis peoniæ, dictamni ana ℈. 1. passularum ʒ. 3. conseruæ ros. rub. conseruæ stœchadis arab. ana. ʒ. 2. pulpæ cotoneorum conditorum, cum saccharo ℥. s. aquæ ros. Moschatæ ℥. 1. sacchari albi quod sufficit, fiat Elect.

Circa

Circa tertium Medicinæ Instrumentum chirurgiam scilicet, Notandum est, quòd in omni Epilepsiæ specie confert inurere duo cauteria, vnum in vna quaque tibia in parte silueſtri, ſeu exteriori ſub genu. Confert etiam cauterium actuale, vel potētiale factum ſuper comiſſurā coronalē vsq; ad oſſis ſuperficiem: quod apertū per plures menſes ſeruari debet.

Sunt quędam, quæ à proprietate naturali Epilepticis conferunt, vt lapides inuenti in ventre pullorum hirundinum primo partu excluſorum, & creſcente luna diſectorū. ij. enim (vt dioſcorides ſcribit) priuſquam terram attingant in Iuuencę corio, aut ceruina pelle bracchio, aut collo alligantur vel Azarauij autoritate, ſub axilla ſiniſtra portantur: aut puluerizati bibuntur. ad idem ſmaragdus collo ſuſpenſus, uel potatus optimè facit. pariter caput cuculi collo ſuſpenſum ab Epilepſia præſeruare creditur: ipſam enim ad ſe trahit, ſicut magnes ferrum: hinc eſt quòd huiuſmodi auis ſingulo menſe Epileptica cadit. Viſcum quercinum interius aſſumptum, uel collo ſuſpenſum, multum iuuat. Idem præſtat peonię radix, & ſemen: quę peonia (ſi Galeno credimus) ſecundum omnem modum adminiſtrationis eſt medicina magna, & præſertim radix, & ſemen: etenim ſi ex ea ſingulis diebus à ℥. 2. usq; ad ℥. propinetur cum oximelite, uel cum aqua mellis, & hyſſopi mirum affert auxilium: eligatur quæ florem album profert. Democratem Athenienſem ferunt (ut Trallianus teſtatur) cum adoleſcens eſſet, & morbo comitiali detineretur ad delphos profectum fuiſſe: cumque rogaſſe deum, cum plerique offerent alliganda morbo contraria, quali ex eis uteretur? ac pythiam reſpondiſſe:

De grege ſume capræ maiores ruris Alumnæ
Ex cerebro uermes, & ouis dato tergora circum
Multiplici uermi pecoris de fronte reuulſo.

Quorum uerborum ſenſus eſt caprarum caput iuxta cerebri baſim multis ſcatere uermibus, qui ſternutamentis animali obortis in nares capræ inſiliunt: oportet igitur ueſte prius ſubſtrata, ne terram attingant, illos excipere, unum, uel tres, & indutum pelle nigræ ouis collo alligare: hoc enim naturaliter morbo aduerſatur.

Item

Item corrigia de pelle frontis Asini, continuò pro fertis à patiente geratur, & singulo anno innouetur: est enim remedium præseruatiuum. Dens, qui appellatur caninus, ab ore lupi extractus, collo suspensus, hominem ab Epilepsia tutum reddere creditur. Idem præstant pili canis albi nullam maculam habentis, qui etiam pro incubo fugando sunt mirabiles. Lapis Marchesita gestatus prodest pueris comitialibus, & prohibet ne timore in somno afficiantur. prodest, & corallium rubeum gestatum. Scribunt nonnulli cum primum Epilepticus ceciderit, occide canem, & fel eius extrahe, & patienti propinato, nunquam amplius cadet, & probatum est. Fel lupi lambendo assumptum prohibet Epilepsiam. Idem efficit cor ipsius lupi comestum. idem Nycticoracis caro comesta. Idem hepar asininum assatum, & hepar Milui exhibitum operatur. Vngularum Asini cinis per multos dies binis cochlearibus potus proditur Comitiales adiuuare. Dioscorides, inquit lichenes sunt in equorum genibus, & super vngulas indurati calli, qui triti, & in aceto poti comitialibus mederi traduntur. Ossa Capitis humani in puluerem, vel cinerem redacta, & in vino, in quo prius ruta siluestris decocta fuerit, ad pondus drachmæ vnius exhibita per mensem curant Epilepsiam. fimus Ciconiæ ex aqua potui datus statim valet. lac equinum bibitum caducos sanat. Vesica Apri immediate extracta, & cum vrina sua in furno exiccata, ita vt in puluerem redigi possit, si ad quantitatem fabæ in vncia oximelitis mane ieiuno stomacho exhibetur præstantissimum erit remedium. Cerebrum vulpis à puero comestum non permittit Epilepsiam infestare. Stercus pauonis in vino tenui potatum inter remedia experta reponitur. portiuncula testiculi castorei cordi super imposita in pueris miro modo tollit motum Epilepticum. Cerebrum Cameli, & Mustelæ exiccatum, & potatum perfectè curat. Oua coruorum comesta multum in hoc affectu probantur. Item vrsi testes. Item coagulum leporis bibitum in hydromedite, aut aqua rutæ, aut amaraci ad pondus scrupuli. Item sanguis testudinis nemoralis, & multa alia, quæ breuitati indulgens prætereo.

Gal. de theriaca ad pisoné. cap. 9.

Cura Epilepsię per consensum, vltra regulas circa dietam,

vt ſupra, obſeruandas, fit primò per rectificationem membri conſentientis, & prohibitionem ne mandet vapores, vel auram, vel aliquam malam qualitatem ad caput, ſecundò per corroborationem membri ſuſcipientis. vt uerbi cauſa ſi Membrum conſentiens, & mandans fuerit uentriculus, oportet procurare vt æger bonæ coctionis ſit ſtudioſus: proinde ſcribit Galenus panem benè præparatum circa tertiam: aut quartam diei horam per ſe ſolum aſſumat: vel madidum ex vino albo parum aſtringenti, ſi ſiti crucietur: nam huiuſmodi uinum ut uentriculum rectificat, & robuſtum efficit, ita haud quaquàm caput tentat. Dare quoque expedit ſingulis annis, maximè ſi ob bilioſi humoris inibi aggregationem malum oriatur, bis, teruè, & quater hyeram picram, ut bilis, quæ uentriculum grauat, & ad caput euaporat, uacuetur.

v de loc. aff. cap. 6.

Si autem à pituitoſo humore oriatur uitium ſingulo anno non ſemel, aut bis, ſed multoties poſt ipſius humoris præparationem hyeralogodione, uel hyera cum agarico purgabitur: uel uomitu alleuabitur, præſertim ſi ad uomitum æger procliuis fuerit, nam ſecus ab eo deſiſtat: etenim uomitus laborioſus maiorem fluxum materiæ allicit, & partibus thoracis non parum affert nocumentum.

Extrinſecè autem regio uentriculi munietur iis, quę calefaciunt, & corroborant, oleo chamæmelino, abſinthino, quibus ſtyrax, & maſtiche adiiciatur, ad hoc non deſunt unguenta, cerata, & fomenta oportuna. Idem obſeruabis, affectu ab humore melancholico exiſtente, dummodo elleborum nigrum, epithymum, polypodium, uel ſenam, uel aliud tale loco agarici reponas, & per ſeceſſum, non autem per uomitum euacues. Mirum quoque in modum eis opitulatur aſſidua crurum ſcarificatio in talo, ſicuti Aetius, & Paulus teſtantur. Membrum ſuſcipiens, id eſt caput, corroboratur cibis aſtringentibus os uentriculi, ut cotoneis, pyris, ceraſiis uiſciolis dictis, meſpilis, Electuario de ſorbis, de cornibus, Diacitonite, Diamarenato, conſeruis ex floribus ſaluiæ, roſmarini, uel Myrobalanis chepulis ſaccharo conditis, & ſimilibus poſt alia cibaria aſſumptis. Item fortaſſe non eris inconueniens decoctum ligni guaiaci, uel aqua thermalis exhibita. In fine poſt

omnes

omnes euacuationes, & diuersiones, stillicidium, seu Embrochæ ex aquis medicatis naturalibus, uel artificialibus (si Medico assidenti expediens uidebitur) fiant: idem de cauterio actuali, uel potentiali dictum sit.

Si autem Epilepsia facta fuerit per consensum à matrice, uel ob menses retentos, uel ob sperma diu non emissum, prouocentur menstrua: & coitus imperetur si legitimè id fieri potest, sin autem esset Monialis, uel Vidua, uel puella nobilis, quæ seruata honestate, & bona fama, talem actum exercere non posset, succurre remediis supra in cura Maniæ ex spermate retento descriptis: & infra, quando de præfocatione matricis agemus, dicendis.

Si Epilepsia fuerit per consensum à splene, uel hypochundriis procede ut in cura per consensum à uentriculo.

Si fuerit à uermibus expellantur uermes medicamentis putredini resistentibus.

Quòd si fuerit causata ob uapores, uel auram, uel malam qualitatem ab aliquo membro particulari eleuatam, fiant ligaturæ tempore accessionis, ut supra in cura præsentanea, autoritate Rasis diximus: item fiant euacuatioues, si oportunæ uidebuntur: & caustica exulcerantia super locum affectum apponantur, ut cantharides, pes coruinus, stercus accipitris, aut columbi, aut mel anacardinum, uel fiat cauterium actuale cum auro ignito: & pars inusta, & cauterizata aperta per multos dies detineatur, ut inde mala qualitas euaporare, & euanescere posit.

περὶ ἀποπληξίας.

De Apoplexia. Cap. XV.

MORBVS sæuus, & magnus in cerebro est Epilepsia: eo tamen maior, & sæuior est Apoplexia, nam præter sensum, & principales operationes, motum quoque penitus aufert, qui in Epilepsia, licet deprauatus, remanet.

Erit itaque Apoplexia repentina sensus, & motus priuatio, anhelitu solo permanente: qui si & ipse pro-

Gale. 2. Aph. 42.

prohibeatur, maxima, & acutissima Apoplexia uocabitur. Apud Auic. Apoplexia est ociositas membrorum à sensu, & motu propter obstructionem in uentriculis cerebri, & in cursibus spiritus sensibilis, & motiui. quæ diffinitio forti conuenit Apoplexiæ: nam datur interdum Apoplexia, in qua sensus non est omnino deperditus, cum uidelicet cerebri uentriculi, & præsertim anteriores, non penitus obstruuntur. hunc affectum Actius syderationem. latini attonitum appellant. Celsus inquit resolutio neruorum frequens; ubique morbus est, sed interdum tota corpora, interdum partes infestat, ueteres illud ἀποπληξίαν, hoc paralysim nominauerunt: unde sicut Epilepsia est spasmus uniuersalis, ita Apoplexia est resolutio uniuersalis subito eueniens: paralysis uerò proprie dicta erit resolutio particularis.

Dicitur ἀποπληξία à uerbo ἀποπλήττω quod est percutio, afflo, attonitum facio, Apoplectici enim ictu quodam repentino, & mortifero percussi, & prostrati uidentur.

Differt ab Epilepsia, nam illa certis interuallis per accessiones quasdam homines arripit: quæ ubi cessauerit, integra, sicut antea, redit ualetudo. Apoplexia uero uel in mortem, uel in paralysim desinit. Item Apoplecticus dum cadit clamat, non autem Epilepticus. insuper in Epilepsia adest motus spasmosus, non autem in Apoplexia: & Epilepsia citò terminatur, tardè uero Apoplexia. Conueniunt ex parte materiæ, quia ut plurimum fiunt à pituita: conueniunt ex parte subiecti, nam utraque fit in cerebro: conueniunt etiam in accessione, nam utraque subitò aduenit.

Differt Apoplexia à suffocatione matricis: primò quia uteri suffocatio aggreditur cum uehementi contorsione fœmoris, & crurum imbecillitate, nequaquàm autem Apoplexia: secundò quia in suffocatione uteri mulier audit uocantes, & post symptomatis remotionem, eorum, quæ dicta sunt, recordatur: secus autem in Apoplexia. Conueniunt quia in utroque affectu corpora ueluti mortuorum prostrata Iacent.

Differt inter Apoplexiam, & syncopim: nam in syncopi ob reuocationem spiritus, & sanguinis circa cor, homo in facie colorem mortuorum imitatur: non autem in Apoplexia, insuper

ſuper in ſyncopi pulſus intercipitur, & ut plurimum non apparet: in Apoplexia autem ferè ſemper apparet. Vlterius ſyncopis pauco terminatur temporis ſpatio: Apoplexia diutius occupat, imo nunquàm recedit, niſi mortem, aut paralyſim ſubſtituat, conueniunt quia in utraque pasſione hominum corpora absque ſenſu, & motu proſtrata Iacent.

Differt inter Apoplexiam, lethargum, & congelationem, primò quia in Apoplexia, ut plurimum, denegatus uidetur anhelitus: minimè autem in lethargo, & congelatione. ſecundò quia lethargici, & congelati ſentiunt fortia ſenſibilia: ſecus uero ipſi Apoplectici ob maiorem obſtructionem. tertiò quia lethargus, & congelatio paulatim adueniunt: Apoplexia uero affatim hominem inuadit. Conueniunt quoniam in omnibus iſtis affectibus homines ut mortui apparent.

Cum igitur Apoplexia ſit ſenſus, & motus omnimoda priuatio, ac principum facultatum proſtratio inter ſymptomata reponitur in genere noxę functionum animalium, omnium ſcilicet, non diminutè, ſed ablatè.

Cum uero conſideratur ut obſtructio uentriculorum cerebri, erit morbus: in quo cerebrum afficitur ut pars inſtrumentalis, non autem ut ſimilaris (talis enim morbus non ſenſim, ſed repente, ut Epilepſia aduenit) Apoplexia diuiditur, quia aliquando eſt materialis: aliquando immaterialis: materialis uel eſt ſanguinea, uel pituitoſa, uel melancholica, uel bilioſa, & hæc raro euenit, uel flatulenta. Immaterialis, aliqua ob compresſionem in meatibus, per quos ſpiritus animales à cerebro ad alia membra per meare deberent, unde intercipiuntur, neque amplius per meant: & hæc eſt per propriam eſſentiam in cerebro. aliqua ob compresſionem uenarum, & arteriarum deferentium à corde, ſpiritus uitales ad cerebrum, ut fiant animales, & hæc eſt per conſenſum à corde.

Item diuiditur ſecundum Auic. in fortem, debilem, & mediocrem. fortis eſt illa in qua nullus ferè apparet pulſus, nulla reſpiratio, & patiens Iacet absque ſenſu, & motu manifeſto, cadaueri ſimilis. Debilis eſt illa in qua non aufertur anhelitus, ſed debilis factus aliquem ſeruat ordinem, ſicuti & pulſus: & patiens, quamuis difficilè, admittit tamen cibum, & po

tum. Mediocris est illa in qua anhelitus coarctatus, intersectus, & difficilis est: & rhonchos ex gutture, ut ij, qui strangulantur, emittit, habetque labia spumosa, & cibus, potusque exhibitus per nares regurgitat. hinc infertur, quòd aliqua Apoplexia est sanabilis, aliqua uero mortalis.

2. aph. 82. At mirari subit dicebat Gal. quomodo omnibus aliis musculis motu carentibus, illi qui thoracem attollunt, quàmuis difficulter, plerumque tamen in Apoplexia moueantur, & præsertim cum spiritus animalis in Apoplexia non descendat ad musculos pectoris ob multam in viis obstructionem, & motus respirationis sit voluntarius, fiatque per musculos: videtur autem hoc fieri propter respirationis necessitatem, quæ neruorum vim excitat ad operandum, & ob hanc ipsam causam magna ex parte musculi, qui thoracem mouent, in Apoplexia. operantur, etiam si raró omnes operarentur: quemadmodum in vehementibus exercitiis, in quibus anhelitus plurimus est necessarius: verum in Apoplexia non ob id, quòd sit adaucta necessitas respirationis, sed quia uis est imbecillis, ideò omnes musculi thoracis simul coguntur operari: quemadmodum, & in iis, qui cum febre uires habent debiles, etenim ob hanc ipsam causam omnes mouere coguntur se ipsos, operationem effatu dignam ex omnibus colligentes.

Dixit alibi Gal. sicut respiratio est in dormientibus voluntariam operationem minimè præstantibus: pariter in passionibus, in quibus neque sensum, neque motum corpus habet, respiratio permanet. vnde colligimus, quòd motus respirationis non modo ut uoluntarius, verum etiam vt naturalis considerandus est.

Affirmant nonnulli, quòd sicut in Apoplexia non est ablatus motus respirationis in partibus pectoris, ita nec potestas sentiendi: at quia propter necessitatem anima est intenta motui respirationis, distrahitur ab opere sentiendi, tanquàm à re sibi minus necessaria: itaque Apoplecticus non percipit sensibile supra se positum: sicut intentus alicui speculationi non uidet coram se ipsum prætereuntem.

Dicunt etiam in Apoplexia, & multis aliis ægritudinibus mortalibus hominem siue motu respirationis manifesto uiuere

uere posse: eò quòd cor ultimo moriens tardius suam perficit operationem, quàm perficiat pectus. Itaque post remotionem operationum corporis cor viuit, vita tamen parum durabili: nam in quauis ægritudine absque motu spirationis, saltem occulto, nequaquàm tempore notabili, viuere possumus: quòd tempus occultæ spirationis secundum antiquos Autores spatium trium dierum non transcendit. Vnde Apoplecticus, quàmuis mortuus appareat, domi per tres dies naturales detineri debet, antequàm sepulturæ tradatur: ratio est, quia morbus peracutus est, & intra tale tempus inditia de uita, vel de morte dabit. Secundò quia luna tribus diebus pertransit vnum de signis zodiaci: vel, secundũ Conciliatorem, quia tribus diebus omnes humores, suum peregerunt cursum. vel quia hoc ita esse experientia comprobauit: nam aliqui Apoplectici uisi sunt, qui pro mortuis habiti, & post duos dies ad Ecclesiam, vt sepelirentur, portati, reuixere: hinc domũ reuersi in causa fuerunt, quòd hæredes in posterũ ad Apoplecticos sepeliendos non ita præcipites essent. peractis autẽ tribus diebus fœtida putredo Iam occupans, & depascens ipsum hominem verè mortuum arguit: quare fortassis Dominus noster Iesus Christus distulit ad quartam diem suscitare Lazarum iam fœtidum, ob hanc scilicet causam, ne vlla adesset suspitio, aut calumnia, quòd tale opus non esset miraculosum, & diuinum.

Vt percipias, vtrum Apoplecticus sit uiuus, uel mortuus, duo habes signa: primum desumitur à lana, uel à lino gossipino benè carminato, & omnibus clausis fenestris, apposito ori, vel naribus ipsius ægrotantis: nam si talis lana, uel linum mouetur, adhuc uiuit Apoplecticus: si autem non mouetur, mortuus est. Aliud signum desumitur à Cyatho aquæ pleno, & omnibus in thalamo quiescentibus, super ægrotantis pectus posito: nam si Cyathus mouetur, æger uiuit: si vero non mouetur, nulla amplius de uita spes superest: indicatur enim quod cor cessat à motu suo, & manifesto, & occulto.

Dubitatur utrum Apoplexia accidat magis pueris, an senibus: & uidetur, quòd magis pueris: quoniam ad Epilepsiam sunt magis dispositi: valet consequentia à simili: fiunt enim à

simili materia: probatur antecedens, videlicet quòd pueri Epilepsia magis corripiantur per Auic. cap. de Epilepsia. Contrarium tenet idemmet cap. de Apoplexia ad rationem adductam, negatur consequens, neque valet similitudo, quoniam Epilepsia fit à vaporibus eleuatis à materia pituitosa, ad quos requiritur caliditas Eleuans, quæ est in pueris. Sed Apoplexia fit à materia pituitosa, quæ semper est in senibus: in quibus nulla, vel pauca caliditas impotens ad vapores eleuandos, (sunt enim naturaliter frigidi.)

Causa.

Apoplexiæ causa primitiua est in primis Aer frigidus comprimens humiditatem interiorem cerebri, & coarctans spiritus, impediensque ne ad organa permeare possint: Item cibi viscidi, pituitosi: crapula: Ebrietas: longum otium: somnus longus, diurnus, & immediate à cibo, & supinus: percussio capitis: compressio uenarum carotidarum, vel arteriarum Apoplecticarum, ita vt spiritus à corde ad cerebrum transire non possit: quæ compressio, uel est à laqueo, ut in ipsis suspensis, vel à manu, vel ab alia re idem munus præstante.

Causa Antecedens est ut plurimum pituita, uel sanguis, raro autem melancholia, & adhuc rarius ipsa bilis. Item dolor, qui duobus modis causa Apoplexiæ esse potest, primò quia facit ut cerebrum læsionem sentiens contrahatur in se ipsum. secundò quia irritat materiam ad fluxum; per quem deinde fit obstructio.

Causa coniuncta sunt idemmet humores, vapores, & fluxus actu spirituum meatus obstruentes. Denique omnis Apoplexia fit ui animali non potente defluere ad partes infra caput existentes: aut propter aliquam dispositionem inflammatoriam, quæ in ipso cerebro fit constituta: aut quia uentriculi ipsi sunt oppleti humore pituitoso, vel melancholico, vel alio humore absque inflammatione.

Signa.

Signa Apoplexiam præcedentia sunt (inquit Aegineta) subitus, acutusque dolor capitis, venarum circa guttur extantium tumefactio, tenebræ oculis offunduntur, itemque coruscationes eisdem oboriuntur, & extremarum partium sine ra

tione

tione algores, totius corporis palpitatio, difficilis motus, & dentium in somno stridores: vrina ueluti æruginosa, atra, modica, & farinę crassiori similia subsidentia quædam refert.

Signa Apoplexiæ incipientis sunt uociferatio ueluti auxilium petentis, suspiria alta, & clamosa, hinc uox sicuti hominis, qui suffocetur: postea stertor superuenit: deinde spuma ex ore emittitur: Denique Iacet supinus quasi dormiens, & aufertur sensus, & motus: quæ signa in Apoplexia, media obseruantur: nam Apoplexia uehemens, & fortis statim interficere solat.

Signa Apoplexiæ à sanguine sunt primum rubedo faciei, & oculorum, quæ rubedo paulatim per caloris extinctionem vergit ad uiride, & tandem ad nigrum: item venarum sub lingua, propè guttur, frontis, & faciei tensio: Item phlebotomiæ consuetæ intermissio, & uictus præcedens sanguinis augumentatiuus.

Potest sanguis quatuor [illegible] causis denigrari primò per adustionem, quia calor agens in humidum denigrat. Auic. prima primi. deinde per cõgelationẽ spiritus, & extinctionem caloris naturalis, spiritibus corruptis, qui per se lucidi sunt. Auic. in lib. de uirib. cordis. tertiò per exitum à uena, & in alio loco retentionẽ, ut in ipsis flagellatis uidere est. vltimò per cõculcationẽ, ad intra uenas & prohibitam euentationem unde spiritus in eo suffocantur. Gal. 3. aph. 20.

Signa Apoplexiæ à pituita sunt color albus, oculi lippitudine, nares mucositatibus scaturiunt: humiditates ab ore profluunt: patiens ad somnum erat procliuis, uitam agebat ociosam, uictuque humido utebatur.

Apoplexiam à melancholia significat color fuscus, totius corporis habitus, siccitas, complexio, Aetas, sexus, ars, regio, & uictus.

Apoplexiam ab Apostemate in capite denotat febris continua, & inseparabilis: nam Apoplexia ab aliis causis conflata, quàmuis sit morbus acutus, potest tamen esse absque febre, ut testatur Galenus.

Apoplexia per consensum cognoscitur, quia præcesserunt nocumenta totius, uel membri consentientis.

Prognostica.

Hominem pituita, uel flaua bile, uel atra, uel ipso sanguine plenum si ad exercitationem perducere uolueris, aut ei morbum comitialem, aut Apoplexiam efficies exercitatione.

Apoplexiæ fiunt maximè à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum, & præsertim quæ ab atrabile causatur.

Apoplexia cum spirationis difficultate, cum multa spuma ab ore, cum anhelitu inordinato, & uoce ueluti eorum, qui stran-

6. aph. 57.

ſtrangulantur, eſt peſſima. peior tamen eſt quæ ſine anhelitu, ſine uoce, & ſpuma, & motu, & ſenſu.

Apoplexia in decremento lunæ eueniens magis eſt perniciosa.

Apoplexia ex Apoſtemate eſt mortalis.

Hip. 6. aph. 51. Quicunque ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, quia Apoplectici facti, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.

Vertigo, & ſcotomia in ſene vt plurimum Apoplexiam futuram denotat.

2. Aph. 42. Apoplexiam fortem ſoluere impoſsibile eſt, leuem vero non facile.

In Apoplexia vrina rubea mortem ſignificat.

Apoplexia vel citò interficit, vel in paralyſim deſinit: quapropter quotieſcunque Apoplexiæ paralyſis minimè ſuperuenerit, de ſalute infirmi ſemper deſperandum.

Cura.

Si Apoplexia fuerit à ſanguine, quod cognoſces (inquit Raſis) ſi patientis facies multum rubere, aut denigrari, aut viridis fieri uidebitur, quemadmodum contingit cum ſanguis in aliquo membro ex coarctatione retinetur: & à ſignis ſuperius deſcriptis: tunc phlebotomia ex duabus cephalicis eſt fienda, vel ex ſaphenis propter maiorem reuulſionem, præſertim ſi multa ſanguinis quantitas affuerit, & virtus, & ætas conſenſerit: quæ phlebotomia non eſt procraſtinanda, ſed cum primum vocatus fueris ſeu die, ſeu nocte, hoc remedio vti debes, & quoniam ſanguis eſt craſſus, ut faciliorem habeat exitum, vena ipſa latè ſecari debet. Copia ſanguinis, qui detrahitur, erit diuidenda, nam oportet excitare vires, non exoluere, neque calorem naturalem extinguere, (vt inquit Aetius.)

Poſt ſanguinis miſsionem.

Celſus lib. 3. cap. 27. Si non redit & motus, & mens, nihil ſpei ſupereſt: ſi redit, ſanitas quoque proſpicitur. dum itaque à uena ſanguis emanat, tangatur pulſus, faciei color, ac inſpiratio conſideratur, ſi nihil mali euenit (aliquibus interpoſitis horis) rurſus ſanguinis extractionem repetes: cuius quantitas metiatur ad habitum, ad ætatem, & uires ipſius ægrotantis. quòd ſi ætas puerilis,

rilis, vel ſenilis uenæ ſectionem prohibuerit, hirudines, & cucurbitula adhiberi debent. Sunt qui præmittant clyſterem acutum ipſi phlebotomiæ: verumtamen in hoc diſpoſitio ſanguinis eſt conſideranda, nam ſi fuerit congelatus, vel ita vt breui congelari poſſit: incipe à phlebotomia: ſecus autem incipe à clyſteri: præcipuè ſi inteſtina fœcibus referta fuerint.

Si autem Apoplexia fuerit à pituita miſta ſanguini, uel cum ſanguine educibili, pariter in principio phlebotomia fieri poteſt: Idem obſeruetur in Apoplexia ab aliis humoribus ſanguini admiſtis. At ſi nulla fuerint ſigna ſanguinem atteſtantia infraſcripto utere clyſteri: eſt enim potens ad attrahendum materiam pituitoſam à capite ad inferiora. Recipe ſaluiæ, Rutæ, abrotani, vtriusque centaureæ, origani, calaminthæ ana. m. 1. aniſorum, fœniculi, ſeſelis, ſeminis ocimi ana ℥. s. ſtœchadis, cumini, ana ℥. 1. pulpę colocynthidis ʒ. 2. Ellebori albi ʒ. 1. furfuriis. p. 1. mellis anacardini, olei coſtini ana ʒ. 3. hyeræ picræ ʒ. 2. ſalis gemmæ ʒ. 1. fiat clyſter, vel ſecundum Raſim, Recipe colocynthidis, vtriusque cyclamini, centaureæ minoris, ellebori albi ſingulorum m. 1. bulliant in tribus lib. aquæ ad duarum partium conſumptionem, inde colentur, & ex media lib. huius apozematis fiat enema: quòd ſi citò exierit, fiat iterum, donec humorum multitudo cum eo exeat.

Commendatur etiam mirifice uſus glandium, quæ ex colocynthide, agarico, elleboro nigro conficiuntur: vt ſunt, quę accipiunt hyeræ ſimpl. Galeni, colocynthidis, agarici, ellebori ſingulorum ʒ. s. ſalis gemmæ ℈. 1. omnibus in puluerem redactis, & cum melle admiſtis, fiant glandes ad digiti magnitudinem, quæ appenſo filo, vt ad libitum extrahi queant, indantur.

Poſt hæc excitantia odoramenta adhiberi debent ex caſtoreo, opopanace, galbano, ſagapeno, quibus ſimul contuſis cum aceto formetur pomum odorandum. non minus poſt alui deiectionem, & vniuerſalem purgationem, confert ſternutamentum mouere: Ideo elleborus albus, vel ſtruthium puluerizatum naribus inſuffletur. Succus Iridis potenter ſternutare facit: potentior eſt ſuccus cucumeris aſinini: potentiſ-

ſimum eſt Euphorbium. fiant interim diuerſiones frictionibus, balneis calidis ad pedes: item ligando crura, coxas, brachia, ſtringendo digitos pedum, & manus chordis, uel inſtitis: & applicando cucurbitulas ſcarificatas collo, brachiis, cruribus: item fricando crura cum ſcilla contuſa in aceto, & pilos uellendo.

Vomitus etiam, multa exiſtente in uentriculo repletione, quàm ſatietas nauſeatiua præceſſit, prouocandus eſt cum penna intincta in oleo liliaceo, vel communi, & per os vſque ad œſophagum tranſmiſſa: qui uomitus confert primò quia prohibet uapores malos eleuari à ventriculo ad cerebrum. ſecundò quia per illius uiolentiam expergiſcitur, & aliquo pacto reuiuiſcit ſenſus, & motus. tertiò quia agitatio in uomitu calefacit caput patientis, attenuat humores pituitoſos, mouet materiam, quæ eſt in cerebro, ad ueclociorem deſcenſum diſponit.

auic.

Perſeuerante morbo optimè factum fuerit ſi æger aliquod purgans medicamentum deglutierit. pilulæ de euphorbio (inquit princeps) ſunt, in quibus habetur fiducia: item pilulæ cochiæ, & arabicæ, iis admiſce tantillum agarici, ellebori nigri, uel turbit, ut pituita facilius à capite educatur.

A purgatione caput prius abraſum irrigandum erit ex decocto chamæmeli, Amaraci, origani, anethi, calaminthæ abrotani. poſtea fouendum ſacculis refertis puluere caryophyllorum, nucis moſchatæ, chamædyos, chamæpityos, acori, hoc pacto, Recipe caryophyllorum, macis, nucis moſchatæ, acori, ana ℥.s. chamæpityos, chamædryos, amaraci ana ℥.1. conterantur craſſo modo, & in ſacculo ex tela tenui conſuantur, quibus ſæpius calefactis caput foue: hincque ipſum, & totum dorſum inunge oleo rutaceo, uel de cucumere aſinino, uel de caſtoreo, uel ſcillitico, & ſimilibus. Verumtamen circa unctiones duo obſeruabis: primum ut olea adminiſtrentur cum cera ſimul liquefacta, ſic enim diutius loco affecto adhærent. ſecundum, ut à debilioribus unctionibus incipias: dantur gradus in illis: & quæ ſunt debiliora in hac ægritudine, ſunt fortia in multis aliis: ab iis igitur, quæ ſunt debiliora in hac ægritudine incipiendum: unde à Raſi benè ſcriptum eſt, ſi hæc debilia

bilia non suffecerint in medicando plus laborabitur: caput itaque rademus, & ex sinapi trito, & castoreo, & fortissimo aceto liniemus. uel, Recipe Galbani, sagapeni, opopanacis euphorbij, pyrethri, sinapis, castorei, trium piperum ana ʒ. 2. sulphuris ʒ. i. s. terebinthinæ ℥. i. puluerizanda puluerizentur, alia uero liquefiant, & omnia simul mista ad formam emplastri super corium extendantur, & capiti applicentur, actu calida.

His non proficientibus, accipiatur sartago, uel galea ferrea, uel aenea, & ignita super caput suspensa per spatium dimidiæ horæ, uel paulò minus detineatur, ita ut caput minimè tangat, sed calefaciat, & capillorum summitates (ni abrasi fuerint) ferè comburat.

Omni ingenio præterea certandum est, vt Electuarium anacardinum cum hydromelle per os ad stomachum descendat: cuius dosis singulo die sit ʒ. i. prouocat enim febrem, quæ præsentaneum remedium in hoc affectu esse solet: & materiam pituitosam exiccat, & resoluit. caue tamen ab huiusmodi confectione in regionibus, & temporibus calidis, & in Apoplexia cũ apostemate, & febri associata. Dubitatur an febris in Apoplexia Conferat: & uidetur, quòd non per Auicen. cap. de Apoplexia: ubi dicit febrem in Apoplexia denotare Apostema in cerebro, quod est malum signum: In oppositum argumentatur, nam febris superueniens conuulsioni bonum: consequentia ualet à simili, antecedens est Hip. dicunt, quòd febris in Apoplexia duobus modis euenire potest, primò ratione apostematis in cerebro conflati, & tunc lethalis est: secundò febris in Apoplexia superuenire potest propter medicamenta calida artificiosè, ob hanc intentionem exhibita, & sic febris in Apoplexia confert.

2. aph. 26.

Quòd si ob tempus nimis calidum, vsus confectionis anacardinę nimis suspectus fuerit, eius loco detur theriaca, uel mithridatium, aut castoreum cum hydromele: & æger in se reuersus vtatur gargarismatibus, ut, Recipe hyssopi, thymi, calaminthæ, origani, pulegij, absinthij ana m. i. coquantur in tribus lib. aceti ad tertiæ partis consumptionem, inde colentur, & iuri colato addantur mellis ℥. 4. iterum bulliant,

liant, & fiat gargarisma. Item utatur Apophlegmatismis, vt, Recipe staphidis agriæ, pyrethri, piperis, ana ʒ. s. origani ʒ. i. castorei ℈. 1. mastiches ʒ. 1. passularum ʒ. 2. ceræ albæ parum, misce, & fiant trochis. mansiles cum oximelite.

In morbi declinatione ducatur ad balneum calidum, & siccum, acreum: in quo sudare possit: præsertim (inquit Aui.) post tres hebdomadas: sed quomodo post tres hebdomadas? cum hæc passio per Galenum septem diebus finem habeat? dicas cum Apoplexia sit morbus seuus, & peracutus septimum diem non transcendit: nam uel ad mortem, uel ad paralysim terminatur: quare balneum terminanti ad mortem non conuenit: verum conuenit terminanti ad paralysim. post balneum inungatur oleo de spica, laurino, vulpino, de costo, de castoreo, & simili caput, collum, spondyli, & totum latus paralysi affectum.

6. aph. 51.

Vtatur exercitio moderato, quòd si ob paralysim pedibus minimè ualeret, uehatur curru, rheda, lectica, uel equitet. denique sciendum est, quòd cura huius passionis prorogari non debet, nam post duodecim horas irritam, & uanam vt plurimum experieris: ideo accelerandum est. præterea omnis tuus conatus sit, vt in paralysim desinat. paralysis enim ultra quòd maiores dat indutias ad operandum: est etiam affectus mitior, & tutior.

Ratio uictus omnibus aliis remediis est post ponenda: ad quid enim præscribere uictum in morbis acutissimis? in quibus non conuenit? & in quibus satius est omnimodam inediam imperare vsque ad crisim, quàm cibis indulgere? ante crisim igitur erit contentus aqua mellis, uel oximel simpl. si Apoplexia fuerit à pituita, uel à melancholia: si autem fuerit à sanguine exhibeatur aqua hordei, uel aqua lactis, uel ptisana tenuis, uel ius pulli. post crisim, ægro conualescente, conceditur panis in iure pulli: item caro pullorum, turturum, perdicum, columborum, & auium in montibus degentium. Item ouorum recentium uitelli tremuli, & sorbiles. eius fercula condiantur amaraco, satureia, serpyllo, calamintha, hyssopo, & saluiæ foliis. potus tutior erit aqua mulsa, aut apomeli cum speciebus, à uino cauendum est: in de-

clinatione

clinatione conceditur optime lymphatum, & oligophoron. Somnus sit nocturnus, & interruptus, post duas, uel tres horas à Cœna, non supinus, sed modo super dextrum, modo super sinistrum latus, capite, & spatulis eleuatis. Alui excrementa quotidiè deponat per se, uel arte irritatus, & in aere ad calidum vergente maneat, hęc de cura Apoplexiæ à sanguine, à pituita, & à melancholia breuiter dicta sint: nam à bile nunquàm, uel raro accidit. Si autem fuerit à causa primitiua, remoue causam, & impressionem ab ea factam. Si fuerit per consensum curabitur, curato membro consentiente. Si fuerit à mala temperie sine materia curabitur cum alterantibus ad contrarium.

Sectionis primæ.

Libri secundi Finis.

DOMINICI LEONI LVNENSIS

Artis medendi humanos, particularesq; morbos à capite vsque ad pedes, Sectionis primæ

LIBER TERTIVS.

Περὶ παραλύσεως.

De Paralysi, seu resolutione neruorum. Cap. I.

DE paralysi, pariterque de cæteris neruorum diuersis affectibus pertractaturus, lucidiorem doctrinam fore arbitror, si prius de essentia, figura, vsu, & origine neruorum, deque spinali medulla pauca proposuero quæ tyrones præsentis materiæ aliquo pacto instructus reddere possint.

Est autem Neruus instrumentum: per quod sensus, & motus ad vniuersum corpus defertur: vnde quæ neruis carent sensu quoque destituuntur. figura nerui oblonga est, seu teres, substantia mollis, & porosa, vt per eam spiritus animales penetrationem habeant: tenui, & crassa membrana ob maio-

rem tutelã inuoluitur ducũtur nerui per vniuersum corpus instar riuorũ à magno flumine ad diuersas partes deriuatorum, origo neruorũ est à cerebro, & à dorsali medulla de cerebri septẽ neruorũ paribus dictũ est in principio cũ de capitis anatome ageretur đ neruis q̃ à spinali medulla oriũtur, nũc dicẽdũ.

Est autem medulla spinalis portio illa cerebri oblonga: quæ per uertebras, seu spondylos progressa in os, quod græcè κοκυξ, vulgo cauda uocatum, desinit.

A cerebro similis arteriæ magnæ à corde, & venæ cauæ ab hepatæ, hic truncus medulla spinalis, passim nucha vocatus, producitur: quæ durorum neruorum est principium: ob eamque causam ipsa cerebro multo est durior: & quàmuis eadem cum cerebro sit substantia frigida scilicet, & humida, viscida que: in duobus tamen à cerebro differt: nam primo cerebrum diastolem, & sistolem habet instar cordis: at spinalis medula motu caret. Secundo, per ossa, quæ mouentur, deferri hanc medullam uidemus: stabilia autem sunt cerebrum ambientia ipsius cranei ossa.

Hæc spinalis medulla ueluti fluuius quidam ex cerebro, tanquàm à maximo lacu emanans, locis omnibus, quæ præterit, neruum immittit, sensus, ac motus riuulum. neruos sexaginta, per singulorum spondylorum foramina singulos promit: qui motibus partium omnium, quæ sunt sub capite primum, & maximè præsunt, dein sensui tactus omnibus communi. ab hac neruos recipiunt pedes, ac summæ manus, totiq; artus, & aliæ partes omnes, quæ sunt sub facie, præterquam intestina, uiscera, & uocis instrumenta: quæ à cerebro neruos accipere satis constat.

Spina ipsa est ueluti carina totius corporis: & uiginti quatur spondylis, seu uertebris instructa est, pręter os sacrum, cuius ossa inter uertebras non annumerantur: quæ si plures, pauciores ve quandoque inueniuntur, pręter naturam sunt, nam ceruix constat uertebris septem: thorax uertebris duodecim: regio lumborum uertebris quinque: omnium igitur numerus erit uiginti quatuor: quæ spina, ut nonnullis placet diuisa est in duas medietates per membranam tenuissimam, & imperceptibilem, ne vna parte læsa, alia quoque læderetur:

lęderetur: hinc est, quòd aliquando paralysis infestat unam partem, incolumi alia existente.

Erit itaque paralysis, neruorum resolutio, seu mollificatio, seu relaxatio, seu eneruatio: quæ si fuerit uniuersalis, ita ut omnes nerui tum sensum tum motum amittant apoplexia dicetur: Si uero fuerit particularis, ubi scilicet alteri laterum, aut dextro, aut sinistro acciderit, resolutio absolutè nominabitur, eius scilicet partis, in qua consistit affectus: interdum dextræ, interdum sinistræ, aliquando omnium corporis partium prẹter faciei. quòd si in aliquo membrorum id euenerit, eiusdem membri resolutio appellabitur, ut manus, aut pedis, aut oculi, aut linguę, aut labri resolutio. Verum quoniam in neruorum resolutione interdum sensus, interdum motus deperditur nonnunquàm ambo simul pereunt, Dubitatur quando resolutio dici debeat: huic dubitationi respondens Galenus inquit, neruorum resolutio potissimum dicitur ubi motus deperditus est: ubi uero partium aliquarum sensus perit, eam partem sensus expertem, resolutam vero non adeò dicere consueuimus: quamquàm sunt nonnulli, qui hanc affectionem sensus resolutionem vocitent. Ea verò resolutio, quæ Apoplexiam sequitur, vel in quàm Apoplexia vt plurimum desinit παραπληγιαν Galenus appellat: non nulli hemiplexiam, vel semiapoplexiam dicere solent. absolutè tamen quod ab Auctoribus assequi possum, proferendo, paralysis proprie significat amissionem sensus, & motus non in toto corpore, sed in aliquo membro particulari, uel in altero latere. Improprie autem aliquando denotat amissionem solius sensus: aliquando solius motus. paralysis si considerabitur ut actio Abolita uirtutis sensitiuæ, & motiuæ, erit symptoma: si autem considerabitur vt obstructio neruorum, vel eorum elongatio, erit morbus in uia, & quantitate.

De loc. affect. 3. cap. 10.

De uict. in acut. 4. tex. 23.

Quæritur cur in paralysi aliquando deperditur motus illæso seruato sensu: aliquando deperditur sensus seruato motu: & tamen vtraque facultas, & sentiendi, & mouendi à cerebro ceu à fonte communi emanat. hoc autem est quia aliqui nerui destinati sunt ad sensum, & hi molliores, & magis inualidi, nam sensus tactus est in patiendo, non in agendo, quare

minori uirtute indiget. aliqui verò sunt destinati ad motum, & hi duriores, validioresque, nam motus est in agendo, ad quem maior uirtus requiritur, quæ facilè impediri potest, & facilius quàm sensitiua. Ideo si spiritus animales pro motu, uel pro sensu perficiendo delegati in itinere intercipiuntur, statim cessat motus, uel sensus, quòd si læsio fuerit, & in neruis sensitiuis, & motiuis, sensus, & motus peribit. Verum nunquàm (dicebat Galenus) deprehendes musculum vllum moueri, ut idem non sentiat: at si superiacens musculo cutis sensum amisit, ipse autem moueatur, nihil est, quòd mirere: veluti nec si duorum musculorum alter moueatur, alter moueri non possit, aut altero sentiente, alter sit insensibilis: sicut enim in iis alterius læsum neruum esse, alterius integrum licet: sic is, qui in cutem dispergitur, iniuria affectus esse potest, qui autem in musculum minimè esse affectus: contraque qui in cutem spargitur nullam esse passus iniuriam: qui in musculo est, non esse noxæ expers.

De symp cau. primo. cap. v.

Differt paralysis à conuulsione, quia in paralysi neruus extenditur in longum, & minuitur in latitudine, nam materia paralysim causans est fluida, aquosa, per porositates penetrans, vt patet in corio madefacto. Sed in conuulsione neruus, seu musculus minuitur in longitudine, & in se ipsum contrahitur, in latitudine autem quia materia est uiscida, & crassa non fluens extenditur. Secundò differunt quia in paralysi pars affecta, & resoluta sequitur partem sanam. sed in conuulsione pars affecta trahit ad se partem sanam. Conueniunt, quia in vtraque aufertur sensus, & motus. loquor de conuulsione in facto esse: nam in fieri est motus contractionis. paralysis diuiditur quia quandoque fit incipiendo per se quandoque aliis succedit ægritudinibus per uiam crisis, vt Apoplexiæ, Epilepsiæ, colicæ, febribus, pleuritidi & similibus. Item diuiditur quia aliquando est materialis, aliquando immaterialis. Item quia aliquando prouenit à causa extrinseca: aliquando à causa intrinseca, pariter diuiditur secundum humorum diuersitates, à quibus conflari potest.

Differentia. 183.

Dubitatur cuius lateris paralysis sit peior an dextri, uel sinistri: scribit Conciliator. quòd paralysis lateris dextri difficilius

cilius curatur nam morbus, qui nullum habet symbolum cum parte affecta, semper est sæuior, sed talis est paralysis in latere dextro, quod est calidius, paralysis autem est passio frigida. præterea paralysis est difficilioris curę in qua magis debilitatur fons caloris, & nutrimenti, at hoc contingit ob eam, quę est in latere dextro: debilitatur enim cor, quod partem dextram respicit: Item debilitatur hepar in parte dextra situm. Insuper paralysis difficilius curatur, quæ maiorem aggregat materiam: sed paralysis in latere dextro est huiusmodi: illa enim pars est rarior, & magis disposita ad suscipiendum materiam.

Dicas hæc verificari in paralysi unius totius lateris à capite, vel nucha vsque ad pedem: non in paralysi particulari unius membri, vt manus, uel pedis, in qua cor, hepar, & medulla spinalis manet illæsa: vnde contingere posset, vt talis paralysis in latere dextro facilioris esset curationis, sicut est podagra, & Ischias pedis dextri.

Dispositi ad paralysim sunt ipsi senes, & in primo senio constituti: item qui neruos habent debiles: & qui temperiem frigidam, & humidam sortiti sunt, vel à natura, vel ab ætate, vel à victu præcedenti frigido, & humido, vel ab arte veluti fullonia, piscatoria, & simili. paralysis euenit vt plurimum hyemali tempore: regione septemtrionali: quandoque etiam meridionali: venti enim inde flantes caput replent.

Causa.

Causa primitiua resolutionis neruorum in primis est aeris frigiditas coarctans, & attenuatoriè obstruens spirituum vias, ipsosque torpidos, & congelatos reddens. pariter excedens caliditas ipsos exhalare faciens. Item superflua humiditas neruos nimis emolliens. Cibi pituitam aggregantes, vt caro porcina, pisces, multa fructuum ingurgitatio, crapula, ebrietas replens caput, & cerebrum debilitans: vinum enim vinosum in multa haustum quantitate cum probè non possit concoqui, penetrat ad neruos, ibique acescit, & illis vt acetum nocet: hinc bene dictum est.

Vt venus eneruat vires sic copia vini. Item casus ab alto, percussio super caput, vel super nucham, spondylorum luxa-

tio, neruorum attrictio, scissio, obtruncatio: arteriarum ruptura, per quas cum spiritus vitalis deferri non queat, non modo paralysis, uerum membri mortificatio causari potest. pariter somnus, præsertim diurnus, & immediate post multam repletionem. quies immodica motus laboriosus per extensionem, vel per constrictionem: ligatura obstruens coarctatorie. nimis frequentata uenus, & post crapulam. Ira. timor. mœstitia.

Causa antecedens sunt humores pituitosi, crassi, & viscidi, uel sanguinei, uel melancholici.

Causa coniuncta sunt idemmet humores actu obstruentes, & impedientes ne virtus cerebri deferatur ad neruos, vt illis sensum, & motum largiatur. Item mala temperies membri paralytici nimis lapsa ad calidum, vel frigidum: humidum, vel siccum. uerum mala temperies calida, & sicca, nisi multum excesserit, rarò impediet sensum, & motum: ut patet in ipsis hecticis, in quibus maxima est siccitas, & caliditas: & tamen remanet motus, & sensus: omnis tamen mala temperies excedens actum propriæ uirtutis deiicit. At mala temperies frigida, & humida, facile sensum, & motum impedire potest: nam ob frigiditatem contrariatur spiritui, & sensum stupefacit: ob humiditatem neruos relaxat, unde fiunt impotentes ad motum. Item causa immediata potest esse nocumentum in spiritu uitali, aut animali, uel quia sit nimis crassus, aut mala qualitate manifesta, uel occulta affectus: aut nimis paucus, & ineptus ad præstandum sensum, & motum: aut non transiens, & penetrans ad membra propter impedimentum in uiis, & porositatibus: quod impedimentum erit, uel à solutione continui, uel à consolidatione callosa in ipso continuo destruente nerui, aut arteriæ porositatem. uel ab ipsa obstructione, quæ si fuerit in uno latere uentriculorum cerebri, & in uiis ducentibus ad originem neruorum illius lateris, tunc medietas capitis, & totum illud latus usque ad pedes paralysi infestabitur, & æger habebit loquelam semiimpeditam.

Si autem fuerit solum in uentriculo posteriori, in parte dextra, uel sinistra fiet paralysis lateris dextri, aut sinistri infra ceruicem, toto vultu incolumi permanente.

Si uero obstructio fuerit in uentriculo posteriori, & in tota origine medullæ spinalis, tunc absque faciei detrimento, totum corpus paralysim patietur, erit tamen cutis capitis stupida, quoniam nerui per eam disseminati ducunt originem à ceruice. huiusmodi paralysim ego curaui in quodam rustico Bononiensi Christophoreo uocato, cuius filium Lucam postea ad sacrum baptismatis fontem in ulnis habui: hic enim mouebat caput, & loquebatur, reliquum corporis sensu, & motum erat destitutum.

Quòd si fuerit obstructio in cerebro anteriori, & medio secundum partem dextram, uel sinistram, fiet paralysis in dextra, aut sinistra parte faciei, & tamen reliquum corpus erit sanum.

Sin fuerit in spinali medulla, non autem in eius origine, sed in uno ex spondylibus colli, tunc pectoris dilatatione impedita citò æger morietur.

Si erit in spondylibus infra pectus, neque fœces, neque urinam retinere, uel expellere poterit.

Denique si accidat quandam determinatam partem resolutam esse, ea inuestiganda pars erit, à qua neruos suscipit: id quod in anatome exercitatus haud obscure inueniet.

Signa.

Paralysis futura cognoscitur à motus difficultate, capitis grauedine, membrorum stupore, tremore, & palpitatione: sensus turbatione, & debilitate: stridore dentium in somno, & à forti capitis dolore subito superuenienti.

Scribit Gordonius, si pueri febricitantis urina uiridis fuerit, paralysim, aut spasmum futurum denuntiat. omnes enim urinę uirides arguunt frigiditatem, & mortificationē caloris.

Ad cognoscendam paralysim pręsentem, (inquit Rasis,) cum aliquis se mouere non potest, aut unum, uel plura ex membris non mouet, atque eorum sensum amisit, dicimus ipsum paralysim incurrisse: cuius pulsus generaliter erit tardus, & rarus, aliquando tamen propter deiectionem uirtutis erit multum debilis, & frequens, & talis frequentia erit intercalata, hoc est modo percipitur, modo non percipitur, secundum quòd uirtus magis, uel minus cadit: & quandoque (inquit

 Auic.)

Auic.) accidit ut paralyticus habeat latus ſanum ita calidum ac ſi eſſet in igne:& latus reſolutum frigidum, ac ſi eſſet in niue:cuius effectus triplex cauſa asſignatur, prima quia poteſt ſuperuenire febris, quæ incendat partem ſanam, & liquefaciens pituitam in parte ægra ſenſum frigiditatis inducat. ſecũda in uenis paralytici poſſunt eſſe humores pituitoſi, & bilioſi, & pituitoſi ad latus ægrum impulſi reddunt ipſum frigidum: bilioſi uero in latere ſano exiſtentes calefaciunt. tertia, obſtructio partis ægræ excludit ſpiritus uitales, & animales, neque ad ipſam peruenire concedit, per quorum remotionem euadit frigida: pars autem ſana non modo admittit portionem ſpirituum ſibi debitorum, uerum etiam portionem debitam parti ægræ: unde ex affluxu ſpirituum duplicatorum pars ſana magis incaleſcit: hinc etiam euenit, quòd pulſus unius lateris eſt diuerſus à pulſu alterius, nam in brachio affecto percipitur tardus, & rarus: in latere autem ſano eſt magnus, uelox, & frequens, ſecundum porportionem caliditatis eius.

Vrina uero ut plurimum apparet alba, & tenuis propter obſtructionem: aliquando tamen in minori obſtructione emittitur craſſa ob pituitæ multitudinem cum ea effluentem: aliquando emittitur rubea ob quatuor cauſas: prima ſecundum Auic. eſt renum debilitas in ſegregando ſanguinem à ſeroſitate, ſecunda eſt debilitas uenarum hepatis in attractione, & mundificatione ſanguinis ab aquoſitate, quę aquoſitas permanens tincta, & infecta ſanguine, mingitur rubea. tertia eſt dolor in renibus, & partibus uicinis. quarta eſt aliqua ægritudo renum, per quàm urina fieri poteſt rubea.

Adde aliud ſignum oculus in latere paralytico minoratur ob nutrimenti deffectum: quod contingit non ſolum ipſi oculo, uerum manui, brachio, & uniuerſo lateri.

Signa paralyſis à caſu, contuſione, ligatura, nerui ſectione, & ab huiuſmodi cauſis extrinſecis ſunt nota per ipſarum cauſarum cognitione.

Signa paralyſis à cauſa intrinſeca hoc pacto cognoſcuntur, quia ſi affectus fuerit à mala temperie calida, uel frigida, humida, uel ſicca, tactu percipies caliditatem, uel frigiditatem,

tem, mollitiem, uel asperitatem, & hoc æger se percipere fatebitur: quæ signa fient quoque manifesta ex remediis conferentibus, & nocentibus: item ex causis, quæ præcessere talem temperiem inducere potentibus: Item à propria membri temperie totiusque corporis: pariter à regione, ætate, tempore, & victu præcedenti.

Signa paralysis à pituita, ostendit color albus in membro, redundantia pituitæ in toto corpore: & excrementa pituitosa.

Signa paralysis à sanguine sunt color corporis rubeus, uenæ tensæ, & emergentes, & cætera dominium sanguinis denotantia.

Signa paralysis à melancholia sunt manifesta à colore membri, & totius corporis nigro, liuido, & à naturali patientis temperie melancholica.

Signa paralysis criticæ sunt, quia aliis successit ægritudinibus, quæ diminutæ, uel ablatæ fuerunt, facta in paralysim permutatione.

Prognostica.

Paralysis causata à contusione, casu, & incisione nerui, spondylium luxatione est deterior, ita enim permanebit, neque unquàm curabitur. Rasis.

Paralysis in Iuuene à materia frigida, & humida difficilius curatur propter dissimilitudinem morbi ad naturam ipsius Iuuenis.

Membrum paralysi affectum si extenuatur, & eius naturalis color permutatur nullam admittit curationem, non enim facultate animali duntaxat priuatum est, uerum & natuali, & fortasse etiam uitali.

Paralysis raro terminatur ad alias ægritudines: at ipsa sæpissime est crisis, & terminus multarum aliarum, vt Apoplexiæ, Epilepsiæ, colicæ, suffocationis matricis, febrium chronicarum, lithargiæ, phrenitidis, & huiusmodi morborum acutorum cum apostemate cerebri. febris Ephimera paralysi superueniens bonum.

Vox in paralysi deficiens malum, denotat enim quòd morbus neruis gutturis est communicatus.

Tremor

Tremor in paralysi superueniens bonus, quoniam per tremorem significatur meatuum apertio, per quos spiritus portio ad aliqualem motum sufficiens pertransire potest.

Inter membra resoluta quodcunque fuerit actu calidius sensum, & motum facilius etiam recipiet.

Paralysis in decrepito nunquàm perfectè curabitur. parilysis inueterata, uidelicet post annum, pariter incurabilis est.

Cura.

In principio cura paralysis blanda esse debet: qui enim accelerant cum medicinis fortibus motum, naturæ impediunt, & curam in longum tempus distrahunt, desperatamque reddunt. Primò igitur die ęger ieiunet, uel solo hydromele nutriatur: secundo hydromel, & ouum tremulum cum puluere saluiæ assumat: & aluus clysteri ex iure pulli cum saccharo rubeo, & pauco sale, uel suppositorio lubrica reddatur. Sequentibus quatuor diebus ultra syrupum in aurora propinandum, uescatur pane in iure pulli diluto, & ouo sorbili cum puluere saluię. à septimo vsque ad decimumquartum diem si esset debilis, ut potè largiori cibo tempore sanitatis assuetus, alæ pullorum, uel carnes paruarum auium concedi poterunt. Interim alternis diebus fæces educantur clysteri ex decocto hyssopi, saluiæ, stæchadis chamæmeli, agarici, oleo rutaceo, & saccharo rubeo, addendo (si espediens uidebitur) ℥.s. hyeræ simpli. & in processu temporis addendo prædictis vtriusque centaureæ m.i. & pro hyera simpl. hyeralogodionis ℥.s. salis gemmæ ʒ.ʒ. octauo die ante prandium per sex horas deglutiat huiusmodi pilulas: quę recipiunt specierum hyeræ simpli. ℈. 2. agarici præparati in oximel. scyllitico ℈. 1. fiant pilulæ num. 7. hæc summatim, & generaliter, ne error in principio committatur, dicta sint.

Quæ vero in progressu obseruari debent, prolixius, & exactius scribere libet. exordiar itaque à paralysi, quàm frigidi, crassi, ac uiscidi succi causare solent, hæc enim omnibus aliis resolutionibus frequentior est: & uictum magis tenuem, siccioremque exposcere uidetur: ut Aetio, & Aeginetæ placuit: quare in aere calido, claro, & sicco ęgrum collocabis: si talem aerem anni tempus permiserit: si minus, arte conficies.

Cibus

Cibus erit panis ex optima farina benè fermentatus, & coctus, cum fœniculo, uel aniſo apparatus. Conueniunt carnes pullorum, perdicum, phaſianorum, turturum, palumborum, paſſerum, & paruarum auium in montibus degentiũ, potius aſſatæ, quam elixæ, & niſi febris impedierit, cinnamomo, pipere, & huiuſmodi conditæ aromatibus. carnes bouinæ, uerucis, uituli, leporum, cuniculorum, capreolorum non laudantur, neque porcinæ recentes, nam ſalitæ for taſſis aliquando admitti poſſent. piſcium, ſi fieri poteſt, nullus ſit uſus, ægro tamen moroſo in pauca quantitate ſaxatiles conceduntur conditi mentha, origano, uel pipere: uel ſaliti. lac, & omnia ex lacte cibaria improbantur. Item fructus omnes horarij: conceduntur tamen caricæ, paſſulæ, vuæ penſiles, amigdalæ dulces, & amaræ, auellanæ, nuclei pinei, piſtacia, & cotonea mala. Inter legumina ſolus cicer, & magis ius eius, in quo mentha, uel ſaluia, uel roſmarinus fuerit coctus, probatur. Inter herbas uero petroſelinum, fœniculum ſaluia, hyſſopum, mentha, ſerpyllum, amaracus, roſmarinus, aſparagus, pulegium, betonica, nepetaque concedi debet. caueat à butyro, ſed eius uicem ſuppleat oleum oliuarum antiquum.

Potus ſit aqua mellis, cui, ſi libuerit, color uini concilietur cum ſucco mali punici dulcis, uel utatur potu, qui uulgo a Medicis Hippocras appellatur: accipit enim cinnamomi ℥.ij. gingiberis ℥. s. piperis longi, granorum paradiſi, galangæ ana ʒ.1. cardamomi ʒ.1.s. nucis moſchatæ, caryophyllorum, macis ſingulorum ʒ.1. coquantur in ſex lib. aquæ fontis ad conſumptionem quartæ partis, Ius decocti refrigeratum colectur cum expreſſione, & ſacchari lib.5. dulce pro potu reddatur.

A uino, quantum poteſt, abſtineat: uinum enim inimicum neruis, & oculis: ſi uero propter ætatem, aut conſuetudinem hoc fieri non poſſet: eligatur uinum rubeum, antiquum, quod aqua roſmarini ſemper optime lymphatum propinetur: uel uinum album, pauciferum lymphatum aqua, in qua due, uel tria grana paradiſi prius fuerint decocta. ſitim, & inediam ſuſtineat, nam in hoc affectu nihil perniciosius quam nimia cibi,

&

& potus repletio: uitet pariter aquam frigidam, & potum supra cibum.

Exerceatur post notabiles purgationes, si possibile est, uel frictiones subeant uicem exercitij: & hæ fiant ante prandium, uel cœnam Ieiuno stomacho super dorsum, brachra, uentrem, nates, coxas, & crura: Incipiendo a spatulis, & descendo ad pedes.

Somnus, ad summum non excedat sex, uel septem horas, sitque nocturnus, non autem diurnus, sitque capite, & partibus superioribus aliquantulum eleuatis, & stragulis benè opertis, & contra algoris sæuitiam optimè munitis.

Beneficium uentris quotidiè habeat: & quoniam paralyticis aluus astricta esse solet, indantur clysteria, uel suppositoria acuta, materiam à partibus longinquis euocantia.

His sic obseruatis superest in hac cura secundum medicinæ Instrumentum: ipsa scilicet pharmacia: circa quam emergunt quatuor intentiones: prima digerit materiam peccantem: secunda euacuat: tertia diuertit: quarta malam tollit discrasiam, & membrum affectum corroborat, & si quod adest residui materiæ resoluit.

Prima intẽtio proficitur Syrupho Dinarij, seu de bizantijs tam simplici quam composito: de hyssopo, de stœchade simplicj, & composito, cum aqua rosmarini, uel saluiæ, uel betonicæ, uel decocto passularum, acori, stœchadis, & similium. syrupus de Iua arthritica postquàm materia minorata fuerit, oportunè exhibetur: sic ipsum conficies, Recipe Iuæ m. ij. saluiæ, amaraci, rosmarini, polij, origani, calaminthæ, menthastri, pulegij, hyssopi, thymi, rutæ syluestris, & domesticæ, betonicæ, serpylli singulorum m. i. radicum acori, aristolochiæ peucedani, ualerianæ, brioniæ, gentianæ, dictamni ana ℥.s. radicum fœniculi, petroselini, Apij, asparagi, rusci ana ℥.1. stœchadis, anisi, fœniculi, ligustici, ammios, carui, sileris montani ana ʒ. 3. pyrethri ℥.s. passularũ ℥.2. bulliãt omnia in Iusta quãtitate aquæ ad cõsumptionem quartę partis: inde colẽtur, & iuri colato adde mellis. q.s. iterũ bulliat, & despumetur, & cũ nuce moschata, cinnamomo, cubebis puluerizatis, & admistis, syrupus aromaticus reddatur

hinc.

hinc secunda insurgit intentio, quæ materiam concoctam, & præparatam euacuat partim sensibiliter, partim insensibiliter. euacuatio sensibilis erit, aut per secessum, aut per uomitum, aut per urinam, aut per sudorem. per secessum quilibet humor peccans commodius educi poterit: uerum quia paralysis raro fit à bile, & ab humore melancholico, sæpissimæ autem, & ferè semper à pituita ideo Autores in hoc affectu medicinas pituitam educentes solummodò describere solent. faciunt itaque ad hanc intentionem pilulæ fœtidæ, & cochiæ Rasis: item hyera cum agarico: item hyeralogodion, & similia.

Per uomitũ non ita securè ut per secessum euacuamus, uomitus enim est motus difficilis, & laboriosus iis, qui non sunt assueti: & quamuis sit modus expurgãdi utilis caueant tamen à forti uomitiuo, & præsertim hyemali tempore. Vomentibus facilè, & assuetis, potest uomitus in quolibet tempore excitari cum medicinis humores pituitosos educentibus: primò cum debilioribus, postea propè declinationem cum uehementioribus: laudatur succus raphani in quo per diem naturalem radices ellebori infusæ fuerint. item succus raphani, & succus radicis ellebori albi æquis portionibus cum oximelite propinatus. per urinã euacuabis post omnes alias euacuationes diuretica exhibendo: caue tamen ne humores crassos à uiis latioribus ad uias urinæ deducas, maiorem enim causares obstructionem. per sudorem etiam fit euacuatio (præmissis omnibus aliis euacuationibus) qui sudor prouocatur cum interius assumptis, & exterius adhibendis. in potu accepta sudores excludũt (inquit Aetius) cuminum, baccę lauri, anisum, Vitex, serpyllum, calamintha, polium, raphani cortex comestus, costus, sisymbrium, dictamnum, iunci odorati decoctum, succus cyrenaicus, belzuinum uocant, ciceris magnitudine deuoratus, chamędrys cum aqua mulsa, centaurij magni radix, cortex radicis capparis, ligusticum, petroselinum, nigella: hæc aliquando cum uino, aliquando cum mulsa bibuntur: sed & pistacia comesta sudores citra molestiam cient: extrinsecus illita sudores mouent nitrum cum oleo, unguẽtum irinum, anethinum, chamæmelinum laurinum, rapha

ninum,

ninum, myrobalaninum: althea, coſtus, Ariſtolochia, cala mus aromaticus, ſingula cum oleo cocta. ſuffita uero ſudores mouent caſtrorium cum pulegio, bodellium, uiticis ſemen. Inſenſibilis euacuatio cum balneis, embrocis, emplaſtris, & inunctionibus reſoluentibus.

Tertia intentio, quæ uerſatur circa diuerſionem materiæ, perficitur gargariſmatibus, caput purgiis, & maſticatoriis, aliiſque diuerſionum modis pituitam à capite ducentibus: de quibus ſupra in cap. de Apoplexia, & Epilepſia ſatis dictum eſt. ſub Quarta intentione continetur capitis diſcraſiæ alteratio, ipſiuſque corroboratio, hoc enim (ut Aetius teſtatur) eſt radix, & principium totius affectionis: Vnde utiliſſima eſt poſt purgationes Theriaca, mitridatium ad pōdus. ʒ. i. ſingulo die exhibita. uel, Recipe pliriſarcoticon, diamoſchu dulcis, diambræ ana ℈. i. pulueris hirundinis præparati ʒ. s. ſeminum coriandrorū præparatorū ʒ. i. Sacchari ros ʒ. iij. cū ſaccharo disſoluto in aqua Saluiæ fiant rotulę, quarū unam, uel duas, uel tres per plures dies pro uice deglutiat. Elect. conueniens, quo uti poterit inter euacuationem, & euacuationem ante cibum, Recipe Xiloaloes, cinnamoni, corticum citri, gingiberis, galangæ ana ʒ. i. macis, caryophyllorum, croci, doronici ana ℈. i. nucleorum pini, paſſularum ana ℥. s. ſacchari lib. s. diſſoluatur ſaccharum in decoctione ſtœcadis, Amaraci, ſaluiæ, primulæ ueris, & fiat electuarium, cuius doſis ſit ℥. s. cum aqua ſtillaticia ſaluiæ, uel Amaraci. Aliud ad pondus ℈. i. pro uice in aurora aſſumendum, Recipe caſtorei, aſſæ fœtidę, ana ℈. s. ligni aloes ℈. i. Mitridatij antiquioris ℈. ii. s. miſ. nonnunquam exhibeatur Elect. de piperibus, diagingiber, diaxiloaloes, & huiuſmodi alia.

Et quoniam febris in hoc affectu ſalutaris eſſe ſolet exiccando materias frigidas pituitoſas, accerſenda eſt (niſi per ſe prius ſuperuenerit.) per aſſumptionem confect. Anacardinæ: cuius deſcriptionem dedit Raſis, quæ non modo paralyſi, uerum Apoplexiæ, torturæ oris, tremori, conuulſioni humidæ, & omnibus paſsionibus frigidis confert. exhibetur, mane ieiuno ſtomacho ad pondus. ʒ. I. uel paulo plus cum ℥. I. hydromelis.

Quòd

Quòd si prædicta non suffecerint: æger (inquit Rasis) per decem dies ab omni medicamine, excepta diæta, abstineat: deinde ad interpositam curam redeundum.

Exterius post purgationem, diuersionem, & discrasiæ alterationem, adhibentur quæ resoluunt, desiccant, & reliquias materiæ absumunt, ab interioribus ad exteriora, à profundo ad cutim materiam attrahunt: & ad membra debilia spiritum, & calorem reuocant, illaque corroborant.

Conuenit oleum chamæmelinum, vulpinum, de uermibus, rutaceum, laurinum, costinum, de piperibus, de euphorbio de castoreo, de lateribus, quod philosophorum appellant, Vnguentum Martianum, Agrippæ, Aregon. Item, Recipe olei de castoreo, de Euphorbio ana ℥. 1. aristolochiæ rotundæ, cyclamini, stœchadis, amaraci ana ʒ.s. ligni aloes ʒ.1. moschi g.2. ceræ albæ quod satis est fiat vnguentum. vel, Recipe olei nardini ℥. 4. piperis albi, chamæpytheos, chamædryos, centaureæ minoris ana ʒ.2. croci ʒ.s. ceræ albæ quod satis est: ad formam unguenti omnia redige. uel, Recipe oleorum costini, de piperibus ana ℥.2. de Euphorbio ʒ.2. uini ter sublimati (aqua uitæ uocatur) ℥.2. succi saluiæ ℥.2. radicis acori, id est calami odorati, stœchadis, rosmarini utriusque ʒ.2. pyrethri, piperis ana ʒ.1. Euphorbij ʒ.s. contundantur contundenda, & bulliant ad uini, & succi consumptionem, & adiecta cera formetur unguentum liquidum, quo locus, unde nerui deferentes sensum, & motum, originem ducunt, inungatur, ut bene Galenus, exemplo Pausaniæ Syri Sophistæ, qui in itinere è curru ceciderat, docuit.

De loc. affe. 3. cap. 10.

Possunt etiam adhiberi sacculi ex puluere hyssopi, hyperici, soluiæ, rutæ, foliorum lauri, spicæ, masticheṡ, castorei, stœchadis, caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, rosarum rubearum. pariter fiunt fomenta ex rosmarino pulegio, saluia, hyperico, betonica, hyssopo, calamintha omnibus in uino uetustiori decoctis, additisque castorei, florum stœchadis, spicæ ana ʒ.2.

Confert etiam suffire membrum paralyticum, accipiendo lapidem molarem igne candentem, & desuper proiiciendo uinum album antiquum, & potens, ita ut uapores, qui inde eleuantur,

uantur, occurrent membro undequaque panis contecto. postea exiccetur, & fricetur, & infrascripto linimento foueatur, Recipe olei de euphorbio ℥.4. olei rutacei ℥.1. castorei, pyrethri, trium piperum ana ʒ.1. uiolatum ʒ.i.s. contundantur omnia in mortario quousque formam linimenti accipiant: & utitor. Item expertum est lumbricos terræ in olla combustos, & puluerizatos, cum gingibere, & galanga, & cum melle despumato admistos, & tribus noctibus super membrum affectum obductos paralysim sanare. pulueris lumbricorum sint lib. ʒ. gingiberis, & galangæ ℥.3. his morbo nequaquàm cedente, reliquum est ut cerata super totam spatulam, & spinam apposita experiaris, ut est quod recipit. Castorei, euphorbij, piperis longi, & nigri ana ʒ.1. ammoniaci, opopanacis ana ʒ.v.s. medullæ ceruinæ, medullæ cruris uaccę ana ʒ.2. terebinthinæ ʒ.vi. styracis liquidæ. ʒ.2. adipis galinæ, anseris, anatis, porci ana ʒ.i.s. olei nardini, irini, de lateribus, de terebinthina ana ℥.s. uini albi ueteris q. s. ad dissoluendum gummi, bulliant omnia simul ad ignem, & fiat ceratum.

Expedit aliquando adhibere emplastra rubificantia & præsertim nullo, uel pauco existente sensu, calefaciunt enim, & dissoluunt humorem pituitosum, & sensum reuocant: ut Recipe olei narcisini, olei liliorum ana ʒ.vi. Myrrhæ, opopanacis, euphorbij, ana ℥.1. castorei, sinapis ana ʒ. vi. ceræ lib. s. fiat emplast. & adhibe: & post conuenientem moram sæpius respice, ne uesicet, sed cum primum locus ruborem contraxerit emplastrum remoue, & locum oleo costino, aut vulpino, aut de piperibus inunge, ad hanc intentionem facit radix Iridis per se, aut cum oleis calidis contusa, & fortiter super membrum fricata. Auic. laudat cucurbitulas super capita, & fines musculorum absque scarificatione appositas, ut materiam à profundo ad superficiem attrahant: debent tamen statim remoueri, ne id, quod attractum est, resoluant uerum ut calor ibi conseruetur, emplastrum ex pice, & resina pini simul mistis obduci poterit.

Denique balnea non parum auxilij afferre solent: siue sint artificialia æstuosa, sudatoria, & siccæ: uel humida, quæ ex decocto vulpis integræ (extractis uisceribus) & ex decocto

herba-

herbarum calidarum parantur: siue sint Naturalia ex aquis thermalibus sulphureis, aluminosis, & saluginosis. nonnulli utuntur aqua maris calefacta.

A Balneo lectum ingrediatur calidum, sudet, exicceturque postea ungatur oleis, & unguentis corroborantibus: de quibus dictum est. Confert, quando est in balneo artificiali, uel naturali, vt excipiat super originem neruorum stillicidium ex illis aquis, & vt exerceat membrum paralyticum contrectando manu, fricando, extendendo, iactando, constringendo, & dilatando.

Et quoniam duplex est paralysis, alia mortificationis dicta: in qua membrum mortificatur: alia mollificationis, in qua membrum eneruatur, & ab omni uirtute motiua destituitur. Cura in vtraque ferè est eadem: differt tamen, nam in paralysi mortificationis conueniunt calida, & magis humida, sensum reuocantia, ut butyrum, vnguentum dialthæa, adipes, medullæ, pinguedines bouis, felis, canis, vrsi, vulturis, aquilæ, anatis, bubonis, & similium. In paralysi autem mollificationis conueniunt plus exiccantia, quàm humectantia, ut oleum serpentum, vngnentum emanans ab ansere dum assatur, repleto pinguedine vulpina, & herbis calidis. Item oleum de ciconia: & oleum, in quo centaurea, cum uino decocta fuerit ad uini consumptionem. Item decoctum ligni guaiaci quadraginta diebus eo ordine, & modo exhibitum, quo in lue galica exhiberi solet. Tertio medicinę instrumēto pariter in hac cura datur locus: nam si paralysis fuerit sanguinea, (quæ raro accidit) & ætas, anni tēpus, uirtus, & cætera consenserint, (prius lenita aluo) sectio uenæ moderata quidem, iussu Tralliani, in parte opposita membro paralytico fieri debet. Sciendum tamen est quòd phlebotomia in hoc morbo parum auxiliatur, nisi paralysis à casu, contusione, percussione, suppressione, constrictione, vulnere, aut luxatione causata fuerit: tunc enim (dummodo statim non euenerit, nam quæ statim facta est, vt plurimum non curatur) si humores sunt in fluxu primo uenam secabis: postea super membrum paralyticum, & originem neruorum medicinas mollientes, resoluentes, poros dilatantes, ut spiritus penetrare possint, adhibebis: quale est

hoc emplastrum, quod Recipit fariuæ fœnugræci, nucleorum behen, seminis maluæ, altheæ, resinæ, ammoniaci, bdelij, adipis anatis, ceræ ana q. 5. contusis contundendis, cum oleo liliaceo fiat emplast. secundum artem.

Sub prædicto medicinæ Instrumento Cauterium continetur, ad quod omnes Autores, postquàm cætera remedia nihil profecerint, ac si res ad Triarios redacta esset, ut ad sacrã anchoram confugiunt.

περὶ σπασμοῦ κυνικοῦ. id est de conuulsione canina seu

De oris turtura. Cap. II.

ORis torturam, nonnulli oris paralysim: nonnulli σπασμὸν κυνικὸν, id est conuulsionem caninam appellant, quoniam os in hominibus, quandoque sub tali figura apparet, ut diducto rictu dentes nudatos ostendant, veluti ad inimicorum occursantium terrorem canes irati ringentes ostendere solent: & hoc fit uel propter resolutionem uel propter conuulsionem musculorum uni, uel alteri buccæ deseruientium, uel propter utrunque.

Tortura oris (inquit Auic.) est morbus officialis in facie: per quem trahitur pars faciei ad situm non naturalem, & alteratur forma eius naturalis ita vt quandoque labia inter se male conueniant, quandoque palpebrę.

Tortura si consideratur pro motu faciei ad partem non naturalem est accidens, actio scilicet motiua corrupta. si uero consideratur pro ut denotat membrum incongrue positu est morbus in figura, & positione: est morbus quia læ operationes masticandi, sufflandi, & expuendi. Quòd deratur pro obstructione, est morbus in uia.

Certant doctores in determinando utrum pars faciei a ex paralysi, uel ex conuulsione sit contorta, & deturpata in figura, & positione: an pars sana, immunisque à paralysi, & conuulsione sit quæ inspicientibus contorta, & turpis figuræ appareat. primo Autoritate Alexan. in problematibus uidetur, quòd

quòd pars sana sit torta, & malæ figuræ: præcipit enim remedia localia poni debere super aliam partem, quæ neque torturam, neque malam præsefert figuram, præsupponendo, quòd hæc verè sit ægra. Insuper pars sana trahitur ut ęquet partem conuulsam, sed in tali contractione apparet torta, & fœda. pars autem ægra æquata uidetur pulchra, & non ægra. oppositum sentit Auic. nam quęcunque pars se tortam ostendit, est malæ positionis, & malæ figuræ, sed isti sunt modi morborum ergo pars apparens torta erit uerè infirma, & morbosa.

Pro huius quæstionis discussione sciendum est, quòd tortura oris vel est à paralysi, uel à conuulsione: quo habito fundamento, uariæ circa hanc materiam sunt opiniones. prima est Mesuę cap. de oris tortura ubi scriptum reliquit, quòd pars paralysi affecta inferius relaxatur: pars autem conuulsa contrahit superius. sed hæc opinio satis est confusa, nam dicere pars conuulsa contrahit superius, & pars paralysi affecta relaxatur inferius, non ostendit an hæc contrahat solum partem ægram, uel partem sanam simul cum infirma: neque ostendit an illa pars sola, & per se relaxetur inferius, an simul cum socia parte. Insuper ob aliam instantiam hæc opinio tueri non potest: nam quando dicitur tortura ex spasmo contrahit superius, si intelligitur superius versus frontem, & inferius versus barbam: hoc perpetuò uerum esse non potest, quoniam aliquando contingit torturam fieri ob musculos buccæ laterales, & transuersales conuulsos: nisi per superius intelligat uersus principia dictorum musculorum.

Alia est opinio Conciliatoris videlicet si tortura fiat à paralysi, pars, quę apparet torta, est illa, quæ sana est: & pars quæ videtur sana, est illa, quæ patitur. huius sententię Gale. fuisse videtur inquiens resoluto musculo, qui dextrum labrum mouet, ipsum ad sinistram deflectitur: at si is, qui sinistrum mouet, resoluitur, ipsum trahitur ad dextram. Item Paulus inquit, non quæ uidetur contracta maxilla paralysim habet, sed opposita.

Differentia. 184.

4. de loc. Aff. cap. 2.

Quòd si tortura fiat à conuulsione: pars, quæ ægra, & contorta apparet, uere patitur, & affecta est: quoniam ut dicebat

De syncop. ca. 7.

Galenus in tortura à conuulsione, sana à membris conuulsis trahuntur. pro tortura ex resolutione affert exemplum Conciliator: & est, quòd si duo homines, unus fortis, alter debilis traherent hinc, & inde duo capita funis pendentis ab una rotula: tunc fortis uidetur deprimi, & debilis subleuari: pariter duobus musculis concertantibus, in attractione unius membri: musculus sanus trahet ad se partem infirmam, & sic deprimetur.

Opinionem Aliorum, breuitati studens prætermitto: libet tamen ad huius dubitationis luciditatem ex commento Gentilis super Auic. nonnullas scribere conclusiones: per quas dicta Autorum Illustrium facilè saluantur, & defenduntur.

Prima conclusio est. Frequenter euenit, quòd una parte faciei resoluta, uel conuulsa, alia quoque pars mutetur in figura, quia contrahitur, uel extenditur, ratio est: quia cum partes faciei communicent in loco communi scilicet labiis, communicant etiam in dispositionibus.

Secunda conclusio est. In tortura faciei accidere possunt multæ diuersitates figurarum, & positionis partium faciei, labiorum, oculorum & frontis: item uaria accidentia, & appariciones in uariis hominibus, & hoc non solum ob diuersitatem causarum scilicet paralysis, & spasmi: sed diuersitatem partium faciei, & originis musculorum, & loci, ubi siti sunt: item ob diuersas facies in hominibus: unde uarij autores uaria dixerunt.

Tertia conclusio est. si duo Medici inspicientes faciem resolutam, uel conuulsam, & unus dicat hanc partem esse tortam, & turpem, alter uero oppositam partem ita esse contendat: dicimus hoc accidere, quia primus intelligit idem esse tortum, quod contractum: secundus autem intelligit tortum id est distensum secundum locum: & unus Iudicat turpitudinem in contractione, alius in extensione ex quibus iam dictis soluitur quæstio, utrum scilicet in tortura faciei pars ægra conuulsa, uel resoluta sit torta, an pars sana: nam dicendum est, si tortum accipitur largo modo, & communiter, ut accipit Rasis primo continen. cap. proprio, pars ægra semper est torta: si autem accipitur strictè tortum pro contracto, ut accipit

accipit Paulus, pars ægra resoluta non est torta, sed pars conuulsa. dicendum etiam quòd contignit partem sanam non esse tortam: & contingit esse tortam secundum modos prædictos. Ad contraria. dicas primò, quod Alexan. intelligit tortum idest contractum: & partem uisam sanam non tortam uocat partem non corrugatam, nec contractam quàmuis sit ægra resoluta. Ad rationem cum dicitur pars sana contrahitur, ut æquet: responde hoc esse contingens non semper. Ad rationem in contrarium, quæ probat, quòd quandoque pars torta sit ægra, responde quòd potest esse torta propter spasmum, uel paralysim, quæ sit in alia parte non in se: & sic in se habebit turpem figuram, non autem paralysim, neque spasmum. Tortura aliqua est chronica excedens sex menses: aliqua recens. Item quædam fortis, & multum apparens: quædam debilis, & uix perceptibilis.

Causa.

Oris tortura causatur ut plurimum ab humore frigido, & humido obstruente originem neruorum, qui sensum, & motum ad musculos mandibularum deferunt.

Vel, secundum Auic. causa torturæ à paralysi, uel à spasmo est eadem, quæ paralysis, uel spasmi. Aliquando etiam tortura causatur ab Apostemate, uel à uulnere in partibus colli pro modum conuulsionis, uel paralysis: nam plurimi neruorum musculorum partis inferioris faciei ab eius spondylibus oriuntur, & usque ad manus extenduntur: in quibus quandoque paralysis, quandoque spasmus pariter insidet. nerui autem dantes sensum, & motum partibus faciei superioribus, ut plurimum ueniunt à tertia neruorum in cerebro coniugatione.

Ad causandam oris torturam sufficit, quòd una tantum pars faciei sit conuulsa, uel resoluta: aut quòd una resoluta, altera conuulsa: nam si tota facies hac, uel illa spasione uniuersaliter afficeretur nulla tortura manifeste appareret.

Signa.

Torturam futuram præcedit dolor in ossibus faciei, uel potius in mēbranis ipsa ossa ambiētibus: item stupor, & palpitatio in cute, materia enim disposita ad spasmū, & paralysim — Ex Auic.

ſtatum ex ſe excitans, dolorem, & palpitationem, & ob ſuam qualitatem frigidam ſtuporem in cute cauſare poteſt.

Ex Raſi. Signa torturę factæ ſunt oris, & quandoque totius dimidiæ faciei contorſio. oculum partis affectæ claudere non poſſunt: &, quoniam labia malè inter ſe occurrunt, oblique flant, & ſpuunt. tardè, & implicitè loquuntur, diuerſos habent anhelitus: inter ridendum facies magis contorta apparet.

Ex Auic. Signa diſtinguentia torturam factam à paralyſi, ab ea quæ à ſpaſmo ſunt, quia in tortura à paralyſi humiditas inuoluntarie ab ore profluit: palpebra inferior eſt depreſſa: patiens uidetur meditari, & deorſum aſpicere, nam palpebra Superior multum cadit, & magnâ claudit oculi partem. Senſus ſunt magis turbati: cutis ſtupida, & læuis apparet: & pars reſoluta ad omnem motus, & poſitionis differentiam ducitur.

In tortura à ſpaſmo pars conuulſa propter duritiem extendi non poteſt: & cutis ad partes colli inclinat, tanquam ad ſuorum neruorum principia, & iterum ad naturalem poſitionem difficilè reducitur: dolor ineſt capitis: ſenſus minus turbátur: & Saliua minus emanat, præſertim in ſpaſmo ſicco, & materiali, quia eius materia eſt craſſior, quam materia paralyſis.

Prognoſtica.

Tortura oris eſt præludium Epilepſiæ, uel Apoplexiæ uel paralyſis.

In tortura oris uſque ad quatuor dies maius periculum de morte imminet, quàm in aliis ſubſequentibus diebus.

Torturæ oris (inquit Auic.) extenſæ uſque ad ſex menſes non ſperatur rectificatio.

Tortura in ſene, & præſertim decrepito eſt inſanabilis.

Tortura oris à ſpaſmo ſicco non curatur, idem præſagiendum ſi Apoſtema in cerebro conflatum ſequitur.

Cura.

Conſtat omnibus, quòd tortura oris à paralyſi, uel à ſpaſmo curatur iiſdem remediis, quibus ipſam paralyſim curari poſſe diximus: & quibus ſpaſmum curandum fore in ſequenti cap. dicemus, particulariter tamen circa unumquodque medicinæ Inſtrumentum nonulla, ſunt notanda, & primo circa Diætam Aeger in aere calido, & ſicco locari debet. caueat à

uento,

uento, & à frigore: eius cubiculum sit obscurum, à quo per mensem neque diu, neque noctu egrediatur.

Cibus usque ad quartum diem, sit Ius ciceris, in quo saluia, uel rosmarinus prius bullierit: uel sit panis in eo iure intinctus.

Abstineat a cibis crassis, & ualde unctuosis, & a cibis uaporosis, ut sunt cepæ, allia, eruca, raphanus: & ab iis, qui quàm uis non sint acres sunt tamen flatuosi, ut legumina omnia, lac, pisces, fructus horarij, & humidi. caulis, beta, & huiusmodi potus sit hydromel: uel, Recipe florum rosmarini ℥.i. mellis electi lib.i. aquæ fontis lib. 15. coquantur omnia lento igne in uase uitreo, & despumentur, & decoctum colatum pro potu seruetur. à uino si fieri potest per mensem penitus abstineat. postea interpolatis uicibus, & in pauca quantitate, & oligophoron exhiberi poterit. exerceatur Ieiunus, & famelicus frictionibus supra caput, collum, & totam partem læsam (tunc enim materia non trahitur ad caput) & studeat in rectificatione faciei inspiciendo se ipsum in speculo de calibe, uel de crystallo. Inflet tubas, & cornua: & conetur coniungere labia, & mouere partem tortam erga partem sanam si affectus est à spasmo. si autem est à paralysi iuuat deprimere partem resolutam, & subleuare partem sanam, ut æquet. abluatur facies sæpius aceto calido, in quo attenuantia sint decocta. Aluus astricta saltem secundo die lubrica fiat clysteri multum leniente. ueneris nullus sit usus, nisi tortura esset à spasmo non proportionato ad materiam ob malam qualitatem spermatis retenti.

Secundo circa pharmaciam notare debes quòd usus medicinarum fortium tam pro concoctione, quàm pro euacuatione materiæ in principio est suspectus. unde non properabis, sed expectabis usque ad quartum, uel septimum diem. dicebat Auic. festinatio ad medicinam acutam exiccat materiam, minorat eam, desiccat neruos, & debilitatur operatio medicinæ in ipsa materia.

Insuper non euacuabis cum solutiuo forti, autem debili nisi præmissa, prius concoctione, sed interim solis clysteribus eris cõtentus. quod de cura regulari dictum intelligitur: nam

in cura coacta aliquãdo a forti euacuatione in principio exordiri licet, ut si torturæ mala symptomata Epilepsiæ, uel Apoplexiæ essent coniuncta. multa enim præcipiti consilio fiunt, quæ alias omittuntur.

Syrupus pro concoctione materiæ in aurora exhibendus sit huiusmodi, Recipe aquæ stillatitiæ Ieros, rosmarini, betonicæ ana ℥.i.s. syrupi stœchadis ℥. s. misce pro una uice, & sic pro aliis. ab assumptione syrupi tardetur cibus saltem per sex horas. post septem, aut octo dies, ut materia aliqualiter præparata euacuetur, assumat hyeralogodionis ʒ.ii. Elect. de psyllio ʒ.ii.s. misce, & exhibe. Iterum quod reliqui est, digeratur hoc syrupo, Recipe gingiberis, nucis moschatæ ana. ʒ. I. Acori ℥. ʒ. mellis optimi lib.i bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ, qui syrupus clarificatus cum aqua saluiæ exhibeatur. peractis postea aliis seprem diebus, deglutiat has pilulas, Recipe pilularum cochiarum, fœtidarum ana ʒ.s. fiãt pilulę.v. Ex expertis in cura torturę est hyera Hermetis assumpta per mensem ad pondus ʒ. 2. singulo die, uel saltem alternis diebus. quidam exhibent ʒ. I. hyeræ cum ʒ. I. piperis. Confert ante cibum accipere rotulam confectam ex specie Elect. de ligno aloes, & Elect. diambrę, & saccharo dissoluto in aqua betonicæ, vel, Recipe specierum plirisarcoticon, trionpipereon ana ʒ. I. sacchari albi ℥. ʒ. cum aqua rosmarini fiat confect. in rotulis.

Post euacuationem uniuersalem cum pilulis, & hyeris magnis deueniendum est ad euacuationes particulares per apophlegmatismos, caput purgia siue Errhina, & gargarismata. apophlegmatismus conueniens est ut, Recipe staphidis agriæ, piperis utriusque ℈.i. mastiches ʒ.2. sinapis ʒ.s. origani, hyssopi ana ʒ.i. passularum, ʒ.ʒ. gingiberis, pyrethri, castorei ana ℈.2. conterantur omnia, & addita cera, & melle ros. fiant pastilli mansiles. aut, Recipe radicis acori, siue calami aromatici ℥. 2. gingiberis albi ℥. I. nucis moschatæ ʒ. 2. puluerizentur, & infundantur per duos dies in aqua saluiæ: postea condiantur cum melle & fiant trochisi ponderis ʒ. I. quorum unus post alium in ore detineatur: qui si postea deglutietur proderit. non minus Iuuare solet nux moschata ana

cardino oblinita in ore per unam, uel per duas horas in parte ubi est læsio detenta, & masticata, quod remedium bis in die fieri potest.

Confectio caput purgij ad paralysim, & torturam experta ex Mesue, Recipe pyrethri, struthij, oleandri exiccari supra fumum singulorum ʒ.2. origani, carui, aristolochiæ longæ ana ʒ.s. caryophyllorum ʒ.i. terantur, & puluerizentur, & sufflet ur ex eis in nasum. Aliud, Recipe castorei, pulpæ colocynthidis, piperis albi, struthij ana partes æquales fac pilulas cum aqua amaraci, deinde fac caput purgium cum succo auriculæ muris. Aliud uerax, & expertum, Recipe castorei, struthij, nigellæ infusæ in aceto, & ante exiccatæ confice cum succo cucumeris asinini: hinc dimitte siccari: iterum confice cum succo cyclamini, & dimitte siccari: iterum confice cum succo auriculæ muris, & fac similiter: denique confice cum succo amaraci, & fac collyrium: & frica ex eo super cutem cum succo auriculæ muris: & stilla in narem, & fugatur uehementer. Aliud ex Gord. Recipe auriculæ muris, cyclamini, nucis indicæ, cucumeris asinini, nucis moschatæ, pyrethri, acori, singulorum partes æquales, contundantur omnia, & bulliant in uino: cuius duæ, uel tres guttæ tepidæ intra nares patientis resupinati immittantur: hoc remedium multis uicibus ieiuno stomacho fiat: purgat enim caput, & neruos corroborat.

Auricula muris Alsine alias a Dioscoride vulgo cētone & pauariua uocatur;

Gargarisma bonum, Recipe sinapis, staphidis agrię, gingiberis, pyrethri, macro piperis decoque in aqua, & cum hyera fiat gargarisma. Aliud, Recipe nucis moschatæ ℥.s. calami aromatici ℥.ii. pyrethri, sinapis, gingiberis ana ℥.s. aceti ℥.i. mellis ℥.ii. bulliant in tribus lib. aquæ ad consumptionem duarum partium, & fiat gargarisma. Aegro (inquit Rasis) quotidiè in mane antequàm comedat sinapim cum syrupo acetoso gargarizare faciemus.

Post hæc deueniendum est ad euaporationes, Vnctiones, linimenta, emplastra, & ad medicamina rubificantia super spōdylos colli, principia neruorum, & musculorum mandibularum, & super ipsas mandibulas apposita. fiat igitur euaporatio ex decocto origani, calaminthæ, pyrethri, rutæ, folio-

rum

rum lauri, chamæmeli, sinapis, amaraci, meliloti, & similium. & abluatur caput, tempora, supercilia, spondyles dorsi partis infirmæ cum aceto uini albi tepido: in quo hyssopum calamintha, & sampsucus bullierit, donec ad profundum corporis penetret, soluat, incidatque humores crassos, & uiscidos.

In tortura spasmosa ualet euaporatio ex aceto in quo sinapis, calamintha, sampsucus, stœchas, abrotanum, & similia decocta fuerint. quæ omnia pariter si in uino ferbuerint, & illud uinum super lapidem, uel laterem ignitum proiiciatur, & uapor inde eleuatus ore, & facie læsa per infundibulum excipiatur proderit ad aperiendum maxillas clausas, quæ per se aperiri non possunt. conuenit etiam euaporatio facta ex floribus stœchadis super prunas proiectis.

Post Euaporationes inungatur pars affecta oleo costineo Rasis, oleo nucis moschatæ, oleo de piperibus, & huiusmodi. scire tamen debes: quod in tortura à spasmo primũ emollientia, deinde resoluentia sunt abhibenda. In tortura ex paralysi solis utitor resoluentibus. proprium emolliens est hoc, Recipe mucillag fœnugræci, seminis lini, butyri, pinguedinis anatis, olei omygdalini dulcis, medullæ cruris uituli ana ℥. s. olei de lilio ℥. i. nucis moschatæ ʒ. i. ceræ q. s. fiat unguentum.

Confert etiam oblinire partem interiorem mandibulæ ægræ theriaca, aut mithridatio, & quandoque anacardina, & iisdemmet gingiuas fricare. Auic. autoritate Medicorum indorum scribit quòd ex perfectioribus, quibus tortura medicatur, est ut caput, & membrum læsum emplastretur carne vulpina, aut lupina, hircina, aut ceruina, aut asinina syluestri elixa, & contusa. non est dubium dicebat Idem Auic. quin materia torturam faciens ueniat ex principiis neruorum, & musculorum faciei: quapropter diligitur, ut medicinæ rubificantes super ponantur spondylis ceruicis, super mandibulas scilicet superiorem, & inferiorem, nam plurimi uilli, non tamen omnes sunt uenientes ad musculos faciei: dixi non omnes, quia nerui ad musculos temporales ueniunt à cerebro. præterea multi nerui musculorum labiorum pariter

à cere-

à cerebro ducunt originem ut in ipsa Anatome videre licet.

Tertio circa chirurgiam pariter notare debes, quòd sanguinis detractio ex uasis linguæ subiectis multis profuit: item cucurbitulæ priori uertebræ defixæ: sint absque scarificatione: in dominio autem sanguinis sint scarificatæ. & postquàm omnia alia remedia incassum expertus fueris, inurantur cauterio uenæ, quæ sunt post aures: uel cauterium in collo fiat. præterea si ægritudo fuerit à paralysi, oportet ut pars in qua est morbi principium ligetur, & conponatur secundum formam similem formæ pristinæ, & naturali: & ligatura sic constituatur, ut pars turpis trahatur uersus partem sanam, & illi æqualem sortiatur positionem. Idem fiat si tortura fuerit à spasmo: nam in ea, in qua fit attractio frontis ad superiora, debet corium frontis extendi ad inferiora, fortiterque ligari. Quòd si spasmus fuerit uehemens inungatur prius cutis capitis, & tota frons vnguentis emollientibus per aliquot dies, donec laxa, & mollis reddatur, postea extendatur, & trahatur versus supercilia, diligenterque ligetur, ne rursus ad superiora repat. & post tertium diem ipsam iterum inspicies ligaturam an mutari, uel non mutari debeat: & an os adæquatum, vel non adæquatum sit: nam prima, uel secunda uice fortassis uoticompos fies.

De tortura, quæ non repente, sed paulatim accidit non loquimur (inquit Rasis) ipsa namque non contingit nisi in phrenesi pernitiosa morte imminente, & est ex siccitate itaq; quemadmodum spasmus siccus eueniens in febribus acutis, & superfluis euacuationibus est pernitiosus, & incurabilis quando est confirmatus: pariter & tortura ab illis causis confirmata.

περὶ σπασμοῦ.

De spasmo seu conuulsione. Cap. III.

Σπασμὸς græcè, conuulsio latinè, est ægritudo neruosa, qua nerui inuoluntariè mouentur, & trahuntur ad suam originem, & inobedientes fiunt in dilatatione. Vel spasmus est motus inuoluntarius, per quem nerui, & musculi contrahuntur ad suum principium, & simul cum membro in quo sunt decurtati fiunt. Dicebat Galenus conuulsio fit musculis ad propria capita retractis, sicut etiam est motus eorum secundum naturam: uerum hic quidem non fit sine animalis appetitu: conuulsio autem est passio inuoluntaria, ad similem uenientibus neruosis partibus dispositionem, quàm etiam in motibus factis secundum appetitum assumebant. non tamen omnis inuoluntarius motus est conuulsio, vt patet de motu tremoris, rigoris, & palpitationis, & de multis aliis: sed ille solum inuoluntarius motus conuulsio appellari debet: in quo musculi, & nerui trahuntur ad suam originem ad cerebrum scilicet, uel ad medullam spinalem.

Auic.

6. Aph. 39.

Spasmus quandoque consideratur ut malus motus, uel ut mala quies, & sic est symptoma in genere noxæ functionis motricis uoluntariæ, eiusque deprauatæ.

Quandoque consideratur ut mala figura in membro spasmato uel ut causa læsionis ipsius actionis uoluntariæ, & sic est morbus: qui morbus potest esse mala temperies, à qua læditur actio motiua uoluntaria: uel potest esse obstructio: uel mala partium positio, qua pariter eadem actio deprauatur. Spasmus est duplex, alius proportionatus ad materiam: alius non proportionatus. dicitur proportionatus ad materiam quia in eo additur, uel minuitur de materia humorali, Ideo bene dicebat Hipp. quòd fit uel à repletione, uel ab inanitione: nam accidit neruis sicut lyræ chordis: quæ in ualde humida ambientis nos constitutione ita in latum intenduntur, ut in longitudine breuiores quàm sit necesse, fiant, hincque

rumpantur. idem patiuntur in siccioribus constitutionibus: nam ob siccitatem nimiam omnia corpora, neruosa in se se colliguntur, ac conuelluntur uiolentius exiccata: ueluti lorum si paulò magis ab igne calefiat, uel à feruore solis exiccetur. Conuulsio igitur fit à contrariis causis ab humiditate scilicet, & à siccitate. in spasmo ab humiditate neruus decurtatur in longitndine. & extenditur in latitudine, & profundiate: at in spasmo à siccitate, contrahitur in omni dimensione.

Gal. de affec. loc. 3. cap. 6.

Spasmus non proportionatus ad materiam, seu per consensum, est cum neque ex plenitudine neruosarum partium, neque ab inanitione earundem conflatur: sed uel à qualitate quadam mala alteratis per continuationem partibus ad neruorum principium ascendentibus. uel à spiritali quadam substantia fluida per iam dictas neruosas partes transmissa, aut ueluti aura, quæ licet mole minima, facultate tamen quàm maxima sit, & ad neruorum principium delata: unde huiusmodi motu concutiatur, ut à se expellat quicquid fuerit, quod à parte primò affecta ad ipsum effertur.

Spasmum non proportionatum ad materiam, siue per compatiendi societatem, siue per consensum uocare libet, Galenus assimilare uidetur ipsi spasmo ex inanitione: etenim sicut spasmus ex inanitione non fit, quia aliqua materia humoralis repleat neruos, pariter neq; spasmus non proportionatus ad materiam: & sicuti spasmus ex inanitione ut plurimum fit ab intrinseco, ita, & spasmus non proportionatus ad materiam, ut pote à rebus inanientibus, & desiccantibus, dato quod non conuellant inaniendo.

v. Aph. 74

Differt spasmus à paralysi (ut supra in cap. de paralysi dictum est) primò quia materia spasmi est crassior extenditque neruos in latitudine, unde membrum decurtatur. materia autem paralysis est fluida penetrans angustissimas porositates: quare ipsos non tumefacit neruos, sed potius laxos, languidosque reddit: & membrum paralyticum suam naturalem dimensionem retinet. secundò in paralysi adest obstructio in uia spiritus animalis, quare uirtus nutritiua deficit in paralysi, & membrum macrescit, & attenuatur sed in spasmo adest replē-

tio

tio absque obstructione, quæ transitum spiritus animalis impedire possit; unde membrum solita uirtute nutritiua non destituitur, & per consequens non macresit, neque attenuatur, sed ob repletionem, uel siccitatem solummodo decurtatur. Tertiò in paralysi pars sana trahit ad se partē ægrā: in spasmo autem pars ægra trahit partem sanam. Quarto membrum cō uulsum non sine difficultate, & dolore magno extendi potest, & ad propriam positionem reduci: at membrum resolutum sine difficulrate, & dolore in dispositionem naturalem reducitur. Quintò in spasmo neruos tensos, & rigidos tactu persentire potes, minime autem in paralysi. Denique spasmus breui tempore terminatur uel ad mortem uel ad salutem: at paralysis quandoque in multos differtur annos: ut bene nouit Io. Dominicus cauda Rasa de Ponzanello meus in Gramatica præceptor: qui per quinquaginta annos brachium dextrum paralyticum habet.

Differt sparmus ab Epilepsia: nam spasmus est contractio nerui unius partis: Epilepsia uero est contractio omnium neruorum: insuper in Epilepsia licet fiat contractio breui tamen, materia consumpta, fit dilatatio, at in spasmo à siccitate nunquàm membrum dilatatur: in spasmo autem ab humiditate nō dilatatur nisi post multum temporis spatium, & materia prius euacuata: præterea Epilepsia est morbus magis periodicus quia materialis: cuius materia periodice aggregatur, & aufert sensum, at spasmus in sui ratione potest fieri absque materia ut spasmus ex inanitione. pariter spasmus materialis non seruat periodum quemadmodum Epilepsia, neque aufert sensum, quod experientia comprobat.

Differt spasmus à singultu, quia spasmus est passio neruorum ad propriam originem retractorum: nequaquàm autem singultus: qui secundum Galenum non spasmus, sed motus quidam uentriculi, eius generis, cuius & uomitus appellari debet, intensior tamen, & vehementior: nam stomachus appetens eorum aliquid, quæ in ipso continentur expellere, ad duos mouetur casus, vehementiorem quidem in singultibus, mediocriorem illo in uomitibus: si quidem in uomitibus appetit ea tantum, quæ in uentriculi spatio latiori continentur

expel-

expellere: in singultibus autem ea, quæ sunt in ipso ventriculi ore penitiora.

Ad spasmum sunt magis dispositi pueri, quam adulti propter debilitatem cerebri, musculorum, & membrorum. ab eo tamen facilius liberantur propter hepatis, & cordis fortitudinem, & propter humores in ipsis non multum crassos, neque rebelles facultati concoctrici, & expultrici. pariter facilius liberantur à spasmo sicco propter humiditatem complexionis, & humiditatem ciborum eorum. quandoque tamē spasmus malus tam de repletione quam de inanitione accidit ipsis pueris succedens febribus verè acutis. Qui septimum annum prætereunt spasmo non corripiuntur nisi propter febrem valde prauam. Ad spasmum non proportionatum ad materiam Iuuenes sunt magis dispositi quam senes.

Ex Auic. super quē Gentilis questiones hic considerabis.

Spasmi, seu conuulsionis tres sunt species: prima τέτανος græcis dicitur, distentio latinis, Celso rigor: est cum ceruix vna cum reliquo corpore immobilis manet & in neutram inflectitur partem, sed iuxta in vtranque partem recta intenditur. Secunda ἐμπροσθότονος græcis uocatur, latinis tensio ad anteriora: accidit enim ut in ea caput, ceruix, reliquumq; corpus in pectus contrahatur. tertia ὀπισθότονος græcis, latinis tensio ad posteriora appellatur: in ea enim caput in dorsum, ac scapulas conuellitur.

Causa.

Spasmus ex repletione fit, vel à sanguine apostemante: sanguis enim sincerus, tum quia naturæ amicus: tum quia in neruis non reperitur, eos replens, spasmum causare non potest, nisi cum Apostemate. vel fit à materia biliosa pariter apostemante, nam per se, cum sit pauca, & tenuis substantiæ, non est apta ad neruorum repletionem, & extensionem, nisi Apostema subsequatur. Vel fit à materia melancholica, raro tamen, quia terrestris, & crassa existens non habet fluxibilitatem, neque penetrationem. sæpissime, & ut plurimum fit à materia pituitosa, hæc enim cęteris humoribus magis disposita ut augeatur, & penetret membra neruosa, & sui multitudine extendat in latum, & in longum, decurtata faciat. hunc affectum quandoq; facit ponderis eleuatio, & humi dormitio (inquit Paulus)

Paulus) & quando ab aliqua materia cum apostemate fit, tunc cæteræ membri partes ad locum apostematis contrahuntur, & conuelluntur. quando autem fit absque apostemate tunc materia per totum musculum diffunditur, ipsumque replet, ulterius dicebat Auic. quòd spasmus ex repletione quandoque fit per uiam permutationis materiæ alterius morbi, ut phrenitidis, anginæ, pleuritidis. quandoque spasmus ex repletione fit à flatu, & à materia flatuosa: Imo Auer. scribit humiditatem materialem non causare spasmum, nisi conuertatur in flatum, seu in substantiam aeream, quàm neruus laborio sè contineat sicut nos uidemus in utre uini bullientis, & hoc accidit propterea quòd partes aereæ indigent maiori capacitate quàm partes aqueæ, & terrestres, quia plus loci occupare solent. quæ Auerrois sententia, ut plurimum quidem, non tamē perpetuo, uera est, nam materia humoralis nequaquàm in flatum conuersa potest implere neruos sui corpulentia, ipsosque in latum extendere: & cum nerui in latum extenduntur, fit decurtatio in longitudine.

3. collig. cap. 33.

Quandoque a flatu citò euaporabili fit una species conuulsionis quæ uulgo Granffus appellatur, accidit frequenter in manibus, in pedibus, & tibiis: in his enim membris à fonte caloris, idest à corde, multum distantibus facilè potest flatus excitari, à quo dicta fit conuulsio, mirum in modum (quàmdiu durat) patientem excrucians,

Spasmus de inanitione fit propter priuationem materiæ flatuosæ, & humiditatis humoralis: & propter dominium siccitatis in quo neruus decrescit in latitudine, & in longitudine: siccitas namque adueniens musculo, consumit humiditates in omni eius parte: unde colligitur ad se ipsum, sicut colligitur corium igni expositum, quòd in omni dimensione corrugatur.

Notant Doctores quòd siccitas est duplex: una est qualitas de primis qualitatibus, & est actiua. Alia est priuatio humiditatis alicuius rei: quæ secunda siccitas per se, & formaliter accepta, non est causa immediata spasmi, sed solummodo cuiusdam raritatis, seu distantię partium membri, quæ sequitur ad uacuitatem foraminum, & pororum. sed siccitas quæ

est

est qualitas, per se, & immediate spasmi causa esse potest: quia corrugat partes membri, accentratque: & cum hac siccitate spasmum causante semper adiungitur siccitas quæ est priuatio humiditatis, eo quòd siccitas qualitas non est in quocunque gradu corrugans, & contrahens, sed solum cum est intensa: fit autem intensa in membro à calore humiditatem absumente, à fortibus euacuationibus, à nimia exercitatione, & à similibus causis. Dicunt præterea quòd siccitas corrugans, & spasmum inducens debet esse biformis: ita ut in una parte membri multum exiccet, & contrahat: minus autem in alia parte, vt in corio igni exposito uidere licet. hinc est, quod Hectici etiam tertiæ speciei non conuelluntur, quia eorum siccitas in omnibus membris non est biformis, sed uniformis.

Huius tamen effectus alia causa assignari potest, quia scilicet nerui hecticorum non sunt ita exiccati: ut nerui eorum, qui spasmo sicco afficiuntur. prima tamen ratio infringi potest: quia dato, quod siccitas in hectico sit uniformis, non tamen sequitur quin contractio, & spasmus fieri debeat: nam sicuti ad biformem siccitatem sequitur biformis contractio, ita ad uniformem siccitatem sequitur uniformis contractio.

Spasmus non proportionatus ad materiam fit primo ob fugam uirtutis ad suum principium, & huiusmodi est uel propter dolorem, à uulnere, à contusione, uel ab aliqua mala intemperie absque materia: uel propter humorem mordicatiuum, qualis est bilis prasina, uel rubea, uel flaua, uel æruginosa in ore uentriculi collecta: aut propter qualitatem uenenosam, quæ ad cerebrum, & neruos perueniat ut in punctura scorpionis, vel serpentis, vel haustu veneni videre licet: virtus enim fugiens malam qualitatem in tali punctura derelictam contrahit membrum, & ita fit spasmus.

Gal. v. aph. 1

Secundo fit ab aliqua causa extrinseca, absque quod malam inducat sensationem, ut à uehementi infrigidatione æris, uel aquæ gelidæ uel medicamenti narcotici neruum, & musculum astringente, & constipante: in qua quidem astrictione, & constipatione congelantur humiditates membri, vnde contrahitur: quam speciem conulsionis nonnulli ad spasmum improprie tamen reducere conantur. Item à mæstitia, à timore, in

quo fortis, & subita spirituum reuocatio ad interiora, absque ullo humorum concursu facta sit. Item à gaudio immoderato, & inopinato, dilatantur enim dissipantur, & effunduntur ob nimium gaudium, vnde paucificati in exterioribus retrahuntur à musculis ad interiora, & in tali retractione fit aliquando spasmus non proportionatus ad materiam.

Hip. 4. acut.

Tertio fit ab aliqua causa intrinseca, vt ab exuberanti repletione in venis, & arteriis magnis prope cor: obstruuntur enim meatus spiritus vitalis tendentis ad cerebrum vt ibi elaboratus euadat animalis: sed in itinere interceptus ad locum constitutum peruenire non potest: unde spiritus animalis redditur paucus, & diminutus, & successiue paucus ad neruos mittitur: itaque cum pauco spiritu insufficienter, & spasmose nerui, & musculi mouentur: & illis accidit quod lacertorum, vel viperarum caudis amputatis euenire solet: quę quamdiu retinent aliquid de spiritu ad eas trāsmisso, mouentur, sed diminutè, & motu conuulsiuo: euaporato autem spiritu, à motu desistunt. fit etiam per consensum à matrice, à uasis spermaticis, à uermibus.

Signa.

Denotantia spasmum uenturum sunt rubor in facie; oculorum contorsio ad unam partem, anhelitus aliquando interfectus: pulsus ut plurimum paruus, & rarus, risus ferè sardonius propter contractionem musculorum mādibularum: venter astringitur, uel quia materia, quę per secessum extrudi deberet, ad neruos, musculosque repit: uel quia musculi uentrem comprimētes ad proprium munus inualidi fiūt: uel quia musculus, sphincter dictus, conuulsione laborans non dat exitum ipsis fœcibus. vrina quandoque supprimitur, quandoque retineri non potest: & uaporibus pituitosis illi permistis bullosa conspicitur, & quandoque sanguinea propter renum debilitatē. uigilijs aut propter dolorem capitis, aut propter malos uapores cerebro communicatos infestantur. fit in membris tremor, & palpitatio. circa Iuncturas, & musculorum principia dolor excitatur.

Signa spasmi iam facti sunt actualis membri, aut neruorum contractio uersus propriam originem, cum impotentia ipsius,

aut

aut ipsorum ad extensionem, aut dilatationem. pulsus tensus, diuersus instar sagittæ ascendens in medio sui motus, & descendens in fine, & humilis in principio: in quo non apparet manifesta diastole, propter nimiam tensionem: unde oportet fieri pulsus ueloci ores, & frequentiores. Item arteria est calidior aliis membris calido spumoso ignito propter prohibitam transpirationem. differt hic pulsus à pulsu principij paroxismi, nam hic est tensior, & magis manifestus.

Auic. ex Gal. de puls. ad tyro. cap II.

Signa spasmi ex repletione sunt, quia talis spasmus fit subito, membra enim neruosa, & musculosa statim replentur materia molli, & fluida. inde oleo, vel vnguento oblinita non exiccantur, nisi accidentalis superueniat febris. præterea in corporibus plectoricis, carnosi habitus, ocio, & crapulæ deditis contingere solet.

Signa spasmi à siccitate sunt, quia non subito, sed sensim, & in processu temporis hominem inuadit, post multam famis, & sitis tolerantiam: post immoderatas corporis exercitationes, post longam moram in balneo sicco, uel ex aquis thermalibus, uel marinis. post uigilias, mœstitiam, timoremq;, intensas cogitationes. post febres ardentes, vel chronicas. & vsus est rebus exiccantibus, vt cibis calidis, acribus, & salsis: coitu superfluo, uomitu, medicinis scammoneatis, super purgantibus: uenæ sectione, & huiusmodi aliis. uel quia æger est ad siccitatem dispositus.

Spasmi non proportionati ad materiam, cognitis ipsius causis, facilis est cognitio.

Prognostica.

Frigidum immodicum conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles parit.

Hip. v. aph. 17

Ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens malum.

v. aph. 4.

Febrem in conuulsione, scilicet humida fieri melius est quàm conuulsionem in febre.

2. aph. 26.

In febre non intermittente, si labrum, vel palpebra, uel oculus, uel supercilium, vel nasus peruertatur, & conuellatur, uel non uideat, uel non audiat iam debili existente corpore quicquid horum euenerit, mors proxima est.

4. aph. 46.

v. Aph. 6.

Quicunque à tetano corripiuntur in quatuor diebus pereunt, si vero hos effugerint sani fiunt.

Omnis tetanus à percussione cum uomitu, singultu, & mentis alienatione mortalis est.

Hip. 4. aph. 1.

Conuulsio à siccitate confirmata lethalis est. omnis conuulsio in vulnere superueniens mortalis est, inquit Auic. non tamen semper, nam fit uel propter dolorem ex vulnere, & neruorum punctura, & talis spasmus non semper mortalis, aut propter tumorem succesiuè partes occupantem, & hic pariter non est necessariò mortalis. aut propter tumorem nunc emergentem, nuncque delitescentem, & hic ferè semper est mortalis, quia ægritudo fortis cum defectu virtutis humore regulare impotentis ostenditur. aut fit spasmus in vulnere propter multam sanguinis effusionem, vnde insequitur siccitas, & virtutis prostratio, & talis spasmus est mortalis, de quo fortasse Auic. intellexit. & Hipp. quādo scripsit, sanguine multum fluente conuulsio aut singultus adueniens malum, & paulopost in fluxu muliebri si conuulsio, & animi defectus acciderit malum.

v. aph. 3.

Spasmus non proportionatus ad materiam nisi sit vniuersalis ex vulnere, vel haustu medicamenti venenosi, vel Ictu serpentis cito mortiferi, vt plurimum curatur.

Cura spasmi humidi.

Spasmum ex repletione patienti confert aer calidus, & siccus: ideo in penetralibus, ubi decumbit, ignis succēdatur præsertim horis antelucanis, quando magis frigus uiget. fugiat uentos, aeremque palustrem. nutriatur cibis attenuantibus, & facilis concoctionis. Ius ciceris cum anetho, sinapi, uel pipere, uel saluia, uel rosmarino, & oleo. aut Ius pulli in quo hyssopum, saluia, betonica, amaracus, aut satureæ parum sit decoctum laudatur, præsertim in principio morbi: nam postea in processu ouis sorbillibus, aut galinarum pullis, aut phasianorum carne assata, aut perdicum alaudarum, turdorumque cibari poterit. coturnices denegantur, nam (ut scribit Auic.) ex earum cōmestione periculum imminet de spasmo, & tetano, non solum quia elleboro uescantur, uerum quoniam hec illis à tota substantia inest facultas. carnē Echini ter-

Gal. 11. de sim pl. Med. facul.

restris

restris multum in spasmo ualere dicunt. pro bellariis utatur passulis, nucleis pineis, amydalinis, & pistaciis. potus sit paucus, & ex aqua mulsa, in qua aliquid cinnamonij sit decoctũ. Vinum uetus in pauca tamen quantite haustum, tanquam materiæ spasmi resolutiuum laudauit Auic. nam superfluè bibitum inter causas spasmi connumeratur. exerceri, & moueri statuto, & conuenienti tempore: & aluus lubricha per se, uel clysteri esse debet. Quies, & otium, & omne corporis infrigidatiuum nocet. somnus prolixus præsertim diurnus, & immediate à cibo: mora in locis subterraneis, humidisque, uigiliæ pariter superfluæ sunt uitandæ. ueneris nullus sit usus. Ira quandoque seu excandescentia, solicitudo, gaudium, cogitatio, dummodo moderata, non nocet. His ita circa diætam institutis ad materiæ peccantis euacuationem deuenies: quæ si fuerit sanguis, aut cum sanguine educibilis, statim à uenæ sectione curatio auspicanda. sanguinem uero auferre conuenit, ex media cubiti uena non confertim, sed pluribus uicibus (si oportunum fuerit) nam taliter affectis non tantum sanguinis extrahere debes, quantum exigit morbus, sed aliquid symptomati est relinquendum (ut bene Galenus Glauconem docuit) cuius causa sæpe sudores eueniunt, & uigiliæ infestant, & patientis uires debilitantur. post sanguinis missionem (si expediens uidebitur) acri clysteræ fœces subducendæ. partes autem, quæ conuelluntur, ualenter continendæ sunt, & inordinatis motibus omnino resistendum: oleo quoque rutaceo, aut de costo, aut irino, aut alio huiusmodi perfricandæ, aut lanis aliquo dictorum oleorum imbutis contegendæ. aut uesicã latam calido oleo repletam superimponere oportet, & cucurbitulas admouere scarificatas.

i cap. 14.

In conuulsione uniuersali curam tardare, & concoctionem expectare imprudentis est Medici: frequenter enim intra quatuor dies interficere solet: unde statim euacuabis primo lenibus clysterijs, postmodum acrioribus, & aliis euacuationum generibus necessariis. In conuulsione particulari dante inducias ad regulariter operandum: initio materia digeratur hoc, uel simili syrupo. Recipe hyssopi, saluiæ, stœchadis, iuæ, amaraci, peucedani ana. m. i. aristolochiæ rotun-

dæ, gentianæ, dictamni radicum fœniculi, petroselini, apij, anethi, acori, uel eius uice calami aromatici ana ℥.i. Seminis peoniæ ℥.ii. passularum ℥.iii. ammios, anisi, ligustici ana ℥.s. polij, pyrethri ana ʒ.ii. bulliant omnia in sufficienti aqua, & decoctum cum expressione colatum in formam syrupi cum melle reddatur, cui adde aceti scillini ℥.ii. cinnamomi, nucis moschatæ ana ʒ.ij. dosis erit ℥.i.s. cum aqua saluiæ, uel amaraci. postea euacuabitur hyeralogodione, theodorico aliquo, catapotiis fœtidis, aut ex sagapeno cum agarico, ut, Recipe pilularum fœtidarum, ex sagapeno, agarici trochis, ana ℈.ij. misce, & cum melle ros. formentur catapotia. Quæ purgatio sæpius erit iteranda, præsertim morbo perseuerante: est enim periculosum tantam materiam unica uice educere: igitur, paulatim & partitis uicibus euacuando, securiorem inuenies uiam.

Caput præterea apophlegmatismis, gargarismis, caput purgiis, & similibus medicamentis purgandum est.

Hinc auxilia à balneis sunt expectenda: nihil magis hunc morbum expugnare, & celerius eradicare solet, quam balneum naturale sulphureum, uel aluminosum, uel salsum. singulis itaque diebus ante cibum, bis in huiusmodi aquas thermales descendat, ibique paruam moram ducat, ne uirtus ex longa mora debilitetur. quòd si aquarũ thermalium usus non datur: ad laconicum confugiat: uaporesque à lapidibus ignitis uinoque odorifero, & potenti aspersis eleuatos membro spasmato excipiat. uel in aqua mergatur, in qua pulegium, chamæmelon, abrotanum, folia lauri, betonica, saluia, hypericum fuerit decoctum. conuulsæ quoque partes pellibus luporum, & uulpium uestiri debent. & inunctiones adhibendæ superius in capite de paralysi descriptæ: uariantur tamen aliquo pacto: nam in paralysi magis resoluentes desideramus, in spasmo magis emollientes. ratio huius uarietatis est, quia materia paralysis est fluida, aquosa, ideo eget resolutione. materia autem spasmi est crassa, & uiscida, unde per inunctiones resoluentes amittit ex se partem tenuiorem, & retinet crassiorem, quæ ita induratur, ut nunquam postea discuti posit quare in cura spasmi emollientia semper præcedãt resol

Vnguen-

Vnguentum emolliens, Recipe mucillaginis fœnugreci seminis lini ana ℥.ij.butyri recentis, pinguedinis anatis ana ℥.s. olei sesamini, olei amygdalarum dulcium, ana ℥. i. s. olei de lilio ℥.i.ceræ quod sufficit. Idem præstat huiusmodi decoctum, Recipe seminis lini, fœnugræci, anethi, foliorum maluæ, acanthi ana m.i.bulliant in quatuor lib.aquæ ad consumptionem medietatis, inde colentur,& iure colato membrum conuulsum sæpius abluatur.

Vnguentum resoluens, Recipit euphorbij recentis triti ℥.i.ceræ rubeæ ℥. ij.oliui antiqui lib.i.liquefiat cera in oleo, & cum euphorbio misceatur. Aliud resoluens, quo membrum affectum inungi debet, Recipe olei sesamini, pinguedinis caudæ arietis, medullæ cruris bouis, & cerui, olei narcisini ana ℥.i.fœnugræci ʒ.iij costi ʒ.ii.ceræ parum fiat unguentum.

Medicamentum expertum in spasmo dorsi, & articulorum dolore ad humiditate, Recipe anethi magnam quantitatem coque in aqua,& oleo,& facta forti expressione coletur, & in talis colatura vulpis, vel lupi catulus, vel canis (visceribus prius extractis) bulliat usque quo fiat separatio carnis ab ossibus, iterum coletur, & in iure colato patiens bis in die sedeat, & postquam ab hoc exierit inungatur oleo costino, vel vulpino, vel liliaceo, vel pinguedine onagri.

Vnguentum bonum ad conuulsos, & tetano laborantes, accipe felem excoriatum, & in frusta disectum, item laridum, thus, & myrrham misce omnia, & in ansere pingui ab intestinis, & plumis purgato consuantur: postea anser ad ignem veru voluatur, asseturque, & supposita sartagine aceti plena pinguedo emanans excipiatur, postquam anser optimè assatus fuerit ab igne una cum sartagine remoueatur: frigefactam pinguedinem colligito,& in pyxidem recundito: hinc anserem cum omnibus, quæ intus continet, contusum in olla bullire facies, desuper proiecta aceto in sartagine contento, postea colabis, & pinguedine supernatante collecta, cum prima pinguedine admista membrum conuulsum sæpius inunges.

Vnguentum quoque ex styrace liquida, oleo liliaceo, castroreo, euphorbio est conueniens ut, Recipe styratis liqui-

dæ ℥.i.olei liliacei ℥.ii. euphorbij, castrorei ana ℥.i. ceræ q.s. misce, & ad ignem fiat vnguentum. Denique corpore bene purgato fricetur membrum conuulsum ad caloris reuocationem, & inunge oleo de euphorbio, & de castoreo simul unitis.

Ex interius assumendis est diamoschum, theriaca, Mithridatium, Diacorum: omnium securissimum, expeditissimumque est duo triaue castorei cochlearia partita ipsius quantitate, & per uices data. vltimum vero est confect. Anacardina febrem prouocans, quæ febris hominem ab hoc affectu liberare solet.

v. aph. 21. Paulus.

Frigide affusionem (quemadmodum ait Hipp.) cum sit maxime temeraria, eoque posteris prætermissa, damnamus deuitamusque.

Cura spasmi ex inanitione est ut patiens nutriatur cibis humectantibus, concoctu facilibus, & citæ distributionis. conueniunt carnes pullorum, gallinarum, phasianorum, agnorũ, hædorum, veruecum, & eorum Iura: in quibus hordeum, vel oriza, vel cucurbita, vel lactuca, vel huiusmodi olera humectantia, & refrigerantia sint decocta, præsertim si siccitas caliditati iuncta fuerit. aliquando cibi oleo amydalarum dulcium, vel lacte condiantur. potus sit vinum tenue aquosum, quòd si febris, & immodicus calor affuerit, potus sit aqua hordei, in qua testudines nemorales sint decoctæ, & est secretum: aut aqua syrupo violato admista, aut in qua passulę, vel glycyrrhiza bullierit. Aeger in aere humido otiosus degat. à venere, & à curis, cæterisque animi immodicis affectibus caueat. Quòd si aluum astrictam habuerit, tali clystere laxabitur, Recipe Agnorum, aut veruecum pinguium capita coquantur in aqua ad ossium separationem: cuius decocti, Recipe lib.i. lactis recentis ℥.iij. olei violati ℥.ij. pinguedinis gallinæ ℥.s. misce, & indatur. vel cassia fistularis, vel manna in iure pingui dissoluta per ôs exhibeatur. Extrinsecus conuenit balneum ex aqua, & oleo, & rebus humectantibus apparatum, quod bis in die, exhibita prius ptisana, ingrediatur: in eoque per dimidia horam ad summũ oblectetur. à balneo totum inunge, pręsertim neruorũ originem

ginem oleo violato tepido, cum lacte agitato, uel oleo de nymphea, vel de cucurbita:&(nisi febris putrida infestauerit) exhibe lac humanum ab vbere suctum, vel asininum, vel caprillum statim emunctum, addito pauco sacchari albi: nam cum febre putrida neque balneum, neque lac conuenit. Caput abrasum obduces succis, & mucillaginibus rerum humidarum cum oleo violato admistis: & lac mulieris masculum lactantis desuper emunges. Iuncturis, & spondylis pingue do caudæ arietis alligabitur, & singulo die remouebitur, & fricatis membris læsis, quousque incaluerint, iterum adhibeatur.

Scire tamen debes quòd spasmus ex inanitione bifariam considerari potest: primò vt est in sui principio, & tunc remedijs superius descriptis facile curabitur, quia virtus in neruis adhuc uiget. Secundò potest considerari vt confirmatus, & tunc est incurabilis quia ob caloris,& spiritus resolutionē, & humiditatis comsumptionem virtus est debilitata, & impotens ad restaurandum id, quod deperditum est. Verum tamen vt patienti aliquandiu vita prorogetur per interualla aliquo vtatur restaurativo vt, Recipe pulpæ caponis, vel pulli lib.i.contundatur in mortario, cui adde cinnamomi,caryophyllorum,folij, loco eius accipe casiam ligneam,karabe, nonnulli succinum, nonnulli electrum vocant, gummi tragacanthæ, gummi arabici, galangæ, nucis moschatę ana ʒ.i.amyli, glycyrrhizæ, nucleorum pini mundatorum sebesten, pistaciorum, amygdalarum dulcium,auellanarum mūdatarum, passularum, seminis cucurbitæ, melonis, cucumeris, papaueris albi, lactucæ,portulacæ, penidiarum ana ʒ.ij. omnibus contusis, & cum carne admistis adde sacchari albissimi in iure caponis dissoluti lib.ij.& fiant pastilli. Aliud Recipe sacchari violati borraginati,succi glycyrrhizæ ana ℥.i. gummi tragacanthæ, gummi arabici, santalorum alborum, & rubeorum ana ℥.i.s. amyli ℥.s. seminis lactucæ, spodij ana ʒ.i.cinnamomi,caryophyllorum ana ʒ.ij.croci ʒ.i.s.penidiarum ℥.iij.seminis citruli, cucurbitæ,melonis ana ʒ.iij.amygdalarum dulcium, sebesten ana ℥.i. seminis cotoneorum ʒ. vj. seminis papaueris albi ℥.iiij.conficiantur omnia cum sacchari

lib.

lib.iiij. dissoluti in aqua carnis, & fiant pastilli vt supra. Maximum restauratiuum est aqua carnis, quæ hoc modo paratur: accipies gallinam, vel caponem pelle denudatum, & in frusta minutissima seccabis, & in vase vitreo recundes, desuper infundendo aquæ ros. vini maluatici ana ℥. ij. vas optimè claudatur, ne vapores exhalare possint: hinc in cacabo aquæ bullientis pleno vsque ad carnis perfectam coctionem submersum detineatur, postea carnem extractam contundes, & ab ea suecum prælo exprimes, qui succus aqua carnis vocabitur. Aliter etiam in magna patientis debilitatis fieri potest: Accipe caponem larido porcino vnctum, assetur lento igni, postea contundatur, & succus prelo exprimatur. Aliter & melius, caponem deplumatum, & exenteratum in vino odorifero per 24. horas infunde: postea per alambicũ vitreum sublimabis, humor enim qui per talem sublimationem emanabit, multum erit restauratiuus: & adhuc magis erit, si quotiescunque propinare volueris, oui recentis vitellus cum eo agitabitur.

Cura spasmi non proportionati ad materiam à frigiditate conflati perficitur fomentis, vnguentis, & oleis calidis, sicut est oleum costinum, & de croco, cum castroreo.

Si vero (inquit paulus) malum hoc modo non finiatur cucurbitulas cum scarificatione admouere prodest, si crura contrahantur, coxis, & postremæ vertebræ. si manus conuellantur etiam dorso, & primæ ipsius uertebræ, tum ei, quæ humeros superiacet. In vniuersum corpore ab affectu immuni, si labrum, aut palpebra, aut lingua cõtrahatur, graue symptoma existimãdum est, quod maxima inuehat pericula, licet exiguæ partes affectæ videãtur. In his itaque sanguinis ex occipitio, & primis vertebris detractio rectæ adhibebitur.

Spasmus non proportionatus ad materiam à casu, & percussione dolorem inducente curatur embrocis emollientibus, laxantibus, & temperatis dolorem sedantibus, sicut ex decocto hordei mundi, chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, & similium.

Spasmus non proportionatus ad materiam à vulnere curatur dolorem mitigando, procurando saniem cum emplastro

de althæa, & oleo rof. exterius applicito. In vulnere autem terebinthina lota cum vitello oui agitata indatur: & initium ſpinalis medullæ vngatur, & foueatur cum humectantibus, temperatis in actiuis, ut eſt oleum amygdalarum dulcium: addatur oleum uiolatum, ſi febris adeſt. at ſi dolor abſque vulnere infectauerit remoue cauſam doloris: poſtea mitigetur cum anodynis ſcilicet oleo roſ. violato, vitellis ouorum, & aqua roſ. ſimul tepefactis, & cum ſtupa appoſitis. vel panis triticeus cum primum à clibano feruēti extractus eſt, in optimo vino mergatur, & ita madefactus vehementi dolori præſertim articulari adhibeatur.

Vel, Recipe pani triticei infuſi in lacte uaccino per duas, vel tres horas ℥. iij. olei roſ ℥. ij. vitellos ouornm recentium n. ij lactis uaccini quod ſufficit, agitentur omnia ſimul, & fiat emplaſtrum, quod tepidum ſuperponatur. Aliud, Recipe olei roſ. ℥. iij. medullæ panis calidæ in uino madefactæ ℥. iiij. miſce, & vtitor. quod ſi non quieuerit, locum dolentem ſcarificabis, & adhuc perſeuerante dolore hoc vnguento in circuitu inunges, Recipe olei roſ. ℥. iiij. opij ℥. s. hyoſciami, papaueris albi ana ʒ. ij. corticis mandragoræ, ſeminis apij ana ʒ. i. aceti accerrimi ʒ. ij. fiat vnguentum.

Spaſmus non proportionatus ad materiam à punctura parua cum acu, uel ferro, uel aliquo inſtrumento acuto, quamuis difficile, ſolet tamen curari per reſoluentia ſuperpoſita ut eſt furfur triticum torrefactum cum ſale: uel ſi punctura in altum deſcendit, & conſpectum effugit, tutius eſt cutem in vulneris orificio aperire, ac latius incidere quo melius ſanies, & uirus effluat, & commodius ad profunditatem medicamētorum uires perueniant. In punctura inſtilletur ſulphur, aut parum euphorbij diſſolutum cum oleo roſ. & terebinthina, & ſit actu calidum. uel, Recipe ceræ ℥. i. picis, terebinthinæ ana ℥. s. euphorbij ʒ. i. in corporibus tamen delicatioribus euphorbij ſit minor doſis: fiat emplaſtrum, quod olim à Galeno fuit excogitatum. neruus tamen detectus, & apparens ferre non poterit fortes medicinas, qualis eſt hæc, quæ euphorbium recipit: ideo in punctura nerui in profundioribus partibus recunditi ſolummodo adhibeatur: nam in punctura

6. Meth. cap. ij. & de cōp. med. per genera lib. iij.

nerui medicina debet esse exiccans, sine mordacitate: talis autem raro reperitur: ex melioribus est calx multum lota oleo ros. admista, & superinducta: pariter pompholyx cũ oleo ros.

Quòd si neruus punctim vulneratus phlegmone tentatur, & putrefit obduci debet farina hordeacea, aut fabacea, aut eruina in lixiuio, vel oximelite uel syrupo acetoso decocta. & in maxima, irreparabilique putredine locus affectus candenti ferro, caustico aliquo medicamento, cuiusmodi est Aegyptiacum, aduratur.

Spasmus non proportionatus ad materiam ab ictu, uel morsu, uel punctione alicuius feræ uenenatæ curatur in primis uenenum extrahendo per cucurbitulas scarificatas super impositas. ad hoc etiam confert gallus deplumatus per medium scissus, & adhuc palpitans, & calidus puncturæ adhibitus. valet scabiosa assata cum vitello oui. vulnus quandoque latioribus cauterjis ignitis inurendum, postea porri semina cum sale trita, aut allia, aut cepas illinire oportet, & post crustæ casum usque ad quadraginta, vel sexaginta dies vulnus à cicatrice arcebis. conducit etiam theriaca cum rosaceo diluta, & apposita, eò quòd uenenum, aut eius qualitatem à profundo attrahat, atque uacuet: hæc est enim alexiteriorum actio: ut bene Galenus scripsit priuatim vero ea actione prædictam esse theriacam Idem Galenus in lib. de theriaca ad Pisonem testatur, inquiens equidem olim mecum ipse aliquod remedium excogitans hanc ipsam theriacam oleo rosaceo mollitam linamentis imposui, ac veluti medicamen aliquod vulnerarium foret vlceri superimposui, vt tanquam cucurbitula uenenum è profundo traheret, & exugeret. venenum pariter gentiana, saluia, utraque aristolochia, lauri baccæ, dictamnum extinguere solent.

De simpl. medic. facul. 5. cap. 17.

Spasmus non proportionatus ad materiam per consensum à ventriculo bile prassina, vel flaua, vel æruginosa. vel alio modo humore infestato, curatur vomitu spontino, vel arte prouocato cum aqua tepida, & oximelite vel aliquo alio vehementiori vomitiuo propinato, curatur etiam tales humores per secessum educendo, & presertim in ijs, qui graciles, & ad vomendum difficiles sunt.

Spasmus, qui vulgo granfus dicitur, quoniam à flatu caussari solet, ideo rebus calidis, & flatum discutientibus tam in victu, quam in pharmacia adhibitis expellendus.

Caueat patiens ab aere frigido, à cibis flatuosis, à nimio otio, à venere, & à cruditatibus: & aqua frigida nunquam abluatur. In morbi accessione talis indatur clyster, Recipe centaureæ, rutæ, melilori, florum chamæmeli ana m.i. Dauci, anisorum, fœniculi, ammios, carui ana ℥.s. colocynthidis, baccarum lauri, ana ʒ.iij. bulliant ad medietatis consumptionem, inde colentur cum expressione. Iuris colati, Recipe lib.i. mellis ℥.ij. olei rutacei ℥.iij. elect. de baccis lauri ʒ.vj. sacchari rub. ℥.ij.s. misce, & fiat clyster, confert etiam abluere membrum conuulsum cum decoto chamæmeli, rutæ, saluiæ, abrotani, foliorum lauri, & similium, vel cum vino calido, uel lixiuo. conueniunt etiam frictiones cum panno aspero, & inunctiones ex oleo de costo, de spica, & de castoreo.

Tetanus inter omnes spasmi species seu differentias difficilioris est curationis, & magis formidandus: est enim compositus ex emprosthotono, & opisthotono, Ideo bene ab Hipp. dictum est quòd quicunque à distentione corripiuntur in quatuor diebus, vt plurimum, pereunt, nam est morbus peracutus: quare celeri auxilio, & cura indiget. omnia, quæ superius in cura spasmi à plenitudine, ab inanitione, in cura spasmi non proportionati ad materiam proposita sunt: pariter in cura tetani à plenitudine, à siccitate, & in cura tetani non proportionati ad materiam conueniunt: dummodo celerius adhibeatur.

∴

Περὶ τρόμȣ.

De tremore. Cap. IIII.

Gal. de symp. caus. 2. cap. 2.

INTER neruorum passiones pariter tremor, & stuper cõnumerantur: vnus enim diminutus motus, alter vero diminutus sensus.

Est autem tremor motus prętor naturam, compositus ex motu membri grauantis, deorsumque trahentis: & ex motu potentię, seu virtutis volontariæ sursum eleuantis. & est veluti continua pugna inter virtutem voluntariam membrum attollentem, & inter grauitatem ipsius membri deprimentem. hincque fiunt duo motus coutrarij, & successiui, quorum vnus est voluntarius, alius autem violentus. & in Istis motibus est paritas quædã, etenim si virtus omnino superaret, membrum moueretur ad libitum, & grauitas ipsius deorsum trahere non posset: si vero grauitas vinceret, membrum non eleuaretur, sed in parte inferiori quiesceret, sicque nullus esset tremor. Sed quia est quædam æquipollentia, & paritas, vt nũc vnum, nũc aliud victor existat, ideo fit tremor. qui aliquando consideratur vt actio diminuta ipsius virtutis motiuæ: sicut stupor actio diminuta ipsius virtutis tactus, & sic erit symptoma. aliquando consideratur vt mala dispositio corporis, vel membri causans talem motum, & sic erit morbus: vnde Auic. inquit tremor est morbus instrumentalis, eueniens propter defectum uirtutis motiuæ à motu musculorum, &c.

Accidit tremor præcipue in eo motu, quem τονικὸν Galenus uocat, quasi tẽsiuum diceres, quando membrum aliquod extremum, vt brachium nulli rei inixi extentum, & immobile cupimus conseruare, tunc enim musculi vniuersi, eorumque chordæ, ita fatigantur, ut absque vllo etiam morbo ex solius potentiæ lassitudine quandoque tremor adueniat, præsertim in senibus, iam defecta virtute, pariter etiam in ualidis Iuuenibus si nimio onere oppressi ambulauerint; uel in hostes,

hostes, aut latrones inciderint: aut aliquem terribilem tyrannum adierint.

Differt tremor à stupore nam stupor est passio virtutis sensitiuæ, seu diminutus sensus: tremor autem est passio virtutis motiuæ, seu motus diminutus.

Differt tremor à palpitatione, in essentia, causa, & loco: tremor enim ex maxima sui parte motus est voluntarius. palpitatio autem est motus omnino preter voluntatem: quippe vt dicebat Gal. nemo, qui artus mouere non instituerit tremet: palpitantes autem particulæ etiam si quietæ fuerint, si que nullum ipsis motum induxeris, palpitant. Causa tremoris est imbecillitas facultatis, quæ corpus sustinet, mouetque sursum, & deorsum vicibus permutatis, & est quandoque vniuersaliter in toto corpore, quandoque in vno membro particulari, ut in capite, brachio, uel pede. causa palpitationis est spiritus crassus, vaporosus in concauitate aliqua ipsius membri collectus, non habens transitum, ut in arteria, in musculis, & musculorum interstitijs, & locis cutaneis, vel propè cutaneis.

De tre palp. cap. 4.

Differt tremor à rigore, nam tremor est motus vt plurimum particularis vnius membri, & est absque dolore. Rigor est motus vniuersalis totius corporis: seu perfrictio dolorifica cũ quadã inæquali ipsius concussione, agitationeque.

Queritur quare caput, & manus tremore magis infestantur, quàm crura, & pedes. quia caput multa pituita, multisque redundat excrementis, non modo per se, uerum etiam per consensum ab alijs partibus: quibus excrementis uiæ spirituum motiuorum obstruuntur, vnde motum perfectum præstare non possunt. Manus autem habent neruos propinquiores cerebro, & sensui potius quàm motui deseruientes, ideo molliores, & debiliores: Crura vero, & pedes multum distant à cerebro, & muniuntur neruis motui principaliter destinatis (per eos enim totum corpus mouetur, & sustentatur) quare tales nerui sunt duriores, & validiores, difficileque ad tremorem dispositi.

Causa.

Tremor fit vel propter imbecillitatem virtutis, seu spiri-

tuum

tuum vel propter inepitudinem membri ad motum naturalem. Virtus, seu spiritus imbecilles redduntur ob ægritudines, ob inediam, nimia exercitia, coitum, assiduas vigilias, balnea: uel ob retractionem ipsorum ad membrum principale, vt in timore accidit, quem nonnulli incurrunt publicè orando, disputando, vel hostes videndo, vel super alta præcipitia iter faciendo, vel serpentem, aut feras insectantes fugiendo, vel aliquem principem aut magistratum alloquendo, vel pugnam inituri. aut quia tales spiritus motu inordinato mouentur, vt in mœstitia, gaudio, desiderio, & huiusmodi animi passionibus videre licet. aut quia tales spiritus sunt nimis crassi, frigidi, aut putridi, aut aliqua mala qualitate infecti.

Membrum ineptum ad operationes, & motum naturalem redditur quando intemperie aliqua affectum, humida scilicet propter continuatas crapulas, ebrietates nimiū vini potū, aut aquæ frigide, modo, & hora inconuenienti, vt, verbi causa, post coitum, balneum, exercitium laboriosum, post Ieiunium. aut intemperie sicca ipsum membrum malè flexibile faciente. aut continui solutione, aut obstructione coarctatoria, uel attenuatoria, vel carnosa: vnde spiritus ad præbendum motum conuenientem penetrare non possunt.

Quandoque tremor fit propter impedimentum in membro, & in spiritibus simul, vt in punctura animalis uenenosi contingere solet.

Causa trenioris frequentior est frigiditas superflua, aut humiditas emolliens, quæ tamen minor est humiditate paralysim faciente.

Signa.

Ex auic. Tremoris signa vniuersaliter patent omnibus intuentibus membrum, uel membra tremula.

Signa tremoris propter defectum virtutis, & spirituum, sunt quia patiens ex quouis labore, fame, aliaue causa superius descripta, deficit, & tremulus fit: & ex quouis nutriente cibo restauratur, uiresque resumit.

Signa tremoris ob intemperiem frigidam, aut humidam membri, aut puncturam animalis venenosi sunt manifesta.

Pro-

Prognostica.

Tremor à siccitate, vt in hectica, & marasmo est incurabilis. Tremor in senibus, & decrepitis sola morte remouetur. Tremor in parte sinistra est magis timendus respectu ipsius curæ, nam uirtus ibi est debilior: non respectu causæ, nam fit à debiliori causa.

Tremor est præludium spasmi, aut paralysis, secundum quòd eius materia est tenuis, aut crassa.

Tremor in labio inferiori vomitum prope futurum denuntiat. Qui in febribus ardentibus tremores fiunt delirio soluuntur (inquit Hip.) nam quando febri ardenti coniungitur tremor, signum est, quòd materia frigida neruos emolliens, dissoluta est à febre, vnde alienatio mentis superueniens denotat cerebri calefactionem, & per consequens ipsorum neruorum, vnde tremoris curatio fieri potest.

Hip. 6. aph. 26.

Cura.

Aer pro curando tremore fit calidus, & siccus, & bonum redolens odorem. Cibus expetitur facilis concoctionis, & boni succi, ideo uescatur pane ex optima farina fermentato, & probè apparato: caueat à pane, cui lolium sit admistum (lolium enim incrassat spiritum animalem, debilitat neruos, nocetq; virtuti motiuæ) caueat pariter à pane hordeaceo, siligineo, à leguminibus, à cibarijs ex pasta nõ fermẽtata, à piscibus cetaceis, & palustribus, & præsertim ab anguilla, à tencha, à caseo antiquo, à fructibus horarijs, nisi quandoque ante cibum ventris lubricandi causa assumantur: vel post cibum si astringentes fuerint vt cotonea, pyra, mespila, azarola: conceduntur tamen nuclei pinei, pistacia, amygdalæ, passulæ, vuæque pensiles, item caricæ pingues cum gingibere, vel acoro. carnes sint hædinæ, veruecis, vitulinæ, pullorum, caponum, phasianorum, columborum, turturum, perdicum, coturnicum, turdorum, merularum, alaudarum, passerum, hirundinum: fugiat carnes bouinas antiquas, item porcinas, anatinas, anserinas. conferunt oua recentia, item oriza cum lacte nucleorum pini cocta, & condita cum melle, vel saccharo: item cerebrum leporis assum sæpius exhibitum habet proprietatem in remouendo tremore: idem caro nicticoracis

præstare dicitur. pro senibus tremulis laudatur succus pullorum, & columborum Iuuenum præsertim tempore hyemali: fit autem hoc pacto, accipe columbum deplumatum, & exenteratum, vino sæpius ablue, & in mortario contunde, & in olla noua cum sale, coriandro, & tantillo olei bullire facies perfecte coctum forti expressione panno denso colabis, iusq; colatum oportunè patienti propinabis. Inter olera conceditur saluia, rosmarinus, amaracus, origanum, pulegium, hyssopum, mentha, petroselinum, fœniculus, calamintha, borrago, satureia, serpyllum. Potus sit aqua mulsa, vel aqua pluuialis: fugiat aquam frigidam niualem glacialemque: pariter vinum vinosum, & meracum. Exerceatur ante cibum, exonerata aluo, si fieri potest vsque ad sudorem. frictiones quandoque vicem exercitij subeant. Confert balneum ex aqua thermali calida, vel ex aqua marina, vel ex decocto rerum calidarum. somnus sit moderatus sex, vel octo horarum. beneficium ventris spontinum, vel coactum quotidie procuretur. venus omnibus tremulis est perniciosissima. mala animi accidentia sunt vitanda. irasci tamen quandoque, lætari vero semper prodest.

Cura tremoris per pharmaciam fit primò concoquendo materiam frigidam, & humidam cum his, quæ supra cap. de paralysi dicta sunt: peculiariter autem cum syrupo de stœchade, de betonica, oximelite scillino, decoctione saluiæ, amaraci, rosmarini, hyssopi. vel cum huiusmodi syrupo magistrali, Recipe acori, stœchadis, herbæ paralysis, satureæ, amaraci, rutæ, saluiæ, chamedryos, chamæpityos, calaminthæ, menthastri, origani, ana.m.s. fiat decoctum, cui adde mellis quod satis est, & syrupus conficiatur, in quo puluis infrascriptus aliqualiter bulliat, postea abijciatur, Recipe cinnamomi, caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, seminis peoniæ, piperis nigri, & longi, calami aromatici, gingiberis, spicæ, anisorum ana ʒ.i. contunde, & in puluerem redige. Postea euacuando cum hyeralogodione, cum pilulis fœtidis, vel ex Mesue, Recipe castorei, pyrethri, cassiæ ana ʒ.iij. Sagapeni, pulpæ colocynthidis ana ℥.s. hyere picræ ʒ.v. confice cum melle rosf. dosis ʒ.s. confectio ad tremorem experta, Recipe

cipe myrobalanorum indorum ℥.i. saluiæ ʒ.iij. olibani ʒ.ij. cyperi, calami aromatici ana ʒ. i. s. confice cum passulis. dosis ʒ.ij

Euacuatio, quæ fit per phlebotomiam non conuenit, nisi in tremore causato à suppresis hæmorrhoidibus, uel menstruis facta euacuatione conuenienti: tota intentio conuertitur ad alterandum, resoluendum, & corroborandum neruos cum interius exhibendis, & exterius applicandis. Interius conuenit Stœchas ad pondus ʒ.i. cum aqua mellis per multos dies propinata, vel cum hyera picra in forma pilularum redacta. Item iuuat castoreum cum aqua saluiæ. In tremore manuum causato ab animi passionibus, scilicet verecundia, & intensa cogitatione de re formidabili tentanda, Iuuat opponax in vino exhibitus.

Corroborat neruos, & tremorem remouet, Diamargariton, pliris arcoticon, & hoc Gentilis Elect. Recipe Saluiæ, rosmarini, acori, seu calami aromatici ana ℥.s. fiat decoctio, in qua ponatur croci ℈.s. Sacchari albi lib.i. adde nucleorum pini ℥.i. gingiberis, Xiloaloes, nucis moschatæ, maceris Cardamomi ana ℥.s. fiat Elect. cuius dosis ʒ.ij.

A proprietate cerebrum leporis assatum idem præstare dicitur.

Exterius adhibentur olea calida, vt est oleum cucumeris asinini, de euphorbio, de castoreo, de costo, de andacocha idest de flore trifolij siue loti ægyptiæ. Item emplastrum ex folijs eiusdem, & hæc super membrum affectum inúctio, quæ recipit Costi ℥.i. pirethri, euphorbij ana ʒ.i. castorei ℥. s. dissoluantur omnia, in ℥.vj. olei vulpini, quibus addatur ceræ. ℥.i.

Tremor causatus à potu aquæ niuosæ curatur balneo calidissimo, in quo ęger maneat, quò ad multum sudauerit, postea vtatur cibis calidis, & inunctionibus vt supra descriptis.

Tremorem à nimio vini potu, & cibo conflatum curamus, vinum interdicendo, diætam conuenientem imperando, vel, si humores inde multiplicati fuerint, medicinis solutiuis, aut vomitu, aut clysteri euacuando: & capitis intemperies oxyrhodinis retundetur.

περὶ ἐκστάσιος.

De stupore. Cap. V.

STVPOR quandoque pro admiratione ponitur. Virgilius pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ. nam quæ captum, ingenijq; humani discursum excedere videntur, animo nostro stuporem, & admirationem inducere solēt, & talis stuper ἔκπληξις græcè dicitur: quo homines affecti, neq; aliquid dicunt, neque agunt, sed apertis oculis quieti manent, similes ijs, qui ex timore sunt attoniti, & est propriè actio diminuta virtutis imaginatiuæ, nam stupidus videtur imaginari, attamen nihil, vel diminutè imaginatur.

Alio modo stupor ponitur pro læsione sensus tactus, & motus in aliqua parte corporis, quam obdormitationem Medici appellare solent: sicuti accidit quando quis crura compressa graui pondere per multum temporis spatium habuerit: unde secundum Gal. stupor est sentiendi, & mouendi in membro difficultas, & secundum Auic. stupor est morbus officialis inducens nocumentum in sensu tactus, aut ablatè, aut diminutè, in quo non solùm virtus sensibilis prohibetur à penetratione, sed etiam virtus motiua: inuenitur tamen quandoque stupor absque motus difficultate propter diuersitatem neruorum motus, & sensus, de huiusmodi stupore in præsentia, agendum est.

Stupor diuersimodè consideratur scilicet vt morbus: quem sequuntur tremor, aut paralysis, & vt symptoma, idest lęsio sensus tactus, & quandoque est vniuersalis toti corpori, excepto capite, quandoque particularis vni membro. Item quandoque est per se eueniens: quãdoque alteri succedit ægritudini. Item alius vehemens, alius paruus, alius mediocris. Item alius materialis, alius immaterialis.

Quæritur quare pes, vel crus à compressione, vel ligatura stupefactũ videtur maius, & grauius: quia virtus motiua, prohibitis

hibitis ſpiritibus à proprio curſu, eſt debilitata, impotensque facta ad priſtinum munus explendum: vnde illi contingit quod gerrulo debili: qui ſub paruo pondere titubat, cum prius validior exiſtens magnum facile ſuſtinerent.

Iterum quæritur quare in pede ſtupido fit quidam ſenſus, veluti formicarum in eo diſcurrentium: quia ſanguis, ſpiritus, & vapores craſsi vix per meatus adhuc ſtrictos, & impeditos penetrare poſſunt, cum prius in ipſo membro ſano liberum haberent aditum, vel quia virtus ſenſifera in ſano non mutatur ex ipſorum tranſitu propter membri, eorumque ſimilem temperaturam, ſed in ægro mutatur propter eorum diſsimilem tẽperiem: nam ſpiritus ſunt calidi, membrum autem frigefactum.

Cauſa.

Cauſa primitiua aeris frigiditas eſſe poteſt, aut nimia caliditas: cibus frigidus, & humidus, vt lactuca, fungi, tubera. aut calidus vaporoſus, vt allium, porrum, cepæ, crocum. potus vini potentis, ebrietas, crapula. Item medicamenta narcotica interius, vel exterius adhibita, vt opium, hyoſciamus, papauer, mandragora, contactus piſcis torpedinis, punctura ſcorpionis aquatici. nimia quies, & otium: exercitatio laborioſa ſtatim à cibo obſtruens: vel exercitatio poſt longam famem ſpiritus reſoluens, & debilitans, dolor intenſus, balneum nimis frigidum, vel calidum, ligatura, vel membri compreſsio, luxatio, caſus: ipſius capitis, vel nerui, vel arteriæ percuſsio. Somnus ſuperfluus, vigilia immoderata: excrementorum diutina retẽtio. Cõtinua animi attentio ad aliquod obiectum, timor, & mæſtitia.

Cauſa antecedens, eſt totius, aut membri cum neruis cõſenſum habentis mala temperies frigida, & humida, cum materia, aut ſine materia: vel mala temperies calida, & ſicca febrilis virtutem proſternens, & ſyncopim inducens, & ad ſtuporem faciendum diſpoſita, præſertim in ſtatu prope mortem.

Cauſa coniuncta eſt eadem mala temperies, vt plurimũ frigida, & humida. item humor ferè ſemper pituitoſus, vel melancholicus actu iam ſpirituum ſenſui deſeruientium tramites obſtruens.

Signa.

Signa stuporis sunt diminutio, aut ablatio sensus tactus vniuersaliter in toto corpore: aut particulariter in aliquo mẽbro, cui vt plurimum associatur aliqua motus læsio: & æger quandoque percipit in loco affecto quandam tristem sensationẽ, ac si formicæ multæ huc, illuc pergerent partes vellicantes.

Prognostica.

Stupor magis accidit pedibus, quam alijs membris, quia magis remoti à fonte virtutis sensitiuæ, idest à cerebro.

Stupor pertinet magis ad partem anteriorem: inde enim virtus sensitiua originem ducit.

Stupor perseuerans nunciat paralysim, aut conuulsionem futuram.

Stupor euacuationi minime cedens, si vertiginem successorem habuerit in apoplexiam, vel epilepsiam, vel lethargum cõuertetur.

Stupor à percussione, & vulnere non curatur.

Cura.

Rasis. 9. ad al. mans.

Stupor curatur ijsdem ferè remedijs, quibus & ipsa paralysis: verumtamen cum paralysis sit ægritudo vehementior, validiora etiam medicamenta exposcere videtur particulariter autem conuenit aer ad calidum, & siccum vergens. cibi sint moderatè calidi, laudantur carnes gallinarum, pullorum, columborum, ius ciceris cum saluia, rosmarino, cumino, anetho. Abstineat à vino, & à cibis humores pituitosos, frigidosque procreãtibus, & membrum stupidum exerceatur, assidueque moueatur: motus enim calorem excitat, materiam in membro contẽtam resoluit, obstructionem aperit. Venus stupidis, epilepticis, & trementibus inimica.

Cæterum si stupor fuerit à repletione sanguinea, curabitur venæ sectione, quæ magis deseruit membro stupido. Si autẽ repletio sanguinea est in toto, phlebotoma venam communẽ, deinde cephalicam: at si quid venè sectionem prohibuerit (corpore prius expurgato) hirudines, & cucurbitulæ (inquit Rasis) magnum præstabunt iuuamentum.

In stupore à materia cruda, & pituitosa nullum extrahito sanguinem, ne calor naturalis, quo maximè indigemus, debilite-

tur:

tur: sed potius Syrupis in cap. de paralysi supra descriptis ipsam concoquito materiam: deinde concoctam, & præparatam hyera Ruffi, vel pilulis ex colocynthide, vel fœtidis euacuato: & membrum affectum, eiusque originem balneo, vel inunctionibus Fouebis. balneum sit ex rebus calefacientibus, & resoluētibus. Inunctiones fiant oleo cucumeris asinini, oleo cheirino, Iasmino, & costino, in quo euphorbium prius bullierit. vel cucumeris asinini, in quo castoreum fuerit dissolutum, vel Recipe olei veteris ℥. iiij. aquę ℥. viij. Castorei, calaminthæ, rutæ ana ℥. i. bulliant omnia ad aquæ consumptionem: hinc expresione colentur, & addita cera fiat vnguentum.

Stuporis à compressione membri cura erit extensio, & exercitatio ipsius membri.

Stupor dentium, quem hęmodiam vocamus, causatur à cibis austeris, acidisque, item à stridore serræ seccantis, à vomitu, à destillatione, à vaporibus acidis à ventriculo eleuatis.

Gal. de loc. aff. 2. cap. 6.

Cura erit fricare dentes nucleis iuglandium, amygdalinis, & auellanis: Iuuat etiam masticare panem calidum, caseum assum, pariter vitellum oui calidum, & fricare Scillam, aut salem, aut lauri baccas, aut assam fœtidam, aut carui super dentem stupidum. omnibus alijs remedjs portulaca ob suum lentorem in hoc præfertur, nisi stupor fuerit à vomitu, à destillatione, & stridore serræ seccantis.

Mesue.

Gal. ad thras. cap. 13.

∴

Sectionis primæ.

Libri Tertij finis.

DOMINICI LEONI LVNENSIS

Artis medendi humanos, particularesq; morbos à capite vsque ad pedes, Sectionis primæ.

LIBER QVARTVS.

De oculorum Anatome. Cap. I.

DEVS omnipotens & gloriosus inter omnia pulchra, & admiranda lucem procreauit: quæ ex sui natura ab omnibus ferè animantibus, & præsertim ab ipso homine expetitur: per quam ad cœlestiū, æternarumq́ue rerum, vnde originem ducit, contemplationem paulatim se erigere potest: vt igitur præciosissima, & admirabili luce frueretur, præcioso, & admirando instrumento, oculo scilicet illum Deus ornauit: cuius membri triplex utilitas. prima, quia ad notitiam rerum, & scientias capescendas oculus homini maxime famulatur, multas enim demostrat differentias, & in hoc animę ipsi ualdè inseruit, quare Auic. primo de animalibus inquit inter omnia membra oculi mores

animæ magis ostendunt. Secunda, quia facit ad corporis uitam, conseruationem, & tutelam: per eum enim intellectus fit certior de rebus extrinsecis vel appetendis, vel fugiendis: Ideo in parte sublimiori fuit collocatus, ut esset tanquã custos, & speculator ne pedes declinarent à recta uia, & ne manus apprehenderent nociua, & ne corpus occursaret telis, & extrinsecis impingeretur periculis.

Tertia, quia habet magnam uim ad procreationem, nam (ut scribit philosophus) oculorum sedes maximè omnium locorum capitis seminalis est. 4. proble. 24

Quod patet, cum sola ipsa per coitum uenereum manifeste immutetur, & usu immodico rei uenereæ oculi aperte langueant, & subsedeant: hinc est quod mulieres non modo suffitu steriles, uel fœcendæ ostenduntur, uerum illitu ut colores oculis impositi saliuam colorent, & inficiant, nam nisi hoc ita fiat, meatus corporis, per quos excrementum decedit, confusos, obseptos, & obcæcatos esse significatur.

Figura oculi fuit rotunda, ut facilius ad omnes ferè positiones uerti posset, & ut minus exponeretur læsionibus, quæ à rebus extrinsecis aduenire possunt.

Substantia oculi ex tunicis, & humoribus componitur. tunicæ sunt septem. humores uero tres. prima tunica colore alba græcis ἐπιπεφυκώς, adnata, uel coniunctiua latinis nuncupatur, eò quod adnascitur panniculo craneum extrinsecus ambiente, & coniungat oculum uicinis partibus ipsum undiquaque amplectens præterquam in parte anteriori, ubi est cornea. Secunda tunica, quæ exterius apparet græce κερατοειδής, latine cornea, quia instar cornu laternæ sit pellucida, uocatur: hæc è regione pupillæ est crassa ex quatuor pelliculis composita, quæ tamen per dissectionem non facile distingui possunt, & non est colorata, sed peruia, & diaphana: & habet originem à dura matre seu à panniculo interius immediate sub craneo posito. Tertia est, quæ græcis ῥαγοειδής, uuea, uel acinosa à nostris dicta, eò quod habet similitudinem grani uuæ, in quo capulus euulsus foramen relinquerit: quod uueæ foramen pupillam dicimus: hæc tunica à pia matre ortum habet. quarta est ἀραχνοειδής grecæ, à latinis

aranea,

aranea, quia telę araneæ assimilatur dicta. quinta est, quæ græce ἀμφιβληστροειδὴς, latine retiformis, barbare retina, quia reti similis, dicitur. sexta est χοροειδὴς, secundina uocata, ad similitudinem secundinæ fœtum continentis. septima σκληρῶτις, latini duram, barbari scliroticam, eò quod duræ sit substantiæ, appellant. Sciendum tamen est quòd Autores septem describunt tunicas, ad diuersa earum nomina respicientes (nam aliud nomen in parte anteriori, aliud in parte intrinseca posteriori unaquæque sortitur) attamen uere non sunt nisi quatuor tunicæ. cornea enim, & sclirotica est solum una. Vuea, & secundina alia. Aranea, & retina tertia. coniunctiua est per se quarta.

Humorum oculi primus est ὑδατοειδὴς, seu aquens, seu, ut nonnullis placet, albugineus, quia similitudinem cum oui albumine habeat, dictus, maior cæteris in quantitate: cuius sedes est in medio inter araneam, & vueam. postea sequitur humor κρυσταλλοειδὴς, quem nos crystallinum, & glacialem dicimus, à similitudine, quam cum lucidissima glacie, vel grandine, & exactissimo crystallo obtinet: & est totius oculi centrũ: & terminatur termino proprio: cuius forma est rotunda, plana tamen anterius, vbi species recipiuntur uisibiles: posterius autem tendit in acutum, & profundatur in humore uitreo, à quo nutrimentum suscipit. Tertius humor in posteriore oculi sede reponitur, uulgari quidem albo uitro iam refrigerato colore, & luciditate respondens, hinc græcis ὑαλοειδὴς, latinis uitreus, uel uitriformis dicitur. Consistentia verò humore crystallino longe mollior uisitur, & ab oculo exemptus suam formam minime seruat, quamuis interim aquæ modo non defluat, sed ita consistat, quemadmodum uitrum in fornacibus fusum.

Virtus uisiua, & spiritus pro uisu perficiendo penetrat ad oculum per duos neruos, concauos πόρους ὀπτικοὺς Herophilus, & Eudemus nominarunt: qui nerui optici, ducunt initiũ à cerebri basi, & antequam oculos attingant, in medio uniuntur, ne una res uisa, bina appareat: hi nerui oculos subeuntes molliores redduntur, in latamque degenerant tunicam, uitreo humori proximam. itaque oculus accipit à cerebro primum

mum uirtutem uisiuam, quæ est potentia animæ, insuper uirtutem motiuam, & sensitiuam: in eoque principale sentiendi instrumentum est humor chrystallinus qui solus à coloribus alteratur, & non modo malam temperiem, unitatisque solutionem pati potest, uerum ut dicebat Gal. huic transferri, ac sede moueri instrumentalis morbus quandoque incidit. quanquam translatio si quidem ea uersus angulum maiorem minoremue est facta, nihil, quod æstimãdum sit incommodi affert, sin sursum, deorsumue inclinat, duplicia, quæ uidentur, omnia apparere facit.

de symp. caus. 1. c. 2.

Hæc breuiter de oculi anatome dicta sufficiant; cuius temperamentum à prædominio, est frigidum, & humidũ aqueum: unde aliquis fortasse dubitare poterit, quare oculus Iuuenis melius uidet, quam oculus pueri, cum tamen oculus pueri sit humidior, & magis aqueus: quia uisio est uirtutis animalis operatio, quæ uirtus in Iuuene semper est uigorosior, ueluti naturalis in puero, præterea in Iuuene humidum oculi nõ est ita superfluum sicut in puero, neque exiccatum ut in sene. Senes enim (dicebat Arist.) obtusius uident, quia siccitas totam cutim eorum, indurat, & rugosam reddit: ergo uel eam, qua pupilla integitur: itaque uis illa conspiciendi cooperitur, & delitescit. hinc est quod exercitatio corporis incommoda est oculorum acumini, quia exercitatio, sanguinem efficit sicciorem sicuti, & reliquum corpus.

Gal. de tuen. San. 2.

3. proble. 14.

Quærit Arist. cur omnium membrorum solus oculus cũ sit imbecillissimus non rigeat: quia inquit opimus est, nec carnis quicquam in se continet: quod autem tale est securum manere à frigore potest. haud enim audiendi sunt illi, qui propterea rigere oculum negant, quia vis illa conspiciendi ignis est, non enim talis in oculo ignis est, vt calefacere valeat.

3. proble. 23.

Quærit pariter cur oculus sinister nihilo imbecillior, sed æquo modo, atque dexter videre potest, cum reliquæ corporis partes omnes sinistræ inualidiores, quam dextræ sint? an quia pars dextra in eo discrepat à sinistra quòd magis agat, non in eo quòd patiatur: videndi autem facultas non vt ageret, sed vt pateretur à natura data est.

3. proble. 19.

Quærit præterea quam ob causam manu præ lucerna, aut sole

3. proble. 29

ſole obiecta melius inſpicere poſſumus: quia lux proueniens ſole, vel lucerna, ſi recto tramite viſui noſtro occurrit ipſum propter luminis exceſſum diſgregando debilitat, quod ſi appoſita manũ prohibetur ne per rectam deſcendat lineam, nec luminum acies offici poteſt, & res viſui obuia nihilominus in luce poſita eſt, vnde fit vt & acies plenius agat, & res quoque inſpectanda videatur. hinc eſt quod legentes lumen in laternis condunt, ſicq́ue lumine non lędũtur, & tamen quod legunt, optime illuminant.

Viſio perfecta tribus ſignis cognoſcitur, primo viſibilium diſtantia, ita quod oculus, & longinqua, & propinqua optimè videat: ſecundo in rectitudine Iudicij, ita vt Iudicet obiecta viſa ſine errore, ſed pro vt ſunt. tertio in actu, & modo videndi, quia non læditur alba, ſplendida, & lucida viſibilia videndo.

Quomodo oculi temperamentum cognoſcatur. Cap. II.

OCVLI temperamentum percipitur, multis ſignis, præſertim à tactu, à motu, à venis, à figura ſeu forma, à colore, à quantitate, ab operationibus, ab eo quod exit, ſeu ab excrementis, à diſpoſitione ad paſsiones.

A tactu habetur temperamenti cognitio ſecundum quòd Medicus tangendo oculum ſentit in eo caliditatem, uel frigiditatem: aut humiditatem mollitiéque: aut ſiccitatem duritiemq́ue (effectus enim humidi eſt mollities, & lenitas: ſicut effectus ſicci eſt durities) vnde ex Galeno notare debes, quòd dicimus oculum eſſe calidum, vel frigidum humidum, uel ſiccum, non alicui rei alteri comparantes, ſed ad ſe ipſum temperatum. Inſtabit aliquis, ergo prius ſigna oculi intẽperati, & ægri, deinde temperati, ſunt ponenda? cui facilis eſt reſponſio videlicet non eſſe abſurdum priuationem quandoque ſuo habitu, quo ad nos notiorem eſſe. oculus enim intemperatus in ſuis ſignis melius cognoſcitur, quã oculus tẽperatus. Inſuper

Ariſ. 4 Meth. tex. co. 3.

auer. 8. phy. tex. com. 27.

super scire debes prædicta signa verificari duabus præsuppositis conditionibus: prima est ne aliquod ex istis signis perueniat ab ambiente aere, vt verbi causa per lachrymam, & per colorem fortasse Iudicabis oculum illius temperamenti, cuius non est: nam talis color, & lachryma potest causari non à proprio temperamento, sed ab aere, vel ab aliis rebus extrinsecis. secunda conditio, quòd temperies oculi sit ad totum proportionata, nam posset aliquis habere oculum natura frigidum, & tamen reliquum corpus bile redundaret quæ euaparás, & oculum rubeum, aut flauum faciens causaret, quòd Iudicium ex tali colore esset falsum.

A motu habetur cognitio: pro vt motus erit leuis, facilisque, vel grauis, & difficilis: vel velox, aut tardus: vel frequens, aut rarus. In quo motu duplicem grauitatem, duplicemque consideramus leuitatem. vna est grauitas quando quod mouetur apparet ponderosum: altera est, quando motum tarde mouetur. & de oculo, qui tarde mouetur, iudicat visus Medici: de grauitate autem ponderosa iudicat sensus infirmi pondus in oculo sentientis. eodem modo vna est leuitas in eo quod mouetur, quia non percipitur ponderosum. alia est leuitas in modo motus eius, quia velociter mouetur. ex utraque igitur grauitate, & leuitate possumus de oculo sano, ægro, & neutro coniecturam facere: nam motus leuis, uelox, & ordinatus perseuerans significat dispositionem sanitatis. Velocitas vero inordinata, & impetuosa, non perseuerans significat dispositionem ægritudinis. velocitas motus ostendit temperiem calidam, & siccam: vel calidam tantum, in pasiuis temperatam: vel siccam tantum in actiuis temperatam. multa vero motus tarditas ostendit frigiditatem, & humiditatem: tarditas remissa ostendit frigiditatem cum æqualitate qualitatum pasiuarum: aut humiditatem cum æqualitate, & temperantia actiuarum. quæ oculi temperies si fuerit cum materia tunc velocitas, & frequentia motus significabit bilem: tarditas vero, & raritas significabit pituitam: mediocritas sanguinem, aut melancholiam: sanguis tamen plus facit ad velocitatem, & frequentiam: melancholia vero ad tarditatem, & raritatem.

A colore

A colore pariter habetur cognitio: nam color significat humorem prædominantem, veluti rubeus sanguinem, flauus bilem, albus pituitam, fuscus atrambilem. & huiusmodi colores considerantur in coniunctiua tunica, eiusque venis: nam colores oculi, ultra coniunctiuam tres solummodo (vt scribit Galenus) esse possunt, glaucus scilicet, niger, & medius. glaucus fit oculus propter magnitudinem, vel propter splendorem humoris crystallini: vel propter situm prominentem, aut propter tenuis, & aquei humoris, qui in pupilla existit, paucitatem, & puritatem. Niger vero fit aut ob paruitatem crystalloidis, aut propter profundum situm: vel quia splendidus, ac fulgens exquisite non est: seu quoniam tenuis humor vel superabundat, vel purus non existit. Color medius, qui varius, & caprinus dicitur, vincit in oculo ex causis medijs, seu commistis ex his, quæ glaucedinis, & nigredinis sunt.

Tenuis igitur humor albugineus vocatus, quo magis ad aquæ naturam accedit, & superabundat, quod ab oculi nigredine cognoscitur, humidiorem oculum ostendit. quemadmodum si crassior, ac minor fiat, quod à glaucedine arguitur, oculum sicciorem significat. at crystallinus humor, si fuerit durior, & splendidior (quod ostendit glaucedo) facit oculnm sicciorem. si fuerit mollior, & minus rutilans (quod ostendit nigredo) facit oculum humidiorem. pariter si crystallinus excedat in quantitate proportionabili ipsum albugineum (quod à glaucedine patet) facit oculum sicciorem: quòd si in tali quantitate proportionabili multum deficiat (quod à nigredine patet) facit oculum humidiorem.

A venis habetur cognitio, quoniam uenæ latæ, & crassæ denotant caliditatem, & humiditatem: tennues autem, & strictæ ostendunt frigiditatem, & siccitatem.

Habetur etiam cognitio à forma, quæ rotunda esse debet, secus quantitati percipiendæ nequaquam congrua fuerit. mala autem forma duo significat: primo morbum in compositione secundo defectum virtutis informatricis in ipsa generatione.

Gal. A quantitate similiter habetur cognitio: nam magnitudo oculorum,

oculorum, vbi concinnitas adsit, & operationum virtus, multitudinem bene temperatæ substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati: quæ si desint, multam quidem substantiam, non tamen bene temperatam ostendunt. paruitas vero oculorum adiuncta quidem concinnitate, ac virtutum operatione paucam quidem, sed bene temperatam substantiam ostendit, ex qua sunt conformati. si vero sociam habuerint inconnitatem quandam, atque operationum vitium, tunc paucam simul, ac vitiosam materiam ostendunt. Concinnitas, seu proportio adiuncta magnitudini vel paruitati oculorũ triplex est, prima refertur ad orbitam, seu foueam in qua collocatur oculus: in ea enim ita locari debet, vt neque nimis sit eminens, neque nimis profundus: profunditas tamen oculi pro visu ab Aristotele magis laudatur, inquit enim oculi, qui intus, maxime acutissimi visus omnibus sunt.

De hist. animaliũ 1. cap. 2.

Secunda refertur ad formam, quæ (vt supra diximus) erit rotunda. Tertia refertur ad caput: nam magnitudo, vel paruitas oculi, magnitudini, vel paruitati capitis respondere debet.

Ab operationibus habetur cognitio: eius operatio est videre: oculus igitur (iniquit Auic.) videns occultum à longe, & à prope simul, neque à forti visibili offenditur, est optimæ complexionis: qui autem contrario modo se habet, & læditur à quouis visibili etiam debili significat sui malã dispositionem in complexione, & compositione.

Qua propter sciendũ est, quod triplex est defectus visionis oppositus visioni perfectæ: nã vel oculus videt à propè, & nõ à longè: vel videt à longè, & non à propè: vel neque à propè, neque à longe discernit. qui exquisite cominus videt etiam res paruas, & non eminus, claro, sed pauco spiritu viget, qui ad longinqua extendi non potest, sed in itinere dissipatur, & euanescit, & huius complexio est calida, & sicca biliosa, qui autem videt longinqua, & non propinqua eius spiritus est multus, & crassus, turbatus, & non clarus indigens multa distantia, & interstitio, vt attenuetur, & clarescat: huius complexio est frigida, & humida pituitosa. at qui neque cominus, neque eminus exquisite obiecta videt, sed confuse:

sæ: eius spiritus est paucus, & turbidus, & complexione fri gida, & sicca melancholica præditus est.

Ab eo, quod exit, seu ab excrementis habetur cognitio, nam si oculus nullam facit lippitudinem, neque lachrymosus est, siccus Iudicatur: lippitudine autem, & lachrymis redun dans erit humidæ complexionis.

A dispositione ad passiones, Iudicamus de oculi temperamento: nam qui læditur à calore, & Iuuatur à frigore est calidus: qui autem contrario modo se habet, est contrariæ com plexionis (omnis immoderata discrasia) læditur à simili, & iuuatur à contrariorum moderato usu, quod si oculus neque à frigido, neque à calido offenditur, & excedit in bonitate visus, est temperatus: quia potest resistere extremis, & ægris causis, & conseruatur à temperatis.

Auic.

De oculi bona temperie conser-uanda. Cap. III.

QVicunque oculi bonam adeptus est temperiem, eamque tueri cupit, aerem nimis calidum fugiat, nimisque frigidum. Item ventos boreales à quibus oculi exasperantur, & morderi solent: Item austrinas constitutiones, quæ secundum Hip. in oculis difficilem motum concitant. pariter ventos malignos inflammantes, qui diebus spirant canicularibus: ij enim spiritum resoluunt visibi lem, oculumque debilitant. Insuper caueat ab aere vaporibus malis referto, obscuro, tenebroso, & ab aere nimis luci do, radiosoque: vt color niger præter modum vniendo, ita color albus, sicuti niuis, uisum disgregando nocet. fumus, & puluis oculis est infectissimus. Cibi crassi vt caro vacina, caro salita, pisces, caseus, lac, frumentum elixum, laganum, ci bi acres, & vaporosi vt sinapis, allia, cepæ, porrum, rapha nus, & salis multus usus oculis obest, sal enim turbat sanguinem, crassum, & terrestrem reddit, Improbantur legumina omnia. Item oliuæ maturæ. inter olera autem caulis, oci-

3 aph. 17.

Dioscorides.

mum,

mum, id enim copiosiore cibo oculorum aciem hebetat: idem præstat lactuca, & portulaca, semen cannabis, coriandrum recens, crocum, vapor ellebori nigri dum foditur obtenebrat oculos, pariter opium intus, & extra adhibitum

Denique omnis cibus, qui non bene digeritur, sed corrumpitur, & omnis nauseatiua repletio. Potus vini crassi turbidi, potus aquæ turbidæ, cænosæ, & potus supra cibum indigestum, ebrietas: Item acetum mordicando, & exiccando oculis nocet: ploratus nimius visum debilitat, & oculi phthisim inducit: fletus autem moderatus (vt testatur Auic.) in infantibus est laudabilis minuit enim in eis superfluam humiditatem, & calorem innatum excitat. præterea qui oculum incolumen seruare studet à lectione literarum minutarum, à diutino, fixoque intuitu alicuius obiecti, & à coitu superfluo abstineat. Immoderatum exercitium interdicitur; Item somnus multus, præsertim post repletionem, & supinus: pariter vigilia; nam sicut somnus prohibet vaporum discussionem, ita vigilia superflua nimis resoluendo exiccat, ab animi accidentibus veluti ira, furore, gaudio nimio, tristitia, intensa cogitatione abstineat.

3. primi.

Confert aer serenus, & quietus, & inspicere smaragdos colores virides, cœruleos, & cœteros colores medios inter album, & nigrum. Cibi seruantes oculorum sanitatem sint oppositi cibis supradictis, hoc est non salsi, non acres, non vaporosi. conuenit panis siligineus, vel frumentaceus optimè fermentatus & coctus. Caro sit facilis coctionis, & optimi nutrimenti, potius elixa, quàm assa, vt hædorum, Agnorum, veruecum, pullorum, caponum, columborum iuuenum, hirundinum, picarum, & volucrum ex rapina viuentium. non nulli experti sunt (vt Mesue scribit) Ius serpentum, eorumque carnes visui, & oculis multum opitulari. laudant etiam carnem lupi, & oua colũbarũ: item lupinos aqua labẽte dulcatos, & comestos. Auer. dixit Rapa habẽt mirabilẽ proprietatẽ ad illuminandũ oculos cito enim descendũt, & vrinã prouocãt, sed assumi debent bis cocta ventriculo bene disposito, & nequaquam ad caput malè euaporante, nam secundum Galenum generant humores crudos, & flatuositatem, potissimum

v. collig.

si minus iusto in ventriculo conficiantur. potus sit vini albi pauciferi, & moderatus. exerceantur oculi in legendis literis mediocribus ante cibum, & in sculpturis inspiciendis, Iuuat, etiam intueri speculum ex crystallo, corroborat enim visum, & oculi fatigationem remouet. Iuuat præterea mergere sæpius oculus in aqua clara, frigida æstate, tepida hyeme. Aristotiles (vt refert Mesue) instruens Alexandrum Regem inquit pectinis frequentationes super caput vapores visum impedientes euertunt ad cutim ne oculis obsint: huiusmodi pectinatio prius exonerata aluo, & post somnum fieri debet. Capita autem calua cum pectinari non possint, fricentur panno lineo aliqualiter aspero, aut proprijs manibus. somnus, & vigilia sit mediocris: vel somnus quandoque excedat vigiliã, vel vigilia excedat somnum secũdum quod corpora sunt magis vel minus inanitioni aut repletioni obnoxia. Venter sit neque nimis lubricus, neque nimis astrictus: in ijs enim qui ventrem habent astrictum vapores à fœcibus retentis eleuantur, aciemque habeant: in ijs vero, qui ventrem nimis habent lubricum, oculi siccantur humoribus deorsum impulsis.

Euacuatio, quæ fit per vomitum laudatur inquantum (dicebat Auic.) vomitus mundificat ventriculum: sed improbatur pro vt mouet materias cerebri expellitque ad oculos: quòd si fuerit vomitus necessitas, prouocetur post cibum, & cum facilitate. confert securam, procul negotijs, & minime anxiam ducere vitam, item gaudere, & lætari.

Mesue. Denique oculi sanitas conseruatur aut abstergendo eius superficiem decenti, & moderata absterfione, cum medicinis scilicet temperatẽ, & mediocriter abstersinis, vt est succus fœniculi, chelidoniæ, euphragiæ, & collyrium ex ijs.

Aut custodiendo oculũ in sua propria temperie, & æqualitate cum medicinis alterantibus modo ad calidum, modo ad frigidum, modo ad humidum, modo ad siccum.

Aut seruando eius partes Instrumentales cum medicinis oculi læuitatem, vel asperitatem efficientibus, perforationem & concauitatem partium eius.

Aut seruando eius continuum, & positionem naturalem cauendo à causis externis, & internis ne continuum soluant,

& de-

& debitam turbent positionem.

Aut manutenendo claritatem & luciditatem spiritus visui deseruientis cum medicinis ipsum reparantibus illustrantibus & irradiantibus.

Quæ omnes Medicinæ vel sunt simplices, vel compositæ. ex simplicibus est fœniculum, verbena, rosa, chelidonia, ruta, hinc (dixit Mesue) fit aqua, quæ lumina reddit acuta. Item marrubium, violæ, aloes, crocum, amaracus, nux moschata, spica nardi, rosmarinus, serpyllum, semen lini, fœnum græcum, chamædrys, betonica, Myrrha, caphura, melilotus, lycium, origanum, pulegium, saluia, rhus obsoniorum, thymum, thus, gummi prunorum, rubus, euphragia, albumen oui, saccharum, sanguis testudinis, sanguis columbi calidus, mel, tutia, antimonium, ostracia combusta, margaritæ, viride æris, squama æris, squama ferri, vitriolum, felles, sagapenum, capita hirundinum combusta vrina pueri, succus vuæ omphacinæ, vinum, lac, & huiusmodi multa alia.

Ex compositis est humiditas limacis cum aloe, myrrha, aut olibano temporibus applicata. Item nux moschata cum melle condita, & mane ieiuno stomacho exhibita. pariter myrobalani conditi, tryphera magna, tryphera minor, tryphera persica theodoricon, hyera Mesue, & hoc elect. quod claritatem spiritus visiui conseruare solet, Recipe seminis fœniculi ʒ.v. euphragiæ ʒ.ij macis, cubebe, cinnamomi caryophyllorum ana ʒ.i. puluerizetur tenuiter, postea accipe mellis despumati lib.i. succi fœniculi ℥.i. succi rutæ, succi chelidoniæ ana ℥.s. coquantur succi omnes prius depurati, cum melle ad mellis spissitudinem, & cum eo species conficiantur, & fiat elect. cuius dosis sit usque ad ʒ.iij. cum vino post breuem cænam, vel dimissa cœna: vel mane ante prandium per quatuor horas. pariter hoc collyrium, quod oculi sanitatem conseruare expertum est, si ex eo parum singulo die madefiat, Recipit enim succi fœniculi depurati, & in vase æneo cum nummis aureis decocti lib. i. mellis puri, & clari ℥.iiij. ferueant simul vnica ebullitione, quibus adde fellis galli ℥.s. colentur, & in ampulla vitrea ad solem suspendantur:

post aliquot dies, abiecta hypostasi, collyrium in vase mundo seruabis. Item hoc, quod in abstergendo oculos, & in corroborando visum mirabile dicitur, & fit tempore veris: Accipe foliorum rosarum completarum, foliorum rutæ, foliorum euphragiæ, chelidoniæ, ana partes æquales trahatur aqua per sublimationẽ in alambico, & in vase æneo seruetur.

Collyrium de succo mali punici nõ minus est abstersiuum, & visus corroboratiuum, Recipe succi mali punici dulcis, & acidi singulorum lib. i. conde in ampulla vitrea bene obturata, & soli per duos menses exponito, & singulo & mense quod ex eo subsidet, & fœculentum fuerit abijcies, & in omni lib. succi hunc admisce puluerem, videlicet, Recipe aloes, radicum chelidoniæ, salis ammoniaci, piperis longi ana ʒ.i. fiat puluis tenuissimus, & iterum soli exponito, nam quanto magis antiquatur, tanto sublimior est eius operatio. Aliud acuens visum, & oculi sanitatem custodiens, Recipe succi fœniculi ℥.v. succi rutæ, ℥.ij.s. mellis clari ʒ.ij. conde in ampulla vitrea, & orificio optime clauso, per tres menses insolentur, postea fœx abijciatur, & vtitor.

Aliud confortans visum, Recipe fellis Galli, & perdicis ana partes æquales, succi fœniculi partes duas misce, & vtitor. Aliud collyrium vtile, & expertum, Recipe lycij, aloes ana ʒ.j. caphuræ ℈.s. tutiæ ablutæ ʒ.x. terantur cum succo vuæ omphacinæ, vel Rhois obsoniorum, & exicentur, postea, vsu exigente, in formam collyrij cum aqua fœniculi, & rosacea redigantur.

De Aegritudinum oculi Nomenclaturis.

Cap. IIII.

AEgritudines quæ oculum infestare solent bifariam diuiduntur: nam vel lædunt virtutem visiuam corruptè, & dicitur mala visio: aut diminutè, & vocatur visus debilitas: aut ablatè, & appellatur cæcitas. vel lædunt Instrumentum per quod fit visio, & hoc quandoque in sensu, quandoque in motu.

Prima læsio Instrumentorum visus est, quæ fit in neruo optico per quem sensus defertur: & hic quandoque afficitur Intemperie simplici, vel composita cum materia, aut sine materia: quandoque destruitur, quandoque resoluitur, quandoque conuellitur, quandoque apostemate, uel alio modo obstruitur.

Secunda læsio Instrumentorum visus est, quæ fit in humore crystallino, nam aut desiccatur aut humectatur, aut minuitur, aut eius continuitas soluitur. qui si declinat ad dextram, vel sinistram partem efficit oculos strabones, quod vitium latinis distortio oculi, & obliquus aspectus ab Auic. strabositas dicitur, & pueris euenire solet: est enim conuulsorius musculorum oculum mouentium affectus. si autem vergit superius, vel inferius omnia apparent dupla. si profundatur color oculi erit sicut color stibij. si eminet color oculi erit cæruleus. sed percurramus summatim de cæteris affectibus: & primo de ijs, qui vniuersaliter occupant totum oculum: vt est Ατροφία quo morbo oculus minuitur, depressiorque redditur: Celsus imminutum oculum, Auic. profunditatem oculi, vocat. è contrario accidit vt oculus nimis promineat, ἐκπιεσμὸν Paulus appellauit, Auic. autem exitum, nos autem expressionem oculi dicimus, hinc μυωπίασις vel μυωπία malum, per quod accidit vt ab ineunte ætate pupilla quidem propè uideatur: remota vero etiam si magna fuerint non Item: sic affecti latinè lusciosi dicuntur.

Strabositas. Atrophia. Lib. 6. Ecpiesmos. Myopiasis. Lusciosus.

Νυκταλωπία vitium est, quo quis interdiu quidem videt, occidente autem sole obscurius, noctu vero penitus nihil: latinis nocturna cæcitudo dicitur: qui tali morbo laborant nuscitiosi nominantur.

Nocturna cæcitudo.

Αμβλυωπία est visus obscuritas latinis hebetudo dicitur: fit vbi spiritus crassescunt, vel tunicæ densantur, vel oculorum humores lentiores fiunt. ἀμαύρωσις idem ferè significat.

Ambliopia. amaurosis.

ἐπιφορά est omnium humorum ad oculos impetuosior fluxus: Celsus pituitæ cursum, seu impetum, vulgus autem medicorum lachrymam vocat.

Epiphora.

ῥῆξις est ruptura ab ictu, vel alia quapiam causa in alto sub inde integras membranas diuidens, vt etiam humores, qui-

Rixis.

bus videndi facultas administratur effundat.

Parplysis. παράλυσις, latinè resolutio oculi, est vbi obliquæ motiones, & quæ sursum, ac deorsum fiunt expediri non possunt.

Palpebrarum vitia.

Emphrysema. ἐμφύσημα palpebræ tumor est laxus, & dolore vacans adeò que œdematodes, latini inflationem palpebræ nominant.

Scliropthalmia. σκληροφθαλμία durities est, & difficilis cum dolore, ac rubore citra humiditatem oculi, & palpebrarum motus: Auic. gesse appellat.

Xirophthalmia. ξηροφθαλμία est pruriginosus sine fluore palpebrarum affectus, latinis ariditas, & siccitas oculi, & palpebrarum rectiusque arida lippitudo vocatur.

Psorophtalmia. ψωροφθαλμία pruriginosa palpebrarum scabies est: Auic. Interpres scabiem, & pruritum nominat.

Ptillosis. πτίλλωσις est palpebrarum crassities callosa, rubicunda, quibus accidit sæpe etiam pilorum defluuium: ab Auic. silac nuncupatur.

Ectropion. ἐκτρόπιον palpebræ est inuersio propter cicatricem, aut, carnis excrescentiam nata: Auic. palpebræ inuersationem appellauit.

Ancyloblepharon. Ἀγκύλωσις, & ἀγκυλοβλέφαρος est vbi palpebræ cum albo, vel nigro, vel sibi inuicem ita coalescunt, & conglutinantur vt aperiri oculus nequeat: latinis agglutinatio palpebrarum dici potest: ab Auic. alasfar seu inuiscatio palpebrarum dicta est.

Lagophthalmos. λαγωφθαλμοί græcis sunt, qui sursum retracta superiori palpebra, oculis apertis perinde atque lepores dormiunt: Auic. leporinos oculos vocauit.

Trachoma. Τράχωμα interna est palpebrarum scabrities, & asperitas: Celsus aspritudinem uocat, quæ vbi sic augetur, & intenditur vt veluti incisuras habeat, σύκωσις græcè, quod scilicet granorum ficus similitudinem referat nuncupatur: latini ficosam palpebram nominant. quando vero inueterata iam in callum abierit græcè τύλωσις, latinè callosa palpebra dicitur.

Sycosis. Tylosis. Hydatis. ὑδάτις pinguis quædam superioris palpebræ substantia est, pondere suo sic grauans, vt vix attolere oculos sinat, eoque assiduas fluxiones excitat: palpebræque in hoc malo aquam

intercutem repræsentant, hinc est quòd nonnullis palpebrarum aquositas appellatur. Auic. Alsarnac, Celsus vesicam, Halyab. scissuram dicit.

χαλάζιον est tuberculum rotundum, & translucidum, huc, atque illuc mobile in palpebris, latini grandinem vocant. Calazion.

κρίθη est abscensus exiguus, & oblongus iuxta palpebræ cilium, marginemuè ortus, latini hordeolum nominant, quòd figura grano hordei similis sit. græcis alio nomine ποσθία dicitur, quòd præputio ποσθη dicto simiIetur. Crithe. Hordeolum.

φθειρίασις est vbi palpebrarum pilos exigui pediculi infestant, pediculationem nonnulli dicunt. Pediculatio.

τρίχιασις est vbi pili inutiles, & oculos pungentes in palpebris enascuntur. Trichiasis.

Μαδάρωσις, & μίλφωσις pilorum palpebræ defluuium, à latinis gabricies palpebrarum: ab Auic. casus pilorum dicitur. Madarosis seu Pilorũ casus.

Διστιχίασις est quando sub naturali pilorum palpebræ ordine, alius succedit ordo, latinis prauitas, aut ordinis turbatio dici posset: Auic. additos, vel inuersos pilos vocauit. Distichiasis.

φαλάγγωσις vitium est, in quo pilorum duplex, triplexque acies, vel in superiore, vel inferiore palpebra prouenit, qui pili simul cum palpebra intrò spectent. Phalangosis.

λιθίασις est cum in palpebris gignuntur candicantia quædã, & aspera lapidis instar oculum præmentia, qui affectus ad calazion seu ad grandinem referri potest. Lithiasis.

Ιππος vitium est ab ortu ipso originẽ ducẽs, propter quod instabiles semper sunt palpebræ. Ippos.

Adnatæ seu coniunctiuæ membranæ Affectus.

ταράξις est humiditas oculi cum rubore, & calore præter naturam non ex corpore, sed forinsecus adueniente causa aliqua, vt sole, fumo, aut puluere, aut oleo oborta: latinis, & ab Auic. perturbatio, seu conturbatio, Item ophthalmia leuis, vel non vera vocatur: quæ facilè, remota causa, curatur. Taraxis. Actius.

Οφθαλμία absolutè dicta, est inflammatio membranæ, seu tunicæ coniunctiuæ quam latini lippitudinem appellant: & habet causam intrinsecam, difficiliusque curatur. Opthalmia. Lippitudo.

χήμωσις vocatur ab Auic. Aluardengi id est ophthalmia magna: Chimosis.

gna: fit cum adeò fortis est inflammatio, vt vtraque palpebra in tantum peruertatur, vt vix oculos aperiant: & album oculi nigro sublimius, & rubrum euadit, ac multam nigri partem occupat.

Pterygion. πτερύγιον, quasi alam diceres: vngulam Auic. nominat: est autem, secundum Paulum, neruosa quædam adnatæ tunicæ excrescentia à maiore angulo vt plurimum orta ad oculi coronam ita procedens, vt quandoque pupillam operiat. Celsus vnguem vocauit, inquiens vnguis, quod πτερύγιον græci dicunt, est membranula neruosa oriens ab angulo, quæ nonnunquam ad pupillam quoque peruenit, eique officit. sæpius à narium, interdum à temporum parte nascitur, diuersas eius species facit Paulus, ex colore albam, rubram, rufam, fuscam: ex tactu duram, & mollem: ex annexione ad membranam hærentem, & vnitā. magis sanitatem eam recipere ait, quę albior, tenuior, adhærensque non vnita.

Lib. 7.

Corneæ tunicæ morbi.

Phlyctænæ. φλύκταιναι sunt exiguæ postulæ, veluti quædam bullę supra corneam eminentes, quales ijs potissimum accidunt, qui exanthemata patiuntur, dictæ ἀπὸ τοῦ φλύειν hoc est ab ebullitione, & feruore: Celsus pustulas, Auic. vesicas nominat. sunt, & alia vlcera: de quibus ægit Auic. cap. de exituris oculi, & corneę. Paulus unum genus esse dicit, particulares differentias plures: Quod enim cauum, angustum, purumque ulcus in cornea natum existit βοθρίον, latini fossulam, Auic. anulum uocat. est aliud latius, & minus profundum paulus κοίλωμα, Auic. lilimie appellat: latine cauitatem dicere possumus. est tertium ulcus ἄργεμον in pupille circulo nascens, ambientia comprehendit, ut etiam in exteriore pupillæ parte rubicundum, in interiore candidum appareat.

Bothryon. Cœloma. Argemon.

Epicauma. Est, & quartum ulcus ἐπίκαυμα sordidum, impurum, & crustosum latine inustio dici posset: Auic. ulcus adustiuum nuncupauit: quo repurgato humores oculi sæpe effluunt.

Hypopyon. ὑπόπυος est quando pus sub eadem cornea, nunc altius nunc in summa superficie coacervatur, Halyab. saniem post corneam: Auic. saniem in siphac uocat. & à similitudine quam cum ungue habet à nonnullis ὄνυξ dicitur.

καρκίνωμα idest cancer est morbus corneæ tunicæ immensum dolorem, & ruborem punctoriumque cruciatum ad tempora usque extensum excitans. — Carcinoma.

Vueæ Tunicæ læsiones.

πρόπτωσις idest (inquit Paulus) ragiodis, seu uueę tunicæ procidentia, quæ erosa, ruptaue cornea tunica accidit. hæc si exigua adhuc, fuerit, ut muscæ capitis formam præseferat, μυοκέφαλον idest muscæ caput græcis nuncupatur: Auic. formicalem rupturam uocauit. vbi uero amplius, & eo usque succreuerit, ut acinum uuæ repræsentet græcis σταφύλωμα appellatur, latinis uuatio dici potest. Auic. uueam nominat. Si autem sic augetur ut extra palpebras emineat μῆλον græcis, Auic. uesicalis ruptio dicitur. Vbi uero obducta cicatrice obduruerit, aut occaluerit ἧλος, idest clauus, Auic. claualis ruptio uocatur. — Proptosis. Myocephalō. Staphyloma. Melon. Clauus.

Pupillæ morbi.

μυδρίασις græcè, pupillæ effusio, aut dilatatio latinè, ab Auic. alintisar vocatur, affectus est, in quo pupilla colore quidem nihil uariat, sed multo quàm consueuit fit latior, adeo vt interdum iridis circulo appropinquet. — Mydriasis.

φθίσις idest tabes, morbos est mydriasi contrarius in eo enim pupilla angustior, obscurior, rugosiorque fit Auic. pupillæ constrictionem vocat. — Phthisis.

ὑπόχυσις, & ὑπόχυμα à nostris suffusio, Auic. aqua, uulgo cataracta uocatur: est effusio humorum lentorum inter corneam, & crystalloidem congelatorum. — Ypochysis.

γλαύκωμα est crystallini humoris vitiū, ubi scilicet is ex humiditate in glaucum colorem mutatur: huius affectus Auic. cap. de destructione uisus nullum medicamen esse dicit. — Glacoma.

Adnatæ, & corneæ communia impedimenta.

Communis utrique membranæ est albugo ab Auic. uocata: cuius duas facit species tenuem scilicet, quam dicit uocari nebulam: crassam, quam albuginem. huiusmodi distinctionem à Paulo sumpsisse uidetur, ita scribente cicatricum oculi, alia tenuis in superficie apparens, quæ generale cicatricis nomen seruat: & à quibusdam dicitur nebula: alia profunda, quæ λεύκωμα nuncupatur. Halyab. albedinem, & pannum uo- — Leucoma.

car-

cat. latini cicatricem, & albuginem, & quandoque λευκώματα.

Hyposphagma. Est etiá communis affectus utrique mébranæ ὑπόσφαγμα, & ὑπώπιον à græcis, ab Auic. tarfati dictus: in quo propter Ictum quemdam fractis, ac contusis uasis, intra tunicas oculorum sanguis coaceruatur, & in extima oculi parte ueluti sanguinis puncta apparent: latini suggillationem, & suggillata: recentiores oculi maculam uocant. Gal. αἱματώδεις ὑποχύσεις hoc est sanguineas effusiones appellat.

Angulorum oculi mala.

Aegilops. Αἰγίλωψ ab Auic. Garab. dicitur: est autem abscessus inter maiorem oculi angulum, & nasum factus: qui ruptus, & indiligenter tractatus in fistulam ad os usque progredientem abit. & fistula lachrymalium angulorum uocari solet.

Encanthis. ἐγκανθὶς est circa maiorem oculi angulum carunculæ supra Iustum modum naturalis excrescentia: Auic. carnis lachrymalium additionem apellat.

Rhyas. ῥύας eiusdem carunculæ iminutio, & decrementum: Auic. diminutionem carnis lachrymalium uocat.

Epinyctis. Epinyctis plinio lib. 20. cap. 6. autore ulcus est aciem hebetans, & in oculi angulo perpertuò humor emanas.

Neruorum opticorum passiones.

Aporrixis. ἀπόῤῥηξις est quando meatus à cerebro ad oculum descendens, ex ictu capitis uel casu ex alto disruptus est.

Paremptosis. παρέμπτωσις est ubi in meatum, qui in oculum uidendi facultatem defert, humor aliquis aperto, uel rupto uase incidit eundemque obturat. latinè coincidentia dici posset, Gutam serenam, recentiores appellant.

Symptosis. σύμπτωσις est cum meatus ille ex tabe, uel imbecillitate arctior fit, ac concidit.

περὶ Ατροφίας.

De oculo diminuto: Cap. V.

Contingit aliquando quòd oculus reddatur minor, quam eius debita naturalis proportio esse debeat, vnde vltra deformitatem, & partium inconcinnitatem, quæ in facie hominis induci solet, mala etiam perficitur visio.

atrophia.

Causa.

Omnia corpus exiccantia: & præsertim partes superiores oculum diminutũ efficiunt: exiccant aũt sensibiles euacuationes, vt fluxus ventris, copiosa phlebotomia, sudor copiosus, continuati fletus, acer pituitæ cursus in lippitudine. exiccant pariter causæ insensibiliter euacuantes, vt febres vigilantiæ, angustia, tristitia, intensæ cogitationes & similia.

Signa.

Signa diminuti oculi ob vigiliam sunt quia oculus ad somnum procliuis esse videtur, adest grauitas, & difficilis motus palpebrarum, nequaquam autem oculi. ex tristitia tam oculus, quam palpebra difficile mouetur. cur autem in vigilia palpebræ sunt difficilioris motus, quam oculus? quia (inquit Gentilis) in vigilijs superfluis cum forti imaginatione fit vehemens motus in spiritibus ventriculi anterioris cerebri, ad quem motum insequitur agitatio spirituum in neruo optico immediate illi ventriculo coniũcto, ad motum nerui optici necessario mouetur oculus non autem necessario mouetur palpebra. At ex angustia, & tristitia spiritus non tendunt ad dilatandum, & mouendum, sed potius ad suffocandum, & constringendum: hinc igitur tam oculus, quam palpebra quiescit.

Signa diminuti oculi ab alijs causis per ipsarum causarum cognitionem manifesta fiunt.

Cura.

Lenibus medicamẽtis ex muliebri lacte vtendum est. cibis vero his, qui maxime corpus alere, & implere consuerunt.

Celsus.

uitanda

vitanda omnimodo causa exiccans, præsertim quæ lachrymas excitet: & omnis cura domesticorum, quorum si quid tale incidit, eius notitiæ subtrahendum: atque acria quoque medicamenta, & acres cibi non alio magis nomine his nocent, quàm quòd lachrymas mouent. Scribit Rasis cum accidit oculum ex niue congelari Iuuat fouere ipsum assidue panno nigro lineo actu calido, & aspergere aqua decoctionis paleæ frumenti tepida: vel super lapidem ignitum vinum proijciatur, & vaporem ab eo eleuatum patiens oculo congelato excipiat. vel lana in vino tepido madefacta oculum sæpius foueat. & sternutatio prouocetur. Incidenter hoc vnum scire debes, quòd cum primum infans in lucem editus est, habet oculos valde magnos: qui postea à natiuitate quotidie minuuntur donec ad quandam naturalem quantitatem ipsi capiti congruam redigantur. ipsi etiam ante alia sensuum instrumenta in capite formantur: & posterius perficiuntur: causa est quia oculi constant ex humore frigido, & humido, sicuti, & cerebrum, à quo emanat humiditas aquea ad oculos perueniens. constant etiam ex membranis cerebrum ambientibus: cuius rei signum est, quia nullum membrum adeo frigidum vt cerebrum, & oculus.

Cura oculi congelati.

Oportuit igitur oculos à primordio ob humiditatem esse magnos, qui postea calore decoquente paulatim minuuntur, & decentem formam acquirunt. Idem fit de cerebro nam in principio valde humidum, & magnum est: sed deinde in se ipsum concidit, & exiccatur, quare Infantes caput erectum ferre non possunt, quoniam ex humiditate nimis ponderosum est.

περὶ ἐκπιεσμοῦ.

De expreßione oculi. Cap. VI.

Ecpiesmus.

QVando oculi vltra naturalem in sua orbita positionem prœminent versus exteriora vt exerti perseuerent, fit ille affectus, qui græce ἐκπιεσμός, latine oculorum expressio dicitur.

Causa.

Tres ex Auic. sunt causæ expressionis oculorum: prima vehemens inflatio replens, uel grauans, & replens si à mera flatuositate fuerit: grauans, & replens, si vltra flatum adfuerit materia. secunda vehemens constrictio, & coarctatio, vt in præfocatione tam intrinseca quam extrinseca contingit: nam, gulla constricta, sanguis, & vapores repunt versus cerebrum: hinc insurgit vehemens conatus inspirationis, & respirationis. quare cerebrum tumefit, sicque oculus extra premitur: ex quo apparet quomodo in forti clamore, nimio conamine, vomitu, partu laborioso, & in quo mulier consuetas non emisit superfluitates: tenesmone, & dolore capitis materias attrahente, oculus exprimatur.

Tertia resolutio membranarum, & musculorum oculi, & neruorum opticorum, his enim resolutis, oculus extra sedem moueri consonum est: si visum retinuerit, membranæ, & musculi sola erit læsio. si visum amiserit neruus opticus erit resolutus.

Gal. x. de usu part. cap. 8.

Signa.

Oculi exitus, seu expressio omnibus inuentibus est manifesta. notandum tamen quod in omni ecpiesmo semper oculus apparet magnificatus, quamuis ita non sit, vere tamen magnificatur a flatuositate, & à materia replente, nequaquam à coarctatione, & à resuletione, Idem de pupilla dicimus.

Cura.

Vescatur patiens paucis cibis, & exiccantibus: caueat à multo potu, & vaporoso: & ab aere nimis lucido, & humido: teneat oculos clausos, & supinus non modo dormiat, verum quantum potest maneat. vomitus, sternutatio, & omnis motus capitis, corporisque oculos, & materias, ad eos fluentes agitando nocet. ne ad emittendas feces conatu aliquo indigeat, lenibus clysterijs quotidie educantur. Interim venus, & mala animi accidentia interdicantur. emanantes lachrymæ interdum Iuuant si affectus ex repletione fuerit. Quibus sanè strangulatus mali causa est, ex cubito venam incidere: sin alio modo id acciderit, medicamento purgare oporet. ex partu autem contractas oculorum, expressiones

Paulus 3.

vteri

vteri purgationes soluunt: vnde has prouocare conuenit. ex doloribus autem capitis post sanguinis detractionem, si non remiserit vitium, curbitulam occipitio defigere commodum est. In expressione ob repletionē vltra præscriptā diætā procurabis materiæ cōcoctionem, & euacuationem, ipsiusque diuersionem: pariter locus dabitur repercussiuis, & resolutiuis, & ipsum oculum corroborantibus. In expressione autem ob resolutione musculorum, & neruorum opticorum hyeras magnas exhibebis, sic enim educere, & attrahere materiam ab illis partibus poteris: In quo casu gargarismata pituitam educentia, ipsaque triphera multi sunt momenti: Item odoramenta, & suffumigia ex ligno aloes, Myrtis, Thure, caryophyllis, & similibus. Vniuersaliter prodest collyriū ex Rhoe, obsoniorum exiccat enim, reprimit, & constringit. Item emplastrum ex farina fabarum, rosis, thure, & oui albumine. Item puluis ossium dactilorum adustorum, spicę cum vino astringenti admisto. Custodiatur oculus in proprio orbe desuper lamina plumbea ad formam palpebræ redacta. aut panni floccis: aut Xylino ex aqua cum ligatura decenti.

περὶ στραβισμοῦ.

De Strabositate. Cap. VII.

Strabismus.

STrabismus seu Strabositas est conuulsoria, seu paralytica dispositio musculorum oculum mouentium: dicitur aliquando obliquitas, aliquando tortura oculi.

Paulus.

Sūt quatuor Strabismis species: prima quādo oculus sursum vertitur: secūda deorsum: tertia quando oblique versus nares: quarta quando ad latus versus tempora torquetur.

Queritur cur est, quod nonnulli dum oculos quietos habent, minime quidem, sed cum ipsos mouent, Strabones appareant? an quia hoc alijs voluntarie accidit: vt Iuuenibus transuersim mulieres aspicere volentibus, vel nasi pinas: & ijs, qui diuinorum contemplatores se esse profitentur, ad cę-

lum

lum eleuatos oculos tenentes. alijs autem inuoluntarie, & hoc propter duo, primò quia forsan aliqui ex musculis oculorum sunt debiles ad motum efficiendum, satis autem validi ad sustinendum oculos quiescentes. secundò quia musculi circulariter mouentes sunt inualidi: quamuis qui sursum, & deorsum, ante, & retro mouent sint potentes: vnde quando contingit oculum in gyrum verti strabismus apparet cum talis motus imperfectè fiat.

Causa.

Strabismi immediata causa est spasmus, & paralysis: membrum enim cuius debita situatio, & motus est cum musculis torturam patitur ex altera prædictarum causarum vt apparet in tortura faciei: neque dicendum est quod omnes oculorum musculi sint simul resoluti, aut contracti, nam sic nulla in oculo tortura sequeretur: sed quando nonnulli ex musculis resoluuntur, verbi causa musculi superiores, tunc oculus vergit ad inferiora: quando autem conuelluntur vergit ad superiora, & è contra de alijs musculis dictum sit.

Causæ mediatæ sunt humiditas, & siccitas nam si strabismus est à paralysi semper habet causam humidam: si fit à conuulsione nō modo humidam, verum aliquando siccā causam habere potest. sciendum tamen, quod conuulsio neruorum opticorum, nisi sit dolorifica, tantum abest ut oculos strabones efficiat, quod uisui maxime confert: trahit enim oculos interius, ipsosque magis profundat, & unit, præstantioresque ad uidendum facit.

arist. de hist. animal x. auer. col. 3. cap. 38.

Signa.

Ad cognoscendum strabismum, cum morbus per se omnibus intuentibus pateat, nulla alia describo signa.

Prognostica.

Strabismus à siccitate, & inueteratus est insanabilis in ætate autem infantili, & à causa humida curatur.

Cura huius affectus uniuersaliter eadem est quæ spasmi & paralysis. Infantes ab origine Strabones curantur larua faciei circumposita, ut in rectum uideant, & lucerna è regione posita, & non à latere elucente. præterea cum ad nares conniuent oculis floccos rubros agglutinare uincit, angulis, qui

circa

circa tempora habentur, ut uisu ad hos inconniuenter directo oculos emendent.

Illi autem dicebat Auic. quibus grandioribus factis accidit Strabositas à paralysi, aut spasmo humido, utantur diæta attenuante, & medicinis à cerebro attrahentibus ut est hyeralogodion, ut sunt pilulæ cochiæ, præmissa tamen materiæ præparatione: postea utantur balneis resoluentibus ex decocto rerum calidarum, uel ex aquis thermalibus Sulphureis: in quibus longam moram ducant. Subiungit & de medicinis Iuuantibus in Strabositate est ut fiat caput purgium cum succo foliorum oliuæ: & sanguis turturis in oculum destilletur, nam à proprietate confert.

Sed si Strabismus fuerit à spasmo sicco causatus: utantur embrocis humectantibus ex decocto seminis maluæ, seminis lini, altheæ, cotoneorum, ex decocto capitum, & pedum agnorum, & similia, pro ut magis expediens uidebitur, &, nulla febre infestante, bibant lac asininum; eorum uictus omninò sit humidus. oculi foueantur albumine oui, oleo ros. & pauco uino simul agitatis: additur uinum solummodo ad facilitandam olei, & albuminis penetrationem. ideo respectu aliorum paucum esse debet.

περὶ μυωπιάσιος.

De lusciositate. Cap. VIII.

Myopiasis. Paulus.

Μυωπίασις, lusciositas latine, uulgo uista corta dicitur. qui hoc affectu laborant, proprius admota oculis uident, remota uero nequaquam: huiusmodi homines res intuendas oculis ferè contingere solent, limis etiam. clausisque oculis aspicere: contrario his modo senes afficiuntur, cum enim propinqua non uideant procul disita assequuntur. hæc dispositio cum ab imbecillitate spiritus uisorij proueniat insanabilis est. Quapropter ne inter fatuos medicos habearis, à tali abstineto cura.

περὶ

περὶ Αμβλυωπίας, & Αμαυρώσιος.

De visus hebetudine, & obscuritate. Cap. IX.

OBscuratur, & hebetatur visus plerumque absque manifesto oculi affectu: quod impedimentum ideo difficilius redditur: quia ab occulta quadam causa originem ducit.

Amblyopia. Amaurosis. Paulus.

Gutta serena vulgo dicitur, & est dispositio, in qua licet oculus clarus, & serenus appareat, attamē nihil videt, propter obstructionem in neruo optico contingentem: vnde transitus spiritui visiuo ad oculum interdiciditur.

Curatio sanè communis est ei, quam in suffusione dicemus. priuatim vitandus est omnis cibus crassefaciens, & vini potus, & assiduus coitus, & capitis insolatio: neque vero balneum conuenit, neque somnus diurnus, neque vehementer à cibo motus, neque legere, aut scribere. vitandæ sunt iræ, indignationes, & curæ pertinaces, & vehementes perturbationes, ac timores præsertim post cibum. Confert ab angulis oculorum sanguinem mittere, hirudines admouere temporibus, inferiores partes perfricare. procedente tempore etiam ijs, quæ sternutamenta prouocant, & quæ materiam per os educunt vtendum. præterea vomitu ante cibum, rarò quidem, nam assidui vomitus (si Aetio credimus) vitandi sunt. Iuuant inunctiones, primum ex mellis, & olei æqua portione: deinde composito, quod subiungitur, croci ℈.i. fellis hyenæ ʒ.i. piperis communis. g. 85. succi fœniculi ℥.ij. guttæ ammoniaci ʒ.i. contritis ad leuorem aridis ex succo, mellis cochlearia quatuor adijciuntur. præparata excipito ærea pyxide, & vtitor. priusquam vero illinantur oculi, in marinam calidam demersi fouebuntur.

Aetius.

περὶ νυκταλωπίας.

De Cæcitudine. Cap. X.

Nyctalopia

ILlam oculorum pasſionem, in qua viſus diurno tempore incolumis, debilitatur ueſperi, noctu euaneſcit, ita ut ferè nihil uideat, nyctalopiam appellamus ideſt nocturni tẽporis cæcitudinem. huic contrarius (raro quidẽ) eſt affectus, in quo quis lucente die non uidet: poſt occaſum autem ſolis uidere incipit. Auic. Halyar ideſt viſum nocturnum vocauit. ſed Nyctalopia de qua nunc loquimur eſt quando nox viſum quaſi penitus aufert: dies autem eumdem reducit.

Hinc dubitant an nyctalopia ſit morbus, cum homo naturaliter ſe habens die ſemper videat, noctu vero nequaquam videre poſſit: ſcire debes facultatem viſiuam omnibus hominibus nocte debilitari, non ita tamen quòd legere, ſcribere, vel alias operationes ad ignis, vel lunæ ſplendorem exercere impediantur: at Nyctalopi, vt ad ſuas actiones edendas ſit videns, nullum aliud lumen ſufficit, niſi ipſius ſolis.

Conſideratur hæc affectio vt ſymptoma in genere noxæ functionis animalis ſenſibilis, non quidem ablatè, nec deprauatè, ſed diminutè, nam non eſt dicendum quòd Halyarticus nihil die uideat, ſed diminutè, cum non poſſit tenere oculos apertos, & multum lumem toleraræ, nec è contra quòd videat noctu perfecte: ſed non ita impeditur nocte, ſicuti die: pariter quòd Nyctalops nullo modo nocte videat, ſed quòd melius die, quàm nocte facta comparatione ad oculos temperatos, & ſanos. quãquam ſuſtineri poſſit quòd aliquis Nyctalops melius videat in loco lucidiſſimo, & melius ſolis ſplendorem patiatur, quàm oculus temperatus. ſimiliter quòd aliquis Halyarticus melius videat nocte quam oculus temperatus: tamen non ſequitur, quòd viſio abſolutè ſumpta ſit perfectior in ægro, & diſcraſiato, quàm in ſano, & temperato: ſed viſio quibuſdam conditionibus limitata, non

autem

autem absoluta. Nictalopia oculos nigros habentibus maxime accidit propter multitudinem humoris albuginei, eiusque obscuritatem: hi enim multo indigent lumine, quo noctu destituuntur. sed statim dicet aliquis. imo glaucos oculos, variosque habentes ad Nyctalopiam, plusquam alij dispositi sunt, vt in senibus videre licet, qui tales habent oculos, vnde Arist. v. de gen. Animalium glaucoma hoc vitium, vt potè glaucis oculis eueniens, appellauit: dicas senes hanc incurrere passionem, non propter oculorum glaucedinem, sed propter humorum, & spirituum crassitiem. Auic.

Causa.

Humores oculi albuginens, & crystallinus in quantitate multiplicati, & incrassati, sunt causa nyctalopiæ, nam vt illustrentur multo indigent lumine, paucum enim non sufficit. Item spiritus visiui possunt nyctalopiam causare non quia multiplicati in quantitate, sed quia incrassati: quare sciendum est, quod duæ causæ concurrunt ad nyctalopiam, crassities scilicet, & superflua humoris quantitatis. accidit aliquando vnam duarum causarum coniungi cum causa contraria, sicuti crassities, & obscuritas cum paucitate spiritus, & humoris: vnde obscuritas requirit multum lumen diurnum, sed paucitas spiritus, & humoris hoc non sustinet. in tali pugna dabitur Iudicium secundum uictoriam causæ.

Si ergo crassities sit tanta, & talis, quæ requirat multum lumen diurnum, & paucitas spiritus coniuncta non si tanta, quæ hoc prohibeat: tunc patiens solummodo die, nequaquam autem nocte videbit. contrarium experietur si paucitas erit superior crassitiei, nam tunc videbit melius nocte, quam die, & secundum hanc causarum combinationem potest contingere quod aliquis nyctalops eminus, non cominus videat, quando scilicet adest multitudo, & crassities. sed quãdo adest sola crassities sine multitudine, imo cum paucitate, videbit cominus, & non eminus.

Signa.

Ex ralatu ægri sunt manifesta signa: quis enim narare nesciet se per diem videre? occidente sole aliquo pacto videre, sed obscurius? noctu vero nihil quasi cernere?

Prognostica.

Hoc vitium (vt Celſus teſtatur) in fœminis, bene reſpondentibus menſtruis, non cadit.

Nyctalopia inueterata non curatur, & præſertim quando eſt per eſſentiam: ſi autem per conſenſum fuerit perſeuerans, curatu pariter difficilis redditur.

Cura.

Aeger in aere temperato morari debet, neque nimis claro, neque nimis obſcuro: procul à locis humidis, vaporoſis & vento expoſitis. aſpiciat res virides, vt prata, & uaſa ex vitro viridi, ſmaragdos, ſpeculum viride. panis ſit optime apparatus. conueniunt carnes auium facilis concoctionis, & paucarum ſuperfluitatum, vt ſunt perdices, phaſiani, turdi, alaudæ, turtures, columbi volare incipientes, paſſeres, merulæ, ficedulæ, ex quadrupedibus conueniunt vituli, hædi, verueces. ab omnibus piſcibus (ſi poſſibile eſt) abſtineat: nam frequens uſus piſcium cæcitatem inducit. vitentur lactucæ, & acetaria præſertim cruda: ſi cocta exhiberi contingerit, condiantur ſucco mali punici, aut vuæ omphacinæ. ſint eius fercula ex pane, & ouis ſimul agitatis: ex hordeo, milio, panico, &, vbi opus eſſet nutrimento craſſiori, ex zea, oriza, & fare, ſolum in prandio, nam cæna erit breuior ex rebus exiccantibus, & vapores reprimentibus. caueat à fabis, phaſiolis, lente, & ab omnibus leguminibus. ex herbis conueniunt fœniculus, petroſelinum, ſerpyllum, ſaluia, roſmarinus, amaracus, borrago, rapum, cucurbita. caulis, & anethum improbatur, item cæpe, porri, & allia: Item lac, caſeus, & lacticina omnia: butyrum tamen, & oleum condimenti gratia conceditur. ex fructibus conueniunt ficus, vuæ maturæ penſiles, vuæ ſiccæ, pruna, mora, pepones: & in fine cibi pyra, & cotonea: auellanæ, amygdalæ, nuclei pinei preparati, piſtacia. ex conditis vti poterit diacitonite, elect. de ſorbis: vel tempore frigido diagingibere: tunc enim conueniunt aromatica omnia, vt piper, cinnamomum, macis, nux moſchata, caryophylli, crocus. in aſſumendis autem cibis obſeruare debet ne unquam ad ſatietatem expleatur: & vt cæna ſit prandio tenuior: vt ciborum varietas abſit. In

principio

principio morbi à vino abstinebit, vel parum assumet, & optimè lymphatum: nec obstat Auic. & Mesue dicens in potu detur ante cibum vinum paucum vetus, & datur in potu post celebratam concoctionem: nam uterque intelligit de vino in morbi declinatione, & peracta euacuatione exhibendo: ita enim attenuat humorum, & spirituum crassitiem, eosque clarificat. somnus sit mediocris, & nocturnus septem videlicet horarum, vel circa, somno tamen superfluo minus lęditur, quam superfluis vigilijs: dormiat capite eleuato, & supinus, & ab assumpto cibo per duas, vel tres horas. beneficium ventris spontinum, vel arte, si fieri potest, quotidie habeat. coitus oculis aduersatur: ab eo, nisi fuerit à superflua materia stimulatus, semper caueat. moderate exerceri debet: nimius labor spiritus resoluit: nimia quies eosdem incrassat. propria oculi exercitatio est aspicere obiecta neque parua, neque multum distantia, neque nimis lucida, neque nimis obscura, sed proportionata, & medij coloris.

Fletus lachrymosus licet aliquando Iuuat, superfluas enim oculi humiditates exprimit, & spiritus visiuos magis depuratos reddit: attamen continuatus, vt pote debilitans caueri debet. Idem de malis animi accidentibus dictum sit.

Postea qui nocte non videt, si bono habitu præditus fuerit, curandus porrò est sectione uenæ cephalicę, aut venarum, quæ in angulis oculorum apparent: aut ijsdem hirudinum applicatione.

Qui uero uitiosis humoribus redundat, conuenienti pharmaco purgetur; aut clysterijs aluus subducatur. post uniuersalem euacuationem, utendum his, quæ pituitam per os ducunt, & quæ per nares purgant: sternutationes quoque ciendæ sunt. Interea quæ naribus indantur, hoc unum Aetius probauit, Recipe staphidis agriæ, piperis, singulorum ℈. ij. sinapis ℈. i. tundito, ac cribrato, & radicum betæ succum adijcito, ut mellis liquidi consistentia fiat, & contrita naribus infunde, ac attrahere Iube: hoc ad dies quinque, aut septē facito. Ante cibū, & Pauli, & Aetij monitu bibat hyssopi, origani rutæ decoctum, nā fortasse erit securius, quā uinū uetus supra ab Auic. & Mesue ꝓpositū: sed de hoc in praxi uidebis.

Si uero his remedijs affectus non cedit iterum purgationes moliemur ex diacrydio, & castoreo, & sale. ut, Recipe Diacrydij ℈.s. castorei ℈. i. salis tantundem. talis enim purgatio sæpe è uestigio ab affectione liberauit: aut multo meliorem dispositionem induxit. post dies paucos iterum exhibendum medicamentum, quod pituitam simul, & bilem uacuet: quale est hoc colocynthidis, diacrydij ana ℈. s. salis, castorei ana ℈. i. fiant catapotia, & exhibeantur. uel, Recipe pilularum lucis maiorum, aut arabicarum ℈. iiij. uel cochiarum cum ℈.ij. agarici trochis, & formentur catapotia ex succo fœniculi.

Pro consumptione, & resolutione residui materiæ laudatur infrascriptum electuariũ mane, & uesperi ad quantitatem ℥. s. per interualla assumptum: Recipit succi fœniculi lib. s. chelidoniæ, rutæ ana ℥.i. s. mellis despumati lib. s. coquantur simul ad mellis spissitudinem, quibus addatur pulueris euphragiæ ℥.i. piperis longi, cinnamomi, macis gingiberis ana ʒ.i. seminis fœniculi ℥.s.

Ab omnibus approbatis Autoribus compertum est saniem Iecoris hircini, quæ, dum assatur simul cum pipere longo in eo minutim infixo, effluit, huic affectui multum conducere, si hac oblinire oculos uoluerit: & uaporem ab eo eleuatum apertis oculis excipere. quin ipsum Iecur hircinum uiris comedendum exhibetur: caprinum uero fœminis, nam mirabilem proprietatem in nyctalope curanda habere dicũt.

Item hoc collyrium, quod accipit succi fœniculi depurati humiditatis ab hepate hircino, dum assatur, emanantis ana ℥.i. mellis, fellis hirci singulorum ℥,s. stercoris cocodrili, stercoris stellionis ana ʒ.ij. expertũ est multis auxilio fuisse. Item spodium cum oleo violaceo naribus instillatum. oculi quandoque illini poterunt melle cocto, & ad continendum liquorem immissum claudantur. aut oleo uetustissimo similiter illinantur. aut hyenæ felle cum melle. Auxiliatur etiam elaterium ex interuallis cum melle illitum: & perdicis fel, aut capræ siluestris, aut hirci. Acria pharmaca licet quandoque in hoc morbo sint utilia attamen eorum usus frequentior est uitandus.

Cæterum

Cæterum in his, qui noctu melius uident, interdiu autem deterius, halyarticos Arabes uocant, coniectamus spiritum multum attenuari, aut tunicas rarefieri, atque ex hoc spiritum dissipari, ac uisum obscurari: noctu uero crassefieri, colligique ac sensum mouere: quapropter his oculis robur addere oportet.

Cura erit cum humectantibus caput, & cerebrum, hoc est cibis boni, & multi nutrimenti, & sanguinem aliquantulum incrassantibus, vt hinc multiplicatio spirituum fiat. lac recens cum oleo violato naribus attrahatur: & caput aqua dulci tepida sæpius abluatur. somnus sit longior. quiete corporis, & animi utatur. degat in thalamo, cuius parietes sint auleis uiridibus obtectæ. iter p loca multũ lucida, uel niuosa facturus, uelum nigrum præ oculis gestabit.

περὶ ἐπιφορᾶς.

De lachryma. Cap. XI.

Epiphora.

LAchryma est humor ab oculi circum iacentibus partibus emanãs, vt quibusdam oculi nũquam siccescant, sed semper huiusmodi tenui humore madent: quæ res aspritudinem continuat, ex leuibus momentis inflammationes, & lippitudines excitat, totã denique vitam hominis infestat. itaque in alijs nulla ope adiuuari potest: in alijs autem hoc vitium est sanabile. quod primum discrimen est, nosse oportet, vt alteri succuratur, alteri medicamenta non adhibeantur. hæc lachrymosa destillatio cõsideratur vt morbus in via cum visum impediat, debitam transmissionẽ specierum visibilium per corneam non admittat. Consideratur quandoque vt symptoma exiens scilicet mutatum.

Defluxus lachrymarum quidam est natiuus, idest à primo exortu contractus: quidam in progressu ætatis superueniens: & hic vel separabilis, vel inseparabilis. separabilis est quando sequitur aliquas ęgritudines cerebri, uel febrem curabi-

lem, quibus remotis, remouetur lachryma, nisi aliquam impressionem de se malam in oculis reliquerit. vel quando sequitur tristitiam, aut dolorem: vnde fit cerebri constrictio, & consequenter humiditatis lachrymalis expresio. aut lætitiam per quam cor, & cerebrum dilatatur hinc per meatus dilatatos lachryma effluit aut iram in qua caliditas dilatat, & materiam ad exteriora mouet, aut aliam causam primitiuam facile remouibilem vt frigus, fumum, puluerem, acrium attrectationem, & comestionem, inseparabilis autem etiam in sanitate est quando fit ex mala ungulæ incisione: uel acutorum humorum corrosione, ut in uariolis accidit, uel ex lachrymali carne diminuta: & hic inseparabilis lachrymarum defluxus in quibusdam est continuus, in quibusdam interpolatus: & aliquando calidus, aliquando frigidus. Vnde secundum hunc propositum querit Arist. propter quid lachrymæ, quas mœrendo emittimus sunt calidæ: quas oculis laborando, frigidæ? quia scilicet frigidum quod incoctum, crudumque est: calidum uero quod concoctum. langorē omnē ex cruditate proficisci nulli dubium est. quod cum lachryma cruda eorum sit, qui ualetudine oculorum laborant, non immerito frigida est. Hinc Medici sudorem frigidum argumentum grauis esse morbi existimant: calidum contra decretorium esse, & salutarem. calida est lachryma mœrentiū sanorum quia concocta.

3 part. probl. 24.

Queritur etiam cur est quòd ex tristitia plorantes emittunt lachrymas calidas: ridentes autem frigidas? quia calor in tristitia retrahitur ad cor, & partes faciei destitutæ infrigidantur: sed in uero risu ob gaudium calor dilatatur ad exteriora, sicque partes faciei calefiunt. insuper lachryma in se paucum continet calorem cum sit humiditas aquosa: quare in homine tristi, quia cutis faciei est frigida, lachrymæ emanantes, & si parum calidæ, uidetur tamen calidæ. sed in homine ridente quia cutis faciei est calida lachrymæ parum calidæ, sentiuntur frigidæ.

Queritur etiam à quibus oculi partibus lachrymæ fluant, an ab angulo domestico, an à syluestri? sunt qui dicant quòd vt plurimum à domestico, quoniam plures uiæ, & latiores

ad

ad ipsum terminantur. sunt alij asserentes quòd lachrymæ licèt appareant in angulis oculorum attamen oriantur à duobus foraminibus paruis in fine pilorum palpebrarum: uno in palpebra superiori, altero in inferiori apud lachrymale domesticum: & quod lachrymæ ab animi accidentibus causatæ scilicet ira, tristitia, & huiusmodi cordis passionibus scaturiant à foramine inferiori quoniam cordi magis consentit, lachrymæ autem ob alias causas efluant à foramine superiori cerebro magis consentienti: quæ posterior opinio tanquam sensui repugnans explosa est.

Causa.

Lachrymosi fluxus causę sunt vel extrinsecæ, vel intrinsecæ: extrinsecæ, seu primitiuæ sunt casus, percussio, caliditas in capite humiditates dissoluens, frigus præsertim borealis easdem in capite exprimens, fumus, odor malus, potus vini superfluus, pariterque somnus, puluis, medicina mordicans intus, vel extra adhibita, oculi nimia exercitatio in obiectis inspiciendis: vnde multum scribentes oculos habent lachrymosos.

Causæ intrinsecæ considerãtur primò ex parte mẽbri suscipientis oculi scilicet:& tunc dupliciter, aut quia caro anguli maioris lachrymalis in eo amota est: seu à generatione defuit: aut quia virtus retentiua, aliæque in eo sunt debiles.

Secundò ex parte membri mittentis, capitis, & membrorum inferiorum mediate: cerebri autem immediate, cum eius facultates male se habent retentiua scilicet, & alteratiua, expulsiuaque.

Tertio ex parte materiæ redundantis, aut cerebri expulsiuam mordacitate sua stimulantis: & propter has causas in senibus oculi lachrymant, & præsertim propter retentiuæ debilitatem, & propter humiditatem nitrosam stimulantem. In his, qui morti propinquant, emanare lachrymas obseruamus, & ob retentiuam debilem, & ab humiditatis grauitatem deorsum tendentis: quo pacto pariter orogmon fieri solet.

Quarto ob viarum, & ductuum latitudinem per quas omnis materia facilè fluere potest.

Signa

Signa.

Lachrymarum ex debilitate facultatis retétiuæ signa sunt: quia continuè fluunt modo in maiori, modo in minori quantitate: & virtus in alijs partibus est debilis, præsertim in cerebro, & neruis. quòd si fuerint ob diminutam facultatam concoctricem redundabunt excrementa à naribus, & à palato. si autem ob humorum multitudinem in cerebro, vel ambitu totius corporis, percipiet grauitatem capitis, vel totius. At si fluxus est per uenas interiores cerebræ indicabunt sternutationes. si vero per exteriores aderit dolor cutis, capitis, & frontis.

Prognostica

Lachrymæ inuoluntariæ in febribus acutis significant apostema in cerebro, & non curantur nisi curato apostemate.

Lachrymæ per venas intrinsecas emanantes, compesci non possunt: per extrinsecas vero, nisi inueteratæ fuerint, sanantur.

Lachryma ob carnem in angulo oculi diminutam, vel ablatam non est curabilis.

Celsus. In his, qui ab infantia talem contraxere morbum superuacua est curatio: quia necessario mansurus est usque ad mortis diem.

In his vero, quibus non multa, sed acris pituita est, medicamentis, & victus ratione, quæ crassiorem pituitam reddit, non desperatur sanitas.

Lachrimæ accidunt magis caput humidum, & oculos magnos, quam paruos habentibus.

Cura.

Post debitam diætæ institutionem, quæ in omnibus rebus non naturalibus ad siccum: in actiuis autem ad temperatum inclinare debet: & post remotioné causarum primitiuarũ ad lachrymas disponétiũ: vniuersaliter oculus à lachrymis liberari potest quatuor modis.

Primò materiã peccanté æquãdo, quæ si fuerit crassa, vel viscida æquabitur cũ attenuãtibus, & incidentibus. si fuerit tenuis cũ incrassantibus: uerũ quoniã materia lachrymarũ est ferè semper pituitosa, hoc, uel simili cõquatur syrupo, Recipe

euphragiæ,

euphragiæ, saluiæ, melissæ, chelidoniæ, uerbenacæ singulorum m. i. acori, seu calami aromatici, stœchadis ana ℥. i. radicum fœniculi ℥. ij. radicum betonicæ ʒ. ij. decoquantur, & cum saccharo fiat syrupus, dosis erit ʒ. ij. cum ℥. ij. aquæ rutæ.

Secundò ipsam materiam (postquam concocta fuerit) euacuando cum catapotijs aureis, cochijs, uel fœtidis maioribus: uel alijs diuersis medicamẽtis diuersitatem materiæ respiciẽtibus: quæ euacuatio non unica, sed sæpius reiterata esse debet: prout expediens uidebitur.

Tertiò cum his, quæ intus, & extra adhiberi possunt: intus per os (dimissa cœna) ut multitudo uaporum à capite prohibeatur, exhiberi debent, quæ cerebrum calefaciunt, corroborant, humiditates exiccant, lachrymas sistunt, & uisum clarificant, sicut est theriaca; mithridatium; diambra; Aurea alexandrina; pliris arcoticon Nicolai: elect. de gemmis: & hoc quod habet.

Olibani, castorei, nucis moschatæ, macis, caryophyllorum, croci, cardamomi scilicet minoris, cubebarum, malabathri si haberi non posset, accipe duplum nardi indicæ, uel celticæ, foliorum lauri ana ʒ. i. anis, seminis ocimi, carui, fœniculi ana ʒ. i. s. nepetæ, pulegij, hyssopi ana ʒ. s. seminis rutæ, hyosciami albi ana ʒ. i. ambari, moschi ana ℈. s. olibanum cum melle bulliat, donec liquefiat: inde cum alijs conficiatur: dosis erit ʒ. ij. mane ante prandium per quatuor horas: uesperi cubitum ituris sumitur cum aqua euphragiæ, uel betonicæ.

Extra autem adhibentur collyria: uel emplastra. ualde autem exiccatiuum humiditatis oculi est hoc collyriũ, Recipe corticum thuris, tutiæ in aqua amaraci sæpius ablutæ, myrrhæ ana ʒ. i. coralliorum rubeorum ʒ. s. memithæ idest glaucij ℈. ij. dissoluatur glaucium in aqua fœniculi, & admistis omnibus utior. uel, Recipe uini albi, aquæ ros. ana ℥. iij. caphuræ, tutiæ, sarcocolæ, aloes succi citrini ana ℈. i. mis. & fiat collyrium. uel, Recipe rutæ minutim incisæ lib. ij. mellis tantundem contunde simil ad læuorem: hinc prælo succum extrahe: quo bis, uel ter in die oculos oblines. Aliud Rasis, tutiæ ʒ. x. coralliorum rubeorum, myrobalanorum

norũ citrinorũ, aloes ana ʒ.ij. piperis ʒ.s. fiat puluis, ualet in causa mista, & remoto pipere, in causa calida. Aliud Mesuæ expertum non modo ad compescendas lachrymas, verum ad oculorum tenebrositatem remouendam, Recipe succi ma lorum punicorum acidorum ad consumptionẽ medietatis co cti, & colati lib. s. aloes, lycij, croci, memithæ ana ʒ. ij. moschi ℈.i. in vase vitreo reconde, & claude, & per 40. dies in solabis. Aliud Recipe tutiæ preparate in aqua Myrti ʒ.i. co ralli albi, & rub. ossium myrobalanorum chepulorum combustorum, rhois obsoniornm, gallarum, aloes, olibani, opij ana ℈.s. puluerizata omnia misceantur cum aqua infusionis tragacanthæ, & gummi arabici. Aliud ex Mesue conferens lachrymis, & ardori, & asperitati oculorum, & ægritudinibus, & vaporibus calidis, & illi, cui vna res videtur duæ, & suffusionis principio: Recipit sarcocollæ nutritæ in lacte muliebri pluribus diebus ℥.s. traganthæ, olibani scoriæ ferri, margaritarum non perforatarum ana ʒ.i. spicæ indæ, cly mi auriæ, & argenti, acaciæ ana ʒ. s. amyli, cerussæ ana ʒ. ij. tutię preparate ʒ.iij. tere omnia cum succo mali punici acidi, postea siccari permitte: Iterum cum aqua ros. terantur, inde siccentur. tertio cum aqua infusionis acori. Denique cum aqua solatri, & addatur caphuræ ℈.s. sacchari albi ʒ.i. & vl tima tritura conterantur, & fiant ex medietate collyrium cum aqua ros. ex alia medietate puluis tenuissimus: eo (cum opus fuerit) uti poteris ex albumine oui, vel lacte muliebri, vel aqua rosacea,

Emplastra pariter apponuntur (purgato corpore) moderatè stiptica, & repercussiua cum aliqualiter resoluentibus, & exiccantibus admista vt, Recipe Mastichem, aloem, farinam milij misce cum albumine oui, & oculos obline. vel, Recipe cumini, rutæ, rosarum quod sufficit cum albumine oui fiat emplastrum. ad Idem facit Athanasia cum maci, olibano, & albumine oui admista. confert quandoque abluere oculos decocto serpylli, aut vino, in quo radices betonicæ bullierint ad vini tertiæ partis consumptionem.

Si à venis extrinsecis lachrymæ emanant, Recipe boli armeni, sanginis draconis, mastiches singulorum ℥. s. fiat

puluis tenuiſſimus, & cum albumine oui ſuper frontem, & tempora oblinatur. vel lanam ſuccidam comburito, & cum albumine oui admiſtam fronti, & temporibus obducito.

Prodeſt quandoque abluere caput lixiuio in quo pimpinella cum propria radice bullierit, nam lachrymas exiccare dicitur.

Quod ſi lachrymæ fuerint cum oculorum pruritu, mordicatione, & viſus debilitate, Recipe coralliorum, lycij, aloes, caphuræ ana ʒ.ij. myrobalanorum citrinorum in aqua roſ. fricatorum ℥.s. tutiæ primum in aqua roſ. deinde fœniculi tribus vicibus ablutæ ʒ. vj. contundantur omnia cum omphacio, poſtea exiccata iterum in puluerum reducantur: & vſu exigente fiat collyrium cum aqua fœniculi, vel roſacea, vel euphragiæ.

Ad lachrymas cum ardore, & calore conuenit mucillago pſyllij. Item folia mandragoræ, vel hyoſciami, uel ſolani deſuper appoſita. & aliquando neceſſarium eſt in ſucco ſummitatis rubi, & albumine oui diſſoluere opium, & adhibere. Item valet collyrium ex rhoe obſonorium, & omphacio cum albumine oui, & aqua foliorum ſalicis, & ſpinæ albæ.

His autem fluxum intercipere nequaquam potentibus venas poſt aures, vel temporum ſecare proderit.

At ſi per partem intrinſecam materia fluat, cum interius aſſumendis ſiſtenda eſt: unde formari poterunt pilulæ ex athanaſia, & puluere olibani, quæ ſub lingua detentæ confortant neruos, & fluxum cohibent. ad Idem facit Diaolibanu, & grana thuris, & myrrhæ, & multa alia, quæ in cap. de catarrho dicta ſunt.

Quarto, & vltimo lachryma remoueri ſolet diuerſionibus phlebotomia (ſi dominium ſanguinis affuerit) item cucurbitulis primò ſuper nates appoſitis: deinde ſuper ſpatulas. caue tamen ne occipitio adhibeantur, nam (vt monet Auic.) intellectum impediunt: ſtupiditatem, obliuionem, & malam cogitationem hæreditare faciunt. Item alijs diuerſionibus vt brachiorum, & crurum, & totius corporis frictione. Item balneis aereijs, aut aqueis: in quibus ſudor

prouocetur:

prouocetur: multum enim conferunt, & diuertendo materiam, & euacuando. Item masticatorijs, & gargarismatibus. Denique cauterio actuali, vel potentiali super com issuram coronalem: etenim in hoc affectu tanquam anchora sacra habetur, & præsertim in lachrymis frigidis, idest à materia frigida causatis.

περὶ παραλυσιος ὀφθαλμῶν.

De oculorum resulutione. Cap. XII.

Paralysis.

Celsus.

Sicuti cætera membra pariter oculi resolutione aliquando laborant: hoc vitiū euenit modo in altero oculo, modo in vtroque aut ex ictu, aut ex morbo comitiali, aut ex distẽtione neruorum, qua vehementer oculus ipse concussus est, vt his neque quoquam intendi possit, nec omnino consistat: sed huc, illuc ve sine ratione moueatur, ideoque ne conspectum quidem rerum præstet.

Cura.

Victus optimus, qui pituitam extenuat: sanguinem mittere ex fronte, vel naribus: in temporibus venas adurere, gargarizando pituitam euocare, suffumigare, oculos acribus medicamentis inungere expedit.

Sequuntur palpebrarum vitia.

περὶ ἐμφυσήματος.

De palpebrarum inflatione. Cap. XIII.

Emphysema.

Causa.

EST autem Emphysema palpebræ tumor laxus dolore carens, ædemati similis concolor naturali habitui. fit plerumque à fluxione aquosa ob malam concoctionẽ: accidit in febribus vigilantiuis, in principio hydropis, in cachexia, quandoque in peripneumonia, & lethargia.

Cura.

Cura.

Conuenit circa victum vt ab acribus, ſalſis, & acci dis abſtineant: Deinde (præeuacuata per clyſterem aluo) fouere palpebram poſca, lenticulæ decocto, & roſarum: item chamæmeli, rutæ, cumini. conuenit Hygrocollyrium autem hoc Eraſiſtrati, æris ℨ.vj. miſyos toſti, myrrhæ ſingulorum ℨ.iij. croci ℨ.i.s. piperis ℨ.i. vini chij, ſeu vini maluatici, paſſi cretici ſingulorum cyathus vnus, & dimidius incoquuntur quo ad mellis ſpiſsitudinem habuerint. ſomnum inituri inungant palpebras oleo chamæmeli, vel alio ſimili. vtantur aliquando apophlegmatiſmis ex melle cocto vua paſſa, thymo, & pulegio. Acriora vero vitanda ſunt, velut ſtaphis ſylueſtris, & ſimilia.

Ideſt liquidū collyrium.

περὶ σκληροφθαλμίας, & ξηροφθαλμίας.

De palpebrarum duritie, & ariditate.

Cap. XIIII.

Quando palpebræ indurantur, ita vt difficilem habeant motum, vixque cōcidant, dum oculum claudere volumus: & apertione indigentes, præſertim à ſomno excitati, uix, & cum dolore, ruboreque ipſas eleuamus propter nimiam exiccationem (nulla enim adeſt humiditas niſi per accidens) tunc dicimus palpebras pati ſclerophthalmiam, vel xerophalmiam, quaſi dicas aridā lippitudinem, pruriginoſamque: ſeu ariditatem, ſiccitatemque palpebrarum. Auic. Geſſe appellauit.

Sclerophthalmia. Xerophthalmia.

Fit, vt plurimum, ab intemperie calida, & ſicca ſine materia: nonnunquam ab intemperiæ calida cum multitudine materiæ craſſæ, cui debetur euacuatio.

Cauſæ.

Cura.

Victus ſit humectans probi ſucci. vſus balnei aquæ dulcis tepidæ ſit frequens. Iuuat vaporare palpebram aſsiduè ſpongia in aqua tepida madefacta: & ponere ſuper oculum, cubitum ituris, albumen oui cum oleo roſ. agitatum: pariter hume-

humectare caput oleis embrocis, humectantibus ex oleo violato, de nymphea, & similibus.

Quòd si adfuerit materia biliosa euacuabitur cum hyeris, vel myrobalanis, vel Rhabarbaro.

Materia vero crassa exiccata emollientibus, & resoluentibus indiget, vt mucillagine fœnugræci, seminis lini cum lacte admisto. vel, Recipe pinguedinis gallinæ, mucillaginis seminis lini, olei ros. singulorum quod satis est, ad ignem cum pauca cera fiat linimentum.

Paulus. Communiter conueniunt medicamenta acria, vt vel lachrymas prouocent, per quæ durities emollietur, & siccitas humectabitur: tale est Hygrocollyrium superius descriptum: quod Erasistrati panchrysos dicitur.

περὶ τραχώματος.

De Trachomate. *Cap.* XV.

Trachoma. TRachoma est internæ palpebrarum regionis asperitudo cum rubedine, & pruritu. vel secundum Arabes est palpebrarum intrinseca scabies. Huius affectus tres sunt species: prima est, in qua apparet rubor, percipitur pruritus, adest crassities, & aliqualis asperitas. secunda est, in qua maior asperitas, rubedo intensior, incisuræ apparent granulosæ ficus maturæ granorum similitudinem referentes. Hac species σύκωσις gracè dicitur: latini ficosam palpebram nominant. tertia species est, quando inueterauit vitium, callumque contraxit, & scissuræ, vlcerationesque manifestæ apparent, τύλωσις græcè à nostris autem callosa palpebra dicitur. fit autem trachoma aliquãdo per se incipiens aliquando alteri ęgritudini vt ophthalmiæ, pustulis, & ulceribus oculorum succedens, & hęc quandiu adest conseruat dictas ægritudines, & in longum tempus protrahit.

Causa.

Cibi acres, salsi, multum dulces, oleaginosi, vnctuosique:

que: item vina dulcia possunt esse causa trachomatis primitiua. causa antecedens sunt quatuor humores dispositi, non dum tamen actu ipsam fouentes ægritudinem.

Causa coniuncta est sanguinis adustus, vel bilis, vel pituita salsa, & nitrosa, aut adustione in melancholiam transiens: aut melancholia superadusta. vt plurimum tamen fit à materia mista, & nitrosa.

Signa.

Patet hic morbus intueti nam cum palpebra inuersatur apparet rubea, & aspera, & præsertim quando à sanguine morbus conflatus est. si autem pendet à bile maior adest pruritus, minor rubedo, pustulæ emergunt profundiores: & si qua inde emanat humiditas est tenuis, & flaua. Quòd si à pituita nitrosa originem habuerit, color erit subrubeus ad albedinem vergens, pustulæ latiores, pruritus vix compescibilis, & humiditas in maiori emanabit quantitate. At si à melancholia adusta, cognoscetur à rubedine subobscura, à multa asperitate, à superficie crustosa, & ab exeunte liuido.

Prognostica.

Trachoma primæ speciei conuenientibus adhibitis medicamentis curatur. secundæ autem, & tertiæ speciei nunquam, uel maxima cum difficultate per chirurgiam curationem admittit.

Cura.

Aer, in quo patiens degit, sit temperatus, procul à ventis, à fummo, puluere, à malis odoribus, sitque ad obscurum magis, quam ad lucidum vergens. cibi sint potentia saltem frigidi, & humidi, nisi in trachomate à pituita: humorem tenuem, non crassum, neque uiscidum procreantes. caueat ab acribus, amaris, dulcibus, vnctuosis, & vaporosis. cœna laudatur breuior prandio. somnus sit nocturnus post cibum per duas horas, & capite eleuato, non super latus oculi affecti. non exerceatur in operibus, in quibus caput antrorsum inclinatum habere oportet. Balneum, corpore prius purgato, ingrediatur, in eoque Ieiunus per horam oblectetur. fugiat coitum, iram, vociferationem, rixam: Indumenta circa collum sint laxa, & minime stricta. Instituto de-

bito regimine in sex rebus non naturalibus ad phleboto-miam deueniendum. itaque consentientibus viribus, & cæteris ad hoc requisitis, seccetur vena cephalica, seu humeraria, vel communis: & in supressione mensium, aut hæmorrhoidum seccetur saphena eiusdem lateris: deinde duobus interpositis diebus, ipsa humeraria. si vero nullum sanguinis dominium appareat, sed alij humores à sanguine diuersi huius sint causa affectus, in primis minorētur cassia fistula, aut manna, aut syrupo ros. solutiuo, aut diasene lenitiuo, aut diacatholicone, aut alio simili. postea digerantur decocto epithymi, polypodij, fumiterræ, capillorum veneris, lupulorum, cicoreæ, aut succo fumiterræ sero caprino admisto, præsertim si melancholici fuerint, vel oximel simpl. si fuerint pituitosi. postquam corpus vniuersaliter expurgatū fuerit, ipsis localibus vti poteris, in quibus adhibendis duæ emergunt intentiones, quarum prima emollientibus perficitur veluti balneo aquæ dulcis, fotu ex decocto raparum, paleæ hordei, auenæ, fœniculi, verbenæ, rutæ, chelidoniæ, & similium. sæcunda autem abstergentibus, exiccantibus, & quandoque corrodentibus post fomentationem immediatè applicandis: in quibus semper à leuioribus inchoandum, & gradatim ad fortiora procedendum. conuenit puluis factus ex saccharo candido, tutia, sarcocola, spuma maris æquali portione. vel, Recipe Karabe ʒ.i. corticis mali punici ʒ.ij. pulverizentur, & cum melle adhibeantur. vel, Recipe aloes ʒ.i. salis ammoniaci ʒ.s. conficiantur cum melle. Aliud validius, & est Auic. Accipiatur cortex oui recentis, & ferueat aceto soli exposito decem diebus: in umbra deinde exiccetur, & tenuissime conteratur. puluis lapidis hæmatitæ multum laudatur. Item fief rub. à Rasis descriptum, Recipe hæmatitæ, chalcanti vsti ʒ.iij. æris vsti ʒ.ij. myrrhæ, croci singulorum ʒ.i. piperis longi ʒ.s. post tenuissimam triturationem conspergantur vino veteri, & fiat collyrium, quod si esset nimis efficax, & timor esset de superflua corrosione, & dolore, eius acrimonia obtundatur fief albo.

9. ad almans.

Aliud ex Mesue, Recipe cerusæ, viridis æris ana q. s. fiat puluis, & vino albo potenti, & succo rutæ conficia-

tur, & in vase æneo per plures dies subsideat, postea coletur, & excolatura in vase vitreo seruata mane, & vesperi in oculum instillabis. Aliud conferens in trachomate, & vlceribus oculorum, Recipe cadmiæ, croci, scoriæ æris, gummi arabaci, æris vsti ana ℥. iij. myrrhæ, lapidis hæmatitæ, spicę ana ℥. i. opij, rosſ. ana ℥. i. piperis albi. g. iiij confice cum vino, & vtitior cum albumine oui.

Quod si passio antiquata fuerit ad operationem manualem deueniens. Iaceat igitur æger supinus super aliquam tabulam, capite parum eleuato inuersetur palpebra, & spathulæ sub positę adhæreat: hinc Medicus inuoluat proprium digitum indicem folio ficus, vel parietariæ, eoque fricabit intrinsecam palpebræ superficiem quousque granulosa illa substantia absumatur, Interim sanguis emanare aliquantulum permittetur, Deinde palpebram, oculumque aqua ros. tepida abluet, vel aceto, & aqua ros. simul admistis. sunt qui palpebram inuersam pumice abradant, aut sepiæ testa, aut instrumento, quod à palpebrarum rasura blepharoxiston græci appellant, & ad residui substantiæ malignantis corrosionem imponunt aliquod ex suprascriptis medicamentis, & clauso oculo super addunt xylinum lacte, & oleo ros. madefactum.

περὶ πτιλλώσεως.

De palpebræ crasitie. Cap. XVI.

Ptillosis.

Incrassantur aliquando palpebræ, turgent, rubeæ, & lucidæ fiunt veluti bombyces sericum euomentes, hoc prouenit à materia crassa, vel tenui nitrosa: quæ acris existens, & malæ dispositionis corrodit radicē pilorum, quare decidunt, facies deturpatur, & aspicientibus horribilis apparet, qualis est eorum, qui luem indicam patiuntur, vel recenter passi sunt. huic symptomati occurrendum, prius remoto morbo, morbus est ipsa palpebrarum crassities motum impediens, quæ ab Auic. sillac dicitur.

Sillac.

Causa.

Materia talem paſsionem in palpebris excitãs erit vel ſan guis aduſtus, vel pituita ſalſa nitroſa, uel bilis vel melancholia ſuperaduſta, vel humores miſti. & quamuis vniuerſaliter iſta materia ſit craſſa, habet tamen partes tenuiores, per quas pruritum, corroſionem, & vlcerationem inducere ſolet. Differt ſillac à trachomate, nam in vno decidunt pili pal pebrarum, & nullæ adſunt puſtulæ, ſed ſolum partis extenſio: ſecus eſt autem in trachomate.

Cura.

Victus ſit humectans, & aliqualiter refrigerans. Ingrediatur frequenter balneum aquæ dulcis tepidæ, ibique paruam moram ducat, interim vaporem eleuatum palpebris ex cipiat. à vehementi exercitatione, à coitu, & ab animi ma lis accidentibus abſtinebit. corpus purgabitur phlebotomia, & pharmacia, & humor ſalſuginoſus nitroſusque educetur à toto cum hyera ex agarico, cum hyeralogodione, pilulis fœtidis vel alio ſimili: à capite autem apophlegmatiſmis, er rhinis, & gargariſmatibus. palpebras deinde emplaſtris ex rebus humidis oblinire conducit, ſicut eſt portulaca cum la cte: mucillago pſylij cũ oleo roſ. mucillago ſeminis cotoneo rum aut amygdalæ amaræ, aut dulces cum lacte: & ſimilia. poſtquam bona temperies, & mollities palpebris inducta fue rit, medicamenta pilos reſtaurantia tuto adhiberi poterunt. laudantur ſemina citri aduſta, & oblinita cum adipe caprino. Item puluis ex lapide lazuli, & lapide armeno, & ſpica: aut ex antimonio, & ſpica, deducitur enim radio ſuper palpebrarum extremitatem. valent Muſcę abſciſsis capitibus, ſi exiccentur, & cum auellanis aſsis, & adipe caprino fiant li nimentum. vel, Recipe oſsium myrobalanorum aduſtorum ℥.s. fumi thuris ʒ. i. ſpicæ romanæ, lapidis lazuli, ana ℈. iiij. fiat linimentum, & vtitor. Muſcerdæ combuſtæ, & melle contritæ inunguntur.

Paulus.

περὶ λαγωφθαλμοῦ.

De leporino oculo. Cap. XVII.

QVando palpebra superior inuersa est, vel contracta versus cilium, ita vt album oculi contegere non possit, sed inter dormiendum oculus detectus maneat, fit ille affectus, quẽ græci λαγωφθαλμον appellant: Auic. oculum leporinum (lepores enim apertis oculis dormire dicuntur). *Lagophthalmos.*

Causa.

Huius morbi causa duplex esse potest, interna scilicet, & externa: interna erit aliquando defectus materiæ in ipsa creatione, aliquando spasmus vel corrosio, uel caro superaucta. externa erit incisio palpebræ, quia scilicet propter incisionẽ, vel propter cicatricem est diminuta, & euersa.

Signa.

A describendis signis supersedeo, cum satis per se sint manifesta.

Prognostica.

In lagophthalmo si nimium palpebræ deest, nulla id restituere curatio potest, si exiguum, mederi licet.

Cura.

Paulum infra supercilium cutis incidenda lunata figura, cornibus eius deorsum spectãtibus. altitudo esse plagæ vsque ad cartilaginem debet, nihil ipsa illa læsa. nam si ea incisa est, palpebra concidit, neque attolli postea potest. cutis igitur tantum diducta sit, vt paulum in ima oculi ora descendat, hiante scilicet super plaga, in quam linamentum conijciendum est, quod & coniungi diductam cutem prohibeat, & in medio carunculam citet: quæ vbi eum locum impleuit, postea rectè oculus operitur. At vero in conuulsis palpebris qua parte contrahuntur, istic sectio fiat, & palpebra similiter laxetur. verum in curatione fugere oportet resiccantia medicamenta, & aquam mulsam. adhibendum est autem emplastrũ *Ex Celso.* *Aetius.*

tetrapharmacum, & succo fœnugræci perfundatur. & in summa totus curationis ductus laxatorius, ac impinguans in his assumatur.

Curanda vero sunt moderata carnis incrementa arido subiecto. vt Recipe Aeris vsti ℥.ij. misyos torrefacti ℥.s. chalcitidis tostæ ℈.i. atramenti sutorij tantundem. Aliud æruginem in testa torrefactam terito, & per se adhibeto. aut plumbi vsti parem portionem ammisceto.

περὶ ἐκτροπίου.

De Ectropio. Cap. XVIII.

Ectropion. Celsus.

VT superioris palpebræ vitium est, quod parum descendit, ideoque oculum non contegit, sic inferioris, quod parum sursum attollitur, sed pendet, & hiat, neque potest cum superiore committi. quod vitium ἐκτρόπιον græci, Auic. inuersationem palpebræ vocat.

Causa.

Euenit interdum ex vitio curationis, interdum ex senectute, nonnunquam ex paralysi: per quam palpebra inferior mollificatur, & concidit, neque ad proprium terminum erigitur, neque cum superiori conuenit.

Cura.

Si ex mala curatione prouenit, eadem ratio medicinæ est, quæ supra posita est, plagæ tantum cornua ad maxillas, non ad oculum conuertenda sunt. Si ex senectute est, tenui feramento id totum extrinsecus adurendum est, deinde melle inungendum, & quarto die vapore aquæ calidæ fouendum, inungendumque medicamentis ad cicatricem perducẽtibus. Si ex paralysi medicaminum in cura paralysis descriptorum vsus dabitur.

περὶ αγκυλοβλέφαρυ.

De palpebrarum inuiſcatione. *Cap.* XIX.

Palpebræ inter ſe aliquando coaleſcunt, agglutinantur, inuiſcanturque: aliquādo coniunctiue tunicæ adhærent: interdum corneæ: nonnunquam vtriſque: vnde oculus aperiri non poteſt: hoc vitium ancyloblepharō græci dicunt, noſtri autem concretionem, ſeu inuiſcationem palpebrarum.

Ancyloblepharon.

Cauſa.

Cum oculi vngula, aut trachoma aufertur, relicto vlcere in eius membranis, & in parte intrinſeca palpebrarum, & oculus crebrò non detegitur, ſed continua eius clauſura procuratur, inuiſcatio palpebrarum cum oculo fieri ſolet. non minus etiam vlcere, vel puſtula in margine palpebrarum exiſtente, ſi Medicus eas claudat, & liget, accidit, quod inter ſe adhæreant, & conſolidentur. Inſuper materia pituitoſa multæ viſcidatis in ſomno ad extrema palpebrarum deſcendens eas ita agglutinare ſolet, vt vix diſpartiri poſsint.

Cura.

Inuiſcatio palpebrarum cum oculo quamuis curationem non recipiat, vel difficillime recipiat, attamen quia æger neque in deſperatis deſtituendus eſt, experiri remedium ab Autoribus, & præſertim à Celſo deſcriptum non erit inutile: igitur vbi albo ipſius oculi palpebra inhæſit aduerſo ſcalpello ſubſecare magna cum moderatione, vt neque ex oculo, neque ex palpebra quicquam abſcindatur: at ſi neceſſe eſt, ex palpebra potius. poſt hæc inungatur oculus medicamentis, quibus aſpritudo curatur quotidieque palpebra vertatur, non ſolum vt vlceri medicamentum inducatur, ſed etiam ne rurſus inhæreat, ipſique etiam præcipiatur, vt ſæpe eam duobus digitis attollat.

Palpebræ autem tantum inter ſe cohærentes, non difficulter diducuntur, ſed interdum fruſtra, nam rurſus glutinantur. experiri tamen oportet, quia bene res ſæpius cedit. ita-

que aduersum specillum inserendum, diducendæque eo palpebræ sunt, deinde exigua penicilla interponenda, donec exulceratio eius loci finiatur.

Cura inuiscationis palpebrarum inter se à materia pituitosa perficitur victu attenuato, euacuatione, & diuersione humoris peccantis. Item balneo emolliente ipsis palpebris in accessione adhibito, euaporatione, & inunctionibus. valet cubitum ituris, ne materia descendat, tingere palpebras succo semperuiui: vel inungere eas oleo rosaceo cum pinguedine gallinæ agitato. quidam abluunt palpebras apertas vrina pueri, vel vino, in quo rosæ, & balaustia fuerint decocta, vt partes exiccent, & corroborent, ne amplius materiam fluentem recipiant.

περὶ κριθῆς.

De Hordeolo. Cap. XX.

Crithe. Celsus.

IN eadem palpebra super pilorum locum tuberculum paruulum nascitur, quod à similitudine hordei à græcis κριθὴ nominatur, aliò nomine ποσθία, quod præputio πόσθη dicto similetur: nostri hordeolum dicunt.

Causa.

Quamuis ab humore crasso fieri possit, eius tamen materia vt plurimum sanguinea, vel saltem à predominio sanguinea.

Cura.

Post victus institutionem, & uenæ sectionem Iuuat expurgare corpus hyera picra, uel hyera ex agarico, uel diaturbith, & hyera simul. Deinde pane calido, uel fermento, uel cera calefacta locum fouere oportet, sic ne nimius is calor sit, sed facile ea parte sustineatur. Auic. adhibet opopanacem in aqua dissolutum. euaporationes ex adipe liquefacto. farinam hordei cum galbano. galbanum, & nitrum simul, galbanum in duplici quantitate. uel ex Oribasio, Recipe thuris, myrrhæ, ana ℥.ij. ladani, boracis armeni ana ℥.i. ceræ quod satis

est

est cum amurca olei liliacei conficiantur. Hac enim ratione sæpe discutitur interdum concoquitur. si pus se ostendit, scalpello diuidi debet, & quicquid intus humoris est exprimi: deinde superinungi donec ad sanitatem perueniat. omnes affirmant muscas abiectis capitibus affricatas, præstantissimum esse remedium.

περὶ χαλαζίου.

De chalazio. Cap. XXI.

Est autem chalazion otiosi humoris in pelpebra colluuies: uel est tuberculum rotundum trāslucidum, huc, atque illuc mobile: latini grandinem uocant. — Calazion.

Cura.

Imponunt ammoniacum aceto dissolutum simul cum galbano: uel terebinthinam cerato exceptam. Celsus incidi iubet, si sub cute erit, ab exteriore parte: si sub cartilagine ab interiori. deinde scalpelli manubriolo ab integris partibus diducere. at si intus plaga est, inungendum, inquit, primo lenibus, deinde acrioribus. si extra, superdandum emplastrū, quo id glutinetur.

περὶ τριχιάσεως, καὶ διστιχιάσεως καὶ φαλαγγώσεως.

De pilis palpebrarum pungentibus, & de eorum duplici, multipliciq; ordine. Cap. XXII.

Pilorum pungentium in palpebris exortum trichiasim græci uocant, cum scilicet sub pilis naturalibus in palpebris alij exorti, & intro nuentes, tunicas pungunt, & oculorum fluxiones concitant. Dicitur etiam trichiasis, cum ipsæ palpebræ laxatæ sunt, aut ipsarum extremitas intro nutat, ut pili non facile appareant, nisi quis distendat, aut disparet palpebras, uocant autem Medici palpebræ laxationem, — Trichiasis. Distichiasis. Phalangosis.

tionem, pilorumque multiplicem aciem phalangosim. sicuti pilorum subcretionem, eorumque duplicem ordinem distichiasim. De his agit Auic. cap. de pelis inuersis, & additis.

Lib. 3.

Causa.

Fiunt autem hæ affectiones, & præsertim duplex ordo ex multa humiditate, quemadmodum in terra largitas aquarum plurimas herbas profert, sic etiam in palpebris, maxime ubi influentes humores minime mordaces fuerint. Si enim id', quod influit salsum fuerit, etiam naturales pilos reijciet.

Cura.

Prætermissa chirurgica curatione tanquam nimis fallaci, & periculosa, de qua Aetius, Celsus, & Auic. diffusius scripsit: libet recensere solummodo nonnulla, quæ pilos euulsos renasci prohibet, ut est sanguis muscæ caminæ, cosso uulgò, ab Auic. tinea canis dicitur, instillatus in locum, unde pili sunt euulsi. Idem præstat sanguis cimicum, aut ranarũ recẽs illitus: uel chamæleonem album urito, & cinerem sanguine ranarum excipito: & usus tempore saliua diluito, & præ euulsis pilis locum illinito. Aliud cochlearum carnes cum uiridium ranarum in arundinibus degentium sanguine, aut herinacij terrestris cruore terito, & atramento scriptorio moderatè adiecto siccari finito: & uitata pupilla, utere.

Contra se expertum fuisse affirmat Gal. de simp. Med. x. cap. de sanguine.

Ex eis, quæ adhibentur est fel uulturis cum cinere tellinarum salsarum, sale ammoniaco, & succo porri simul in sartagine super ignem agitantur. Rubigo ferri cum saliua hominis Ieiuni, uel cum urina, uel aqua, quamuis dolorem faciat, est efficacissima. Item spuma maris cum aqua psyllij. Aliud lacertam in olla exurito, & ad cinerem tritum par pondus sandarachæ adijcito, ac ytitor. Aliud ex Archigene herinacei terrestris fel, & sanguis pari mensura cum modico castoreo: Castoreum lenissime tritum sanguine, ac felle excipito, & velut piscium squamas formato: vtere autem ita vt pilos radicitus euellas, deinde squamam vnam saliua ex ore ieiuni dilutam euersæ palpebræ illinas, & ad dimidium horæ in loco detineas, donec siccetur: dolore quidem afficiuntur ægri, sed pili non amplius enascuntur. Aliud psyllium, & cicutæ semen,

mẽn, ac cedriam pari portione vespertilionis sanguine excipe, ac vtere, ita tamen ne oculum contingas.

De pilorum palpebræ defluuio, quod μαδάρωσις, & μίλφωσις græcè, ab Auic. casus pilorum, à latinis glabrities dicitur, scribere superuacuum fore putaui, nam eius cura in superioribus & cap. de caluitio, & de palpebræ crassitie petenda est.

De liuore palpebrarum ex percussione. *Cap.* XXIII.

LIuores in palpebris existentes, quos plerũque patiuntur mulieres à maritis zelotypis verberatæ: sanat succus absinthij melli admistus: aut succus cyclamini cum melle: aut Aloe succocitrina cum melle: aut cuminum cum melle, & passulis mansum: aut anisum, & cuminum tritum, & cum aqua calida impositum: Item ammi cum melle: Item farina fabarum, & fœnugræci cum melle: Item amaracus sicca cum melle: pariter sal vstum cum melle, & succus raphani.

Sequuntur coniunctiuæ membranæ Affectus.

περὶ ὀφθαλμίας.

De Lippitudine. *Cap.* XXIIII.

INflammationem, quæ in membrana oculi agnata, seu coniunctiua dicta, excitatur, ophtalmiam græci: lippitudinem latini vocant: est morbus in quantitate, in intemperie, & vnitatis solutione. & quamuis pars similaris sit affecta membrana scilicet, attamen per accidens ad totum instrumentum, hoc est ad totũ oculum refertur. *Ophthalmia.*

Quæ lippitudo duplex est alia scilicet vera: alia notha, *Taraxis.*

hanc

Chimosis. hanc græci taraxim, ideſt perturbationem Arabes vacillationem dicunt. Vera ophthalmia diuiditur in ophthalmiam intenſam (chimoſis græce, ab Auic. Aluardengi dicitur) & in ophthalmiam abſolute dictam. fit vel per modum defluxus materiæ à cerebro ad oculos, & tunc, vt plurimum, talis materia eſt calida, vt ſanguis, nam quæ frigida vias habet latiores, per quas facilius expurgatur: vel fit per modum aggregationis, & tunc à materia frigida pituitoſa, aut melancholica, nam tale eſt nutrimentum oculi, & membranarum eius: & ſuperfluitates arguunt id, à quo decidunt.

Ophthalmia, ſecundum quoſdam, fieri non poteſt per aggregationem ſuperfluitatum nutrimenti oculorum: quoniam multa earum cōcurrit reſolutio, ob exercitationem, & ob motum ferè continuum.

Ophthalmia iterum diuiditur ex parte materiæ, non alia ſanguinea, alia bilioſa, alia pituitoſa, alia atrabilaris, alia flatulenta. Item quædam continua, quædam periodica: & periodica uehementius patientem infeſtat die, & hora motus humoris.

Ad ophthalmiam ſunt magis diſpoſiti ſanguinei: minus pituitoſi, ad huc minus bilioſi, minime omnium melancholici. oculus exertus proeminens, & magnus cum ſit calidæ, & humidæ temperaturæ, habeatque poros apertos, facilè materiam fluentem ſuſcipit, vnde vehementi ophthalmia, & dolore affici ſolet.

Lippitudini quatuor aſsignantur tempora: principium quādo copioſus humor tenuis, & inconcoctus plurimum defluit: Argumentum quando copia decreſcit, & craſsities augetur: conſiſtentia vero cum adeo concoctionis ſigna augentur, vt etiam palpebrę dormientium indè conglutinētur: declinatio cum omnia ſymptomata ſunt remiſſa.

Gal. de totius morb. temp.

Dubitatur cur in ophthalmia ab humore frigido partes oculi affectæ rubent, cum cætera Apoſtemata ab eodem met humore conflata non rubeant: huius effectus duplex redditur cauſa: prima eſt quia oculus valde ſenſibilis eſt: ad quem dolentem magnus fit ſpirituum, & ſanguinis concurſus: vnde in venis coniunctiuæ contenti dant ipſi coniunctiuæ colorem

lorem rubeum. Quare, & si humor per se sit frigidus per accidens tamen calefit, & ex præsentia sanguinis, & spirituum rubet, & illuminatur. secunda causa est quia in coniunctiua colore albo prædita omnis rubedo facilè discernitur.

Causa.

Ophthalmia ταραξις seu perturbatio dicta ferè sēper ab externa causa originem ducit: vt à sole, ab aere nimis calido, vel nimis frigido, ventis, fumo, puluere, oleo, à casu, percussione, balneo, à vaporibus eleuatis à cæpis, allijs, & similibus.

Ophthalmia vera, pariter ophthalmia intensa χήμωσις dicta tres causas habere potest primitiuam, antecedentem, & coniunctam: primitiua sunt res non naturales præsertim aer, cibus, & potus. antecedens sunt ipsi humores in corpore aggregati, & dispositi fluere ad oculos per partem intrinsecam, vel extrinsecam mediantibus venis, & arterijs.

Coniuncta sunt idemmet humores actu prædictum tumorem in adnata tunica excitantes.

Signa.

Cum ea, quæ in oculis alba sunt, in rubedinem mutata fuerint, fluxerintque lachrymæ, & in angulis oculorum lachrymalibus lippitudo collecta fuerit, dolorque infestauerit, tunc dicemus ægrum pati ophthalmiam.

Signa ophthalmiæ taraxis sunt ipsæ causæ primitiuæ à quibus pendet: Item doloris leuitas, ægri facilis tollerantia, tumoris paruitas, nulla corporis repletio.

Signa ophthalmiæ chimosis sunt venæ turgidæ, & eminentes, rubedo, vehemens dolor, durities, palpebrarum crassities, inuersatio, earum difficiles motus. quandoque adnata tunica sic tumefit, vt corneam supereremineat, & eius maximam occupet partem: & patiens parum, aut nihil videt.

Signa ophthalmiæ à sanguine sunt dolor grauatiuus, rubedo, pulsatio temporum, tumor notabilis, lippitudo inter dormiendum palpebras agglutinans.

Signa eius, quæ à bile sunt mordicatio, dolor, pungitiuus, color subrubeus ad citrinum, seu ad flauum vergens: lachrymæ tenues, acutæ exulcerantesque.

Signa eius, quæ à melancholia sunt color fuscus, dolor obstusus, grauitas, pauca lippitudo, & reliqua melancholiam attestantia.

Signa ophthalmiæ flatulentæ sunt extensio absque grauitate, pauca rubedo, non fluunt lachrymæ neque multa aggregatur, lipitudo, & per remedia euaporare facientia facile discutitur.

Signa ophthalmiæ per consensum à capite sunt quia præcessit grauitas capitis, dolor, concussio: quòd si fluxus fuerit per partem extrinsecam, tunc frons, & tota facies colorata, rubea, extensa, & in temporibus inflatio apparebit. quòd si fuerit per partem intrinsecam, pruritus in naribus, & palato indicabunt: & talis fluxus est malus nam remedia non bene adhiberi possunt.

Signa eius, quæ per consensum a ventriculo sunt nausea, conturbatio, & reliqua humorem in ventriculo existentem ostendentia.

Prognostica.

Orta lippitudine, protinus quædam notæ sunt: ex quibus quid euenturum sit colligere possumus, nam simul ac lachryma, & tumor, & crassa pituita cæperint, si ea pituita lachrymæ mista est, & ea lachryma calida est, pituita vero alba, & mollis, tumor non durus, longæ valetudinis metus non est.

Ex Celso, & Hip. 2. pdict.

At si lachryma multa, & calida, pituitæ paulum, tumor modicus, idque in vno oculo est, longum id, sed sine periculo futurum est. Idque lippitudinis genus minimè cum dolore est, sed vix ante vigesimum diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat.

Si pituita alba, & mollis esse incipit, lachrymæque miscentur, aut si simul hæ vtrumque oculum inuaserunt, potest esse breuior, sed periculum vlcerum est.

Pituita autem sicca, & arida dolorem quidem mouet, sed maturius desinit, nisi quid exulcerauit.

Tumor magnus si sine dolore est, & siccus, sine vllo periculo est. si siccus, sed cum dolore est ferè exulcerat, & nonnunquam ex eo casu fit, vt palpebra cum oculo glutinetur.

Oph-

Ophthalmia, quæ prorogatur, vt plurimum oculos exulcerare, vel aliquod de se vestigium in ipsis relinquere solet.

Si hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum, & australe, necesse est æstate lippitudines fieri. Hip. 3. Aph. 11.

Si hyems australis, & pluuiosa, & tepida fuerit ver autem siccum, & aquilonium: difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt. & aph. 12.

In regionibus meridionalibus ophthalmiæ sunt frequẽtiores verum neque mangnæ, neque diuturnæ tum quia corpora raræ texturæ, tum quia fluxui ventris obnoxia. Auic.

In regionibus, & temporibus frigidis minoratur ophthalmia: sed quæ aduenit est praua: minoratur quidem seu rara est propter quietem, & congelationem humorum: est autem praua quoniam quãdo humores in membro comprehenduntur, & coarctantur discuti non possunt, quare prorogant Apostema vsque quo tunica adnata scindatur.

Ophthalmia per consensum à dura, & pia matre, & à partibus intra craneum contentis sæuiora habet symptomata, & difficilius curatur quam ea, quæ fit per consensum à pericraneo, & partibus extrinsecis.

Ophthalmia est morbus contagiosus, ita vt ophthalmicum diu inspiciens ipse quoque ophthalmicus fiat.

Lippientem alui profluio corripi bonum est. 6. aph. 17.

Cura taraxis.

Ophthalmia taraxis, seu perturbatio oculorum à fumo, ardore, aut puluere, aut alio simili facile curabitur, si Iusseris ægrum à lædente causa discedere, veluti sole, fumo, vel alio simili: deinde oculos lauare, primum aqua tepida dulci, postea etiam frigida. Iubendus est etiam splendorem auersari, & oculos claudere. ex his enim sedatur malum nulla alia re adhibita, sed solum indigentiore victu. Aetius.

Si vero ex ardore oborta est perturbatio ampliore potu vtendum. si enim somnus successerit profundior, etiam lippitudo formidata concoquetur. quare neque à balneis abstinendum est: verum diæta exquisitiore uti conuenit. perseuerãte vero affectione, quiescere oportet, palpebras illinire collyrio Nili ex Rosis, facit ad dolores oculorum, fluxio-

nem tenuem, ac multam, pustulas, prolapsus, & vlcera sordida, & palpebras asperas, Recipit rosarum uiridium resectis vnguibus ʒ. vj. croci ʒ.iij. opij, spicæ, singulorum ℈.i. gummi ʒ.i. s. cum qua pluuiali confice: & cum oui candido vtitor. vel collyrio ex croco, quod habet croci ʒ.iij.s. amyli ʒ.iij. glaucij, seu memithæ ℥.s. tragacanthæ ʒ.i. albuminis oui ʒ.i. s. tere, & succum verbenacæ rectæ instilla, efformato, ac vtitor: est efficax, vt vix credi possit, ad lippitudinem, tumores laxos, inflationes, omnem humorum influxionem, & desperatas in oculis affectiones intra triduum remouẽdas.

At si perturbatio fuerit à percussione, casu, seu collisione causata, post phlebotomiam, quæ (corpore plethorico existẽte) conuenit: & post ventris solutionem, & humoris diuersionem, repercussiuis parumper anodynis dabitur locus vt est caseus recens nequaquam salitus, & mali cocti medulla: Item quale est, quod fit ex acacia, cerusa, gummi arab. & oui candido, & collyrium, quod sief album. Arabes vocant: conficitur ex cerusæ albutæ ʒ. v. sarcocollæ crassæ ʒ. i. s. tragacanthæ ʒ. s. opij ℈. s. fiunt trochis. lenti similes, & vsu exigente, dissoluuntur in lacte mulieris puelam lactantis: & nisi magnus adsit dolor, sine opio applicari solent.

Perturbatio à percussione, in corpore mundo, & nulla plethoria redundante, puris pro sui cura indiget resolutiuis: quare Iubet Auic. vt columbæ, aut turturis, aut ipsiusmet patientis sanguis calidus in oculum destilletur, vel ex mamilla mulieris lac in ipsum emungatur. quandoque sufficit fotus ex spongia, seu lana, seu xylino infuso in oleo ros. decoctione lactis, aut lentis, aut fœnugræci. & cum nullus adfuerit rubor, superfluusque calor, competit absinthium, aut cuminum masticatum, aut succus rutæ cum puluere cumini, & albumine oui superpositus.

Cura ophthalmiæ veræ.

Ophthalmia autem vera curatur debito regimine in sex rebus non naturalibus. phlebotomia, & medicamentis intra, & extra adhibendis.

Patiens igitur in aere temperato procul à ventis, fumo, malis odoribus, strepitu, & hominum frequentia loco obscuro

ſcuro detinendus, vt oculus quieſcat, nam uidendi Inſtrumentum ſplendorem abſque moleſtia tolerare non poteſt: ſicuti à Galeno optimè comprobatum eſt exemplo Militum Xenophontis, qui cum per multam niuem iter feciſſent, oculis læſi vixerunt. pariter exemplo Dionyſij Siciliæ tyranni: hic enim ſuper carcerem domum conſtruxit clariſsimam, ac longe ſplendidiſsimam calce illitam: in quam diutiſsime inſimo, & caliginoſo loco carceratos educebat, atque ita nimis cupide lucem intuentes occæcabantur, lucis ſplendidæ occurſum repentinum confertúque non ferentes. recreatur autem oculus potiſsimum colore nigro, cæruleo, ac viridi. quorum colorum quandoque vnus, quandoque alius magis Iuuat. in ophthalmia enim magna calidaque in qua ſpirituum multa fit reſolutio, niger viridi, & cæruleo præfertur, vt pote ſpiritus magis vniens, & congregans. In ophthalmia parua, & à cauſa frigida, color viridis, vel cæruleus eligitur. oculum non modo infirmum, ſed etiam ſanum clauſum teneat: vnius enim commotio alterum inquietat. capite ſublimi, & eleuato dormiat. ſomnus eius ſit noctu diſtans à cibo per tres, vel duas horas ſuper latus oculi ſani, vel ſupinus.

x. de uſu part. cap. 3.

Dicebat Auic. oportet vt prouocetur ſomnus, eſt enim medicamentum bonum; ratio eſt, quia in ſomno oculus non mouetur, & per conſequens materia ad ipſum non attrahitur. quòd ſi aliqna in principio ſomni agitatur materia: interius, & non exterius verſus oculum agitatur, & concoquitur. inſuper Dum materia eſt in motu, & accidentia, dolor præſertim infeſtat, tunc etiam ob dictas cauſas magis laudatur ſomnus. at ſi materia fuerit concocta, & morbus in declinatione, vigilijs plusquam ſomno indulgendum: reſolutione enim, & expulſione tunc temporis indigemus. quapropter optimè admonet Auic. quòd ſomnus nocet, vbi materia eget expulſione: & quòd vigilia nocet, vbi concoquenda eſt.

13. Tertij.

Somnus per ſe, & abſolute in ophthalmia binioſa plus conuenit quam in melancholica, & magis in melancholica, quam in pituitoſa, & magis in pituitoſa quam in ſanguinea. per accidens tamen contrarium eſſe poteſt.

Balneo vtatur aquæ dulcis tribus obſeruatis conditionibus.

bus. primò quod corpus optimè purgatum sit. secundò quòd humor ophthalmiam causans nō amplius in fluxu, sed fluxus sit. tertiò quòd materia iam sit concocta, & morbus in declinatione. Balneum enim confert attenuando, & resoluendo in ophthalmia melancholica, & pituitosa. Confert infrigidando in sanguinea. confert humestando, & acrimoniam humoris retundendo in biliosa. locutiones, clamores, cæterosque motus corporis, & animi vitare debet: frictiones tamen locum exercitij à spatulis, & brachijs, & incipiendo, & deorsum trahendo, mane, & vesperi ante cibum, & exonerata prius aluo subeant. Aluus non respondens irritabitur quotidiè vel clysterijs, vel glandibus, uel medicinis lenientibus, vt est cassia fistula, manna, syrupus violatus, & aliud simile. Coitus quoniam multum oculos debilitat, & materiam in capite, & oculis agitat omnino vitandus est vitanda pariter mala animi accidentia.

Pauco vtatur cibo, ac potu, imò (inquit Celsus) primo die, si fieri potest, nullum cibum sumere debet, ne aquam quidem: sin minus, certe quam minimum eius: nam in huiusmodi causa prima omnium sunt quies, & abstinentia. cibus eligatur ex ijs, quæ humorem generant laudabilem, vitando ea, quæ vaporosa sunt, ac tardæ concoctionis: proinde carnium præsertim quadrupedum animalium, lactisque vsus improbandus erit. cauendumque ab acetosis, salsis, acribus, & ab his, quæ à proprietate, aut à modo substantiæ nocent oculis sicuti est lactuca, caulis, coriandrum, lentes, & omnia flatulenta.

Comedat in fine mensæ cibum vapores comprimentem, vt pyra. cotonea: & huiusmodi. In morbi declinatione vti poterit carnibus pullorum, & paruarum auium in montibus degentium: item vino oligophoro in pauca quantitate.

Circa phlebotomiam, scribit Mesue, quòd omnibus speciebus lippitudinis phlebotomia ex cephalica est conueniens: quæ modo ab eodem latere: nonnunquam ab opposito fieri debet. ab eodem latere quando materia est pauca, & fluxa, dummodo sit sanguis, vel cum sanguine educibilis. ab opposito autem quando est in fluxu, & multa, & sanguis, vel saltem à prædominio sanguinea: & phlebotomia deinde à latere

tere

tere affecto est reiteranda. Quòd si virtus, ætas, & cætera sanguinis missionem non permittunt, adhibe cucurbitulas vel hæmorrhoidas, vel menses prouocato.

At si ægritudo fuerit chronica, secabis venam in angulo domestico lachrymali: deinde arterias, quæ sunt post aures, si per viam extrinsecam materia emanat, & hoc monitu Auic. inquit enim, & fortasse non sufficit phlebotomia ex cephalica: & necessaria phlebotomia arteriæ temporis, & auris ad abscindend[illegible]m viam, per quam aduenit materia: & illud quando materia aduenit oculo per arterias extrinsecas.

Circa Medicamenta interius assumēda diuersitatē obseruabis secundū quòd humor infestans diuersus fuerit nam si bilis non modo sui qualitate, verum, & quantitate peccare videbitur: exhibebis quæ ipsam alterare, & expurgare valeant, huiusmodi est manna cum Rhabarbaro, & cum tamarindorum decocto. Item casia fistula, vel syrupus ex pluribus infusionibus rosarum, vel violarum, Mucarum Bononienses vocant. cum Diacatholicone, vel elect. ros. solutiuo. talibus medicamentis præmittenda est humoris concoctio syrupis supra in cura doloris capitis à bile, & in cap. de phrenitide descriptis.

Si autem materia fuerint frigida pituitosa educetur pilulis cochijs, hyera ex agarico, hyeralogodione, elect. indo maiori: vel, Recipe stœchadis, calami aromatici, nucis moschatæ, cubebarum ana ʒ.i. seminis fœniculi, euphragiæ, sileris, radicum chelidoniæ ana ʒ.s. cinnamomi specierum hyeræ ana ʒ.i.s. masliches ʒ.ij. turbit, agarici ana ʒ.vij. aloes, epithymi ana ʒ.vj. conficiatur cum succo fœniculi. Dosis erit ʒ.i. vel ℈.iiij.

Materia vero melancholica purgabitur pilulis indis Haly: vel pilulis de lapide lazuli: vel si fuerit adusta decocto epithymi, fumiterræ, elect. hamec, & similibus. Gargarismata, masticatoria, caput purgia pariter sunt ex ijs quæ interius exhibentur: quibus vt non licet nisi optimè prius purgato corpore vel clysterijs, vel suppositorijs, vel pharmaco per os exhibito ne materia ad fauces, & guttur impetuose attracta anginam excitet, & morbus ex morbo conficiatur.

Exterius conueniunt ligaturæ dolorosæ extremarum partium, earum in aqua calida detentio: & vt dictum est, balnea, fomenta, inunctiones, emplastra, collyria, cucurbitulæ scarificatæ, & non scarificatæ, hæmorrhoidum, & mensium prouocatio, & cauteria. Hinc remedia ab Hippocrate descripta verificari colligere potes: vbi inquit dolores oculorum, meri potio, aut Balneum, aut fomentum, aut uenæ sectio, aut medicamentum purgatorium soluit: nam absolute vinum pituitosis conuenit: phlebotomia sanguineis, & biliosis: balneum melancholicis: pharmacia his, qui humoribus mistis pleni sunt.

Interim oportet inquiri an infirmitas proprie sit oculorum, an aliunde ad ipsos veniat: nam si aliunde, membrum mandans prius medicare debes: postea ijs, quibus mandatur, & incipiendum est à Medicinis oculos corroborantibus, & humores repercutiẽtibus: In morbi augumẽto, & statu sint repercussiua, & resolutiua simul admista: vincant tamen in statu resolutiua: & multo magis in declinatione, imo tunc solis descutientibus certandum est. In dolore forti fortiter infumandi sunt oculi ex decocto meliloti, & fænugræci. si dolor adeò sit magnus, vt infirmus pati nequeat, dare cogimur dolori repugnantia sicut fomentum ex opio, & cortice papaueris cocto, & similibus. psyllium quoque infusum in aqua ros. oculis super imponere. vitellus oui, oleum ros. atque crocum oculis imposita valent.

In ophthalmia calida In principio semper adhibere solẽt, quæ materiei acrimoniam, & feruorem reprimant, vt est portulaca trita, endiuia, violæ, solatrum, aqua ros. vel psyllium in eadem infusum: hæc omnia singulariter, uel coniunctim cum oleo ros. agitata, & oculis imposita sedant, & digerunt. destillentur autem oculis lac mulieris puellam lactantis; lac asinæ: albumem oui; aqua ros. mucillago psyllij: & post diem vtendum destillatione collyrij albi primi Mesuæ cum aliquo horum, quæ dicta sunt. & consequenter postquam oculi lippam habere, sed non integrè cæperint, & cursus lachrymarum tenuium, mordaciumque non ut prius perseuerat, admiscendæ sunt predictis medicinæ resoluentes & maturantes,

Mesue.

ſicut mucillago ſeminum cotoneorum, decoctum meliloti, aqua fœniculi cum collyrio albo: deinde cum collyrio citrino. ſi autem ſigna concoctionis affuerint, ideſt lippæ effuſio, & lachrymarum tenuium omnimoda remotio, tunc Balneum cæteris præfertur medicamentis, attenuat enim, & reſoluit materiam.

Si autem materia fuerit frigida pituitoſa adhibe in principio repercuſsiua non multum frigida ſicut eſt collyrium de ſpica corroboratum cum ſucco menthæ, & modico ſpicæ, ſucco raphani, & ſucco uirgæ paſtoris. In proceſſu uero (apparentibus ſignis concoctionis) utere emplaſtro ex anetho, & folijs maluæ in uino aſtringenti decoctis. aut ex meliloto, & ſpica. aut fœnugræco, & roſis in uino pariter ſtyptico decoctis. & deſtilletur in oculi collyrium de ſpica cum aquis meliloti, aut fœnugræci, & ſimilium.

Perſeuerantibus ſignis concoctionis, puluis citrinus cum mucillagine fœnugræci, aut meliloti eſt conueniens quo caſu balneum etiam confert, & potus uini albi puri.

At ſi ophthalmia fuerit à flatuoſitate curabitur embrocis, emplaſtris, & balneis euaporare facientibus. fœniculus in huiuſmodi ophthalmia ſecundum omnem modum adminiſtrationis laudatur. & emplaſtrum ex uitello oui, & fœniculo.

Quod ſi ex narcoticorum uſu mala impreſsio in oculis facta fuerit, lationibus, & embrochis remoueatur ex rebus, in quibus adſit moderata caliditas uim narcotici digerens: ſicut eſt melilotum, chamæmelum, fœnugræcum, malua, anethum, & ſimilia.

Subnectam modo collyria ad Autoribus, & præſertim à Meſue in hoc affectu magis comprobata, ne compoſitiones alium de ij querere cogantur, qui illas parare cupiunt.

Collyrium album Primum cuius uſus eſt in principio ophthalmiæ. Recipe gummi arabici, tragacanthæ, amyli ana ℥.s. ceruſſæ lotæ ʒ.vi. opij ʒ.i. confice cum albumine oui, vel aliquo liquore appropriato.

Collyrium album ſecundum conferens ophthalmiæ in augumento, & ſedat dolorem. Recipe Sarcocolæ nutritæ in lacte aſinino ℥.s. amyli, tragacanthæ ana ℥.s. opij ʒ.i. oliba-

ni ʒ.i.s. cerussæ ablutæ ʒ.vi. contemperentur cum aqua pluuiali.

Collyrium album quartum in principio, & in Augmento ophthalmiæ adhibendum: Recipe cerussæ ʒ.x. gummi arabici, amyli ana ʒ.v. sarcocollæ nutritæ in lacte asinino, aut muliebri ʒ.x. tragacanthæ ʒ.iij. opij ʒ.s. conficiantur cum aqua.

Est autẽ Clymia fœx auri, vel argenti.

Collyrium album quintũ ad ophthalmiam calidam: Recipe clymiæ prius lotæ, postea adustæ, & extinctæ in lacte muliebri ʒ.x. cerussæ lotæ ℥.i. opij ʒ.ij. scoriæ ferri, tragacanthæ, gummi arabici ana ℥.s. uniantur cum aqua pluuiali.

Collyrium citrinum conuenit in doloribus ophthalmiæ: Recipe Clymæ vt supra præparatæ ℥.i. cerussę lotæ ℥.ij. croci ℥.s. opij, tragacanthæ ana ʒ.ij. aquæ pluuialis quantum sufficit: vtere cum albumine oui.

Collyrium citrinum aliud magis efficax: Recipe Amyli ℥.i.s. collyrij memithæ ℥.i. sarcocollæ, tragacanthę, gummi arabici ana ʒ.iij. croci ʒ.ij.s. myrrhæ ʒ.i. opij ʒ.ij misceantur cum aqua pluuiali,

Collyrium citrinum aliud ad doloris sæuitiam in ophthalmia remouendã: Recipe sarcocollæ ʒ.iij. cerussæ ʒ.v. amyli, tragacanthæ, gummi arabici ana ʒ.ij. croci ʒ.i.s. opij ʒ.i. omnia præter opium conterantur, & in puluerem tenuissimum reddantur: opium autem dissolue in aqua ros. aut lacte muliebri, & misce cum alijs conterendo in vase lapideo quousque mellis compagem acquirant.

Pulueris citrini descriptio: cuius Iuuamentum est in fine ophthalmiæ: & est fortis impressionis: Recipe sarcocollæ ʒ.x. collyrij memithæ ʒ.iij. litij, aloes ana ʒ.ij. croci ʒ.i.s. spumæ maris ʒ.s. terantur, & vtitor.

Collirium de spica conuenit in ophthalmia frigida, & diuturna: Recipe sarcocollæ ʒ.v. spicæ ʒ.ij. foliorum ros. ℥.s. croci ʒ.ij. opij, aloes ana ʒ.i. caphuræ ʒ.s. gummi arabici, amyli, tragacanthæ ana ʒ.i. componitio cum aqua pluuiali, & fiat collyrium: cum autem signa concoctionis apparuerint, conficiatur cum succo capparis: & vtere, nam expertum est.

Puluis conferens Apostemati, quod est in coniunctiua: oculorum inflammationi, materierum, & lachrymarum fluxui, prurituique: vtuntur eo mane: & vesperi: Recipe pompholygis, lapidis hæmatitæ ana ℨ.iij. litij, acaciæ, clymiæ auri ana ℨ.i. spicæ, opij, rhois ana ℨ.s. amyli, aloes rubei boni ana ℨ.i. sacchari albi ℨ.iij. fiat puluis tenuissimus imbibat prima vice aquam myrobalanorum citrinorum: alia vice succum fœniculi: postea succum coriandri humidi: quarta vice aquam rhois obsoniorum: vel succum mali punici medij saporis: hinc caphuræ ℈. i. admisceto: & iterum conterantur, & in vase vitreo puluis ad vsum seruetur.

Interim circa localia obseruandum est: primò ne repercussiua diutius super locum affectum detineātur, sed singula hora permutentur: inter quæ repercussiua albumen oui agitatum præfertur ipsi lacti, nam lac post aliqualem moram fit acidum, & ex tali qualitate maius emergit in oculis nocumentum, quam Iuuamentum. secundò quòd medicina oculis adhibenda sit leuis, & tenuiter contusa. tertiò. quod styptica, & astringentia in principio non adhibeas, nam contrahunt partes, materiam inculcant, & irresolubilem reddunt, augentque dolorem. quartò quòd in ophthalmia incipiente resolutiua omnino vitare debeas: nam eius cura est sicut aliorum Apostematum. quintò quòd oculis applicanda sint actu frigida, sicut quæ auribus actu calida esse debent, sextò quòd lippa, & sordes singulo die ab oculis multoties auferatur blande, & leniter ne inde sequatur dolor. septimò narcotica vitare debes: quorum vsus nunquam laudatur nisi maxima vrgente necessitate. octauò oportet inquit Auic. vt ex toto elongetur oleum rosaceum vel aliud à capite patientis ophthalmiam, eiusque destillatio, & in aurem effusio, est enim valde magni nocumenti: adhibetur tamen extrinsecè super palpebras per se, & super oculos collyrijs admistum.

Mesue cap. de dolore oculorum.

Cura ophthalmiæ chimosis.

Ophthalmia chimosis, cum sit morbus vehemens, & magni timoris, vehementiora pariter requirit auxilia. debito igitur instituto victu, eris solicitus in procurandis euacuationibus, & diuersionibus. post venæ sectionem, & alui multo-

ties per pharmaca subductionem, curcubitulasque cum scarificatione adhibitas: quandoque necessarium fuerit incidere venas temporales, vel quæ sunt post aures: vel frontis venas, quando præsertim alia remedia nihil profecere: & nullus aderit dolor capitis, & materia fluet per partes extrinsecas. modus autem incidendi arteriam describitur à Mesue cap. de ophthalmia. Denique Cauterium in hoc affectu multum laudatur: nam eius Iuuaméta sunt sublimia, & proprie ad omnes ægritudines capitis frigidas, & humidas, sicut est scotonia, vertigo, somni grauitas, paralysis, tortura oris, catarrhi multitudo, eiusque ad partes subiectas descensus, vt ad oculos, nares, fauces, vucam, aures, dentes, gingiuas ad guttur, & vniuersaliter ad eius destillationem super pulmones, & partes pectoris: fit autem super comissuram coronalem hoc pacto videlicet extendat Infirmus propriam manum super nares, & frontem, ita vt extrema pars, radixque volæ tegat nasi pinnaculum, deinde considerabis metam, quam medius extensus attingit digitus, ibique abrades, & inures Instrumento ignito, cuius forma sit similis nucleo oliuæ maioris. Inustio autem deuenire debet vsque ad ossis superficiem, & aperta detineri vsque quò pus minuatur, & ægritudines catarrhales tollantur. sunt qui extollant Cauterium in occipitio tanquam magis diuersiuum: quod diu fune aliquo ex serico apertum detinent. nonnulli autem loco cauterijs actualis caustica, & vesicatoria appo[n]unt medicamenta: & expertum est hæc omnia multi esse iuuamenti siue per partes interiores, siue exteriores materia ad oculum fluat.

περὶ πτερυγίου.

De vngue oculi. Cap. XXV.

Pterygion.
Vngula.

Πτερύγιον græci idest alam; latini (vt Celsus) vnguem; Auic. vngulam vocauit excrescentiam illam neruosam, quæ à maiore oculi angulo, interdum, sed rarius, à temporum parte in adnata tunica oritur, ita quan-

quandoque se extendens, vt pupillam operiat, super quam veluti frustum vnguis se ostendit, consideratur vt morbus in numero, vel in quantitate. & differt ab illo oculi affectu, qui ab Arab. sebel dicitur: nam sebel est panniculus, vel potius quid panniculo simile oculis eueniens ex inflatione venarum apparentium in superficie coniunctiuæ, & corneæ. Vnguis uero est quædam textura neruea, seu instar neruorum dura in eadem superficie eueniens: quæ inueterata ipsi tunicę adnatæ ita aliquando adhæret, vt neque per chirurgiam, absque oculi iactura, auelli possit: recens vero non est tanti timoris, nam medicamentis abstergentibus facilè cedere solet. diuersæ eius sunt species, etenim quidam vnguis est tenax in substantia, neruosusque, seu durus: quidam vero est flaccidus, mollis, & nullius tenacitatis. Item quidam est paruus coniunctiuam tantummodo occupans: quidam magnus vsque ad pupillam se extendens. pariter quidam ex recenti factus est: quidam vero antiquus, seu à generatione contractus.

Sebel quid.

Causa.

Lippitudo scabra, quæ præcessit. Item scabies, pruritusque: non minus etiam humorum lentorum, & crassorum defluxus pterygij, seu vnguis causa esse potest. Ad huius morbi cognitionem nulla describo signa, fit enim per se vnicuique intuenti manifestus.

Signa.

Prognostica.

Magni, & inueterati vngues, si curantur (quod ferè nunquam euenit) chirurgia curantur.

Recentiores uero, & magnitudine mediocres præsidijs eliduntur abstergentibus, qualia aspritudini idonea sunt, & albuginibus.

Paulus.

Pterygia seu vngues albicantes, & angustum fundum habentes facilius curantur. his uero contrarij ægrè curationem admittunt.

Aetius.

Vngues in quibus sunt principia suffusionis, curare non oportet, his enim sublatis, citius suffusio conflatur.

Sed

Sed neque crassa pterygia curabis, & euersa, & eminentia, ac indurata, & quæ tempora per consensum afficiunt, malignam enim, & canceratam qualitatem sapiunt.

Pterygia, quæ usque ad pupillam pertingunt, & propterea visum impediunt, si tollantur, liberant oculum à fluxionibus, cicatrix autem, quæ ex chirurgia Iuxta pupillam succedit, nihilominus visum impedit.

Ex pterygijs ea manu curare oportet, quæ aucta ad nigrum oculi se extendunt.

Cura.

Post debitam victus institutionem, qui attenuans, & incidens esse debet, & æger inter cætera obseruanda, penitus à vino, præterquam in morbi declinatione, à cibis autem vaporosis semper abstinere: & in aere ad calidum, & siccum vergente, versari. competit hoc morbo affectis non vnica, sed bis, aut ter humoris crassi, & tenacis reiterata purgatio: qui humor prius concoquetur, & exituræ dispositus euacuabitur. exhibebis itaque syrupum e stœchade, de betonica, oximel simplex, vel compositum, vel scillinum, cum decocto euphragiæ, fœniculi, hyssopi, betonicæ, amaraci, saluiæ, & simili, hinc ad ea, quæ purgant pituitam confugies: vt sunt pilulæ cochiæ, pilulæ è hyera composita, pilulæ alephanginæ, pilulæ de agarico, elect. indum, Diaturbith. maius. conferunt clysteres non modo propter euacuationem eorum, quæ in intestinis continentur: verum etiam propter reuulsionem eorum, quæ ad caput feruntur.

Si autem pterygion fuerit recens fouebitur prius, & molle reddetur aqua temperate calida, aut decocto hordei, maluarum, altheæ, chamæmeli, seminis lini, fœnugræci, quò ad oculus calefiat. deinde cum localibus abstergentibus instabis, primò quidem leuioribus; postea gradatim fortioribus. leue est thus tritum, & cum aqua calida in formam collyrij redactum. uel, Recipe lactis mulieris, croci, fellis ana partes æquales bulliant simul, quæ super oculum frigida guttatim instillabis: nam spatio quatuor dierum præterquam quod corrodunt pterygion, remouent dolorem, ruborem, & inflammationem. vel ex Aetio.

Sepiæ

Sepiæ testas, vstas cum sale ammoniaco æquis portionibus tere, ac vtitor. vel populi nigræ succum cum duplici melle illine. vel Aes vstum cum pueri incorrupti vrina terito, & vtere. aut, & est fortius.

Recipe lapidis hæmatitæ loti, aeris vsti, cadmiæ argenti ana ℥.s. piperis albi ʒ.ij. piperis nigri, spumæ maris ana ʒ.ij. aloes, spicæ, caryophyllorum ana ʒ.iij. gingiberis ʒ.ij. amyli, myrobalanorum bellericorum ana ʒ.i.s. croci, salis ammoniaci ana ʒ.i. terantur, & fiat collyrium cum succo fœniculi. His non sufficientibus, adsint validiora: vt collyrium viride Rasis: quod confert non modo vngulæ, verum sebel, scabiei, & albugini, Recipit viridis Aeris ʒ.iij. chalcanthi vsti ʒ.vj. arsenici rubei, nitri, spumæ maris, singulorum ʒ.i. salis ammoniaci ʒ.s. ammoniaci thymiamatis ʒ.ij. dissoluatur ammoniacum in succo rutæ, & cætera in puluere redacta admisceantur, & vtere. Idem præstabit collyrium de chalcantho eiusdem Autoris, quod habet aeris vsti, chalcanthi ana ʒ.s. viridis æris ʒ.ij. salis ammoniaci, nitri, arsenici sublimati ana ʒ.i. terantur, & per sex dies dimittantur, inde succo fœniculi vniantur in formam collyrij: quo pterygion perfricetur, & absumatur: caue tamen ne tangas corneam tunicam, huiusmodi enim collyria corrodunt, & exulcerant: quare optimum esset, adhibere super frontem, & super tempora aliquod repercussiuum ne humores fluant ad oculos ob dolorem à medicamentis excitatum: pro cuius mitigatione xylinum madefactum lacte, aqua rof. & oleo rof. æquis portionibus oculis clausis apponito, & quiescere Sinito. post aliquot dies, iterum (sedato dolore) ad operationem collyrij reuertere, quo ad totum pterygion sit consumptum.

At si morbus inueterauerit, iamque ei crassitudo quoque accessit, excidi debet. Post abstinentiam vnius diei (inquit Celsus) æger vel aduersus in sedili contra Medicum collocandus est, vel sic auersus, vt in gremium eius caput resupinus effundat. quidam si in sinistro oculo vitium est, aduersum: si in dextro resupinum collocari volunt. collocetur vt libet, dummodo operantis commoditati consulatur: palpebras minister diducat: tum Medicus hamulum acutum paulum mu-

crone

crone intus recuruato subijcere extremo vngui debet eumque infigere, & hamulo apprehenso pterygion leuare: postea cum instrumento phlebotomo simili, sed obtuso deducere, & ab oculo separare, donec ad angulum lachrymalem: cui pterygion anexum est, veniat: in quo confino secandum est pterygion, taliter ne ex eo aliquid relinquatur: quod exulceratum est vix vllam recipit curationem: vel ne ex angulo aliqua carunculæ portio abscindatur(hanc enim à rubedine, & mollitie, pterygion à duritie, & albedine cognoscet) nam ea abscissa, patescit foramen per quod postea semper humor descendit, & continuæ fluunt lachrymæ.

Si autem pterygij suspensio fuerit difficilis, submittatur in vno vel duobus locis filium sericum, vel capillus acu curua attractus: & altera manu filium hinc inde dimouendo Medicus teneat, altera vero leniter pterygion à cuniunctiua phlebotomo diuidat, diuisumque amputabit.

Quòd si nullus ex istis operandi modis probabitur: abradet pterygion ferro tenui, sed obtuso, vel denario argento, dabitque operam, ne quid ex coniunctiua, vel cornea tunica abscindatur. postea super oculum (vt voluit Auic.) imponet cuminum cum sale masticatum: & desuper vitellum oui cum oleo ros. vel violaceo agitatum: vel ad sedandum dolorem, & prohibendam inflammationem, collyrium album cum lacte: & ne palpebra ipsi oculo agglutinetur, æger oculum sępisime mouebit.

Quæ curatio tempore veris esse debet, aut certè ante hyemen. duo enim genera curationum sunt: alia in quibus eligere tempus non licet, sed vtendum est eo, quod incidit, sicut in uulneribus, & in fistulis: alia in quibus nullus dies vrget, & expectare tutisimum, & facilè est, sicut euenit in ijs, quæ, & tardè increscunt, & dolore non cruciant, in his ver expectandum est.

Celsus.

Sequuntur corneæ tunicæ morbi.

περὶ φλυκταίνων.

De phlyctænis seu pustulis. Cap. XXVI.

IN cornea tunica emergunt aliquando tumores præter naturam pustulæ à Celso appellati à græcis φλύκταιναι: ab Auic. uesicæ, à nonnullis ampullæ, seu bothor: qui tumores uisum impediunt, præsertim cum pupillæ opponuntur, dolore ægrum infestãt, & oculi concinnitatem, decoremque auferunt. cõsiderantur vt morbus in quantitate, in intemperie; & continui solutione. pustularum uariæ sunt species, aliæ enim sunt profundæ, aliæ superficiales: aliæ sunt magnæ, aliæ paruæ: aliæ apparent albæ, aliæ nigræ: nonnullæ conflantur à materia miti, & suaui: nõnullæ autem à materia acuta, & mordaci. dubitatur utrum color postulæ exterioris sit niger, & interioris albus, ut Aetius. & multi alij asserere uidentur: pro cuius dubij solutione, Gentilis exponendo Auic. cap. de uesicis, multa præsuponit, quæ consideranda (nihil enim ad praxim faciunt) lectori curioso condonantur.

Phlyctænæ.

Causa.

Materia tenuis, & aquosa, aliqualiter calida sensim inter primum, & secundum: uel inter secundum, & tertium. uel inter tertium, & quartum corticem corniformis tunicæ aggregatur, & tales efficit pustulas, seu eminentias: ad quas excitandas primò requiritur materia aquosa: secundò quod contineatur in membro interstitia hebente (nam in porositatibus contenta resudare solet, unde locus tumefieri, & attolli non potest) tertiò requiritur quòd membri superficies sit densa, alioquin aquositatem non contineret: & quòd talis materia moderatè sit calida, nam sine calore nullam haberet in membro penetrationem. & quia cutis, & cornea tunica, & densitate, & interstitijs prædictæ, ideo in utraque à simili materia, vt plurimum, pustulæ fiũt: nequaquam autem in adnata, quæ ex sui natura rara est, & porosa: nisi fortasse crassior, & uiscidior materia, & minimè euaporabilis cõcurreret.

Signa,

Signa.

Ad morbi cognitionem notis nihil opus est, etenim aperto oculo tumor, seu eleuatio bullæ similis in cornea tunica cuiuis inspicienti fit manifestus.

Prognostica.

Pustulæ profundiores maiorem inducunt dolorem, & sunt periculosæ.

Quibus in pustulis fit tunicarum eruptio, si fuerit superficiaria, facilè curabitur: difficile autem si fuerit profunda.

Eruptio in pustulis Iuxta pupillam minatur periculum ne uuea procidat, & humores effluant: pariter ne postea vlceri cicatrix induta visum impediat.

Cura.

Aeger in cibo, & potu parcè se gerat: qui cibus sit mollis, & facilis concoctionis: à vino per omnem curationem abstinere oportet, & aqua calida in potu vti: caueat vociferationes, multiloquia, sternutationes, iras, mœstitiam, timorē, spiritus detentiones, ignis, & aeris splendorem. deambulationes, & alij motus ab initio non conueniunt. balnea uero, & reliqua uaporatoria fomenta post principium. ad alui euacuationem acri clystere utendum est, quo humorum defluxus deorsum vertatur. Item iure galli, aut cartami cremore, aut aloe, aut alio quopiam simplici medicamento aluum soluente. Cęterum, inter initia, si totius corporis plenitudo adfuerit, & ætas, cæteraque requisita permiserint venam mediam primò, deinde humeralem secabis, sufficientemque per interualla extrahes sanguinis quantitatem. Quòd si alicuius solummodo humoris mordacitas, & acrimonia pustulas conflauerit, præmisa ipsius humoris præparatione; & concoctione, euacuabitur Diacatholicone cum hyera simplici: vel manna cum Rhabar. uel casia, & Diaphœnicone: & similibus: cauendo semper medicamenta, quæ vehementius purgant, & maximè quæ stomacho aduersantur.

In principio, vbi inflammatio affuerit, adhibeantur albumina, & vitelli ouorum cum croco, ac modico opio, passo, ac pane. conueniunt astringentia, vt Recipe licij, croci, vtriusque ʒ. s. acaciæ ℈. i. aquæ rosaceæ ℥. i. commista omnia

guttatim

guttatim in oculum instillantur. conueniunt pariter mala cotonea, aut malicorium in aqua coctum. caue tamen ne oculum in ijs diutius detineas, nam perniciosissimum esset. Cataplasmata leuia quidem, sed lata, & super totum oculum imponenda, supercilio, ac mala, & tempore simul comprehenso, & sinenda quandiu fuerint madida. postquam verò siccata fuerint, tollenda, & alia imponenda. mitigata inflammatione, etiam ab emplastris abstinendum, propter eorum grauitatem. collyria quoque in principio conueniunt: & præsertim collyrium Nili ex rosis: de quo supra dictum est.

Ex Aetio.

Cap. de ophthalmia.

Fluente adhuc materia, quamuis repercussiua conueniant, non tamen simpliciter, sed cum exiccantibus, & resoluentibus applicantur: itaque ad hanc rem optimè facit collyrium ab Auic. descriptum, Recipit terræ samiæ torrefactæ, vel terræ sigillatæ ℥.iij. pompholygis ℥.i. clymiæ ablutæ, antimonij abluti singulorum ℥.ij. scoriæ æris ablutæ, ℥.iij. opij ℥.ij. gummi ℥. iiij terantur cum aqua pluuiali, fiatque collyrium, & adhibeatur cum decocto fœnugræci.

In processu curæ oportunum est id, quod ex thure, myrrha, ac croco paratur.

Quòd si pustula incrementum ita susceperit, ut nullis discutiatur medicamentis, acu argentea perforabitur, vt humor tumorem efficiens effluat: in quo munere præstando maxima requiritur Medici perspicacitas, nam in pustula superficiali de sanitate restituenda securus, Audacter operabitur: secus in pustula profunda se geret.

περὶ ὑπόπυου.

De pure sub cornea. Cap. XXVII.

AD corneæ tunicæ affectus reducitur vitium ὑπόπυον græcis dictum: barbari saniem intra corneam, nonnulli à similitudine, quam habet semicirculi, lunellam, aliquando vnguem appellant: Auic. saniem sub siphac vocauit: & quamuis siphac propriè panniculum ventris inferioris denotet,

Hypopyon.

notet, attamen hoc in loco largè sumptum ponitur pro panniculo oculi, cornea dicto.

Est autem hypopyon collectio puris inter corniformis tunicæ cortices, nunc altius, nunc in superficie consistens.

Causa.

Fit interdum à contusione, vel ab vlcere, vel ab humoris congerie paulatim facta, vel ab Inflãmatione vasa disrumpente, à quibus sanguis effusus suppuratur.

Signa.

Hypopyon omnibus inspicientibus se ostendit, & tunc magis quando pus est sub cornea, quæ diaphana existens colorem subiecti puris facilè trasmittit: Insuper pus sub cornea visum intercipere solet, nequaquam autem sub coniunctiua detentum: adest dolor pulsatiuus, & oculi rubor.

Cura.

In principio expedit lenire aluum, & per phlebotomiã euacuare, dummodo ætas, & cætera ad sanguinis missionem requisita, consentiant: si minus cucurbitulæ occipitio, aut hirudines temporibus affigantur: & sufficienti facta euacuatione, per venæ sectionem, per clysteria, & per medicinas uentrem soluentes, localibus ad inflamationem sistẽdam idoneis utendum, qua mitigata, aut abolita, si quid materiæ relictum fuerit, discutiatur aqua mulsa, decocto fœnugræci, & collyrio, ex eo, vt est hoc Pauli, cadmiæ, tragacanthæ singulorum ℥.ij. cerusæ, amyli ana ℥. vij. opij ʒ.ij. læuigantur omnia succo fœnugræci. Item collyrio à thure, Diaolibanu nuncupatur, Recipit thuris, cerusæ ana ℥. i. s. cadmiæ, pompholygis, terræ samiæ, quæ aster dicitur, amyli, gummi singulorum ʒ.vj. opij ʒ.ij. squamæ æris ℥.i. tragacanthæ ʒ.v. conficiantur aqua cælesti. Aliud, Recipe croci, aloes, myrrhæ ana ʒ.i. vini ʒ.iij. mellis ʒ.vj. dissoluatur crocum in vino, inde cum aloe, & myrrha misceatur, &, superaddito melle, in vase vitreo seruabitur, quo bis, vel ter in die oculus oblini poterit.

Ad curationem huius mali mediocriter discutientia conueniunt: quæ autem vehementiora sunt exiccant, & statim id, quod tenuius, vacuant: reliquum vero crassius redditum,

tum, ita cogunt, vt ægrè resolui posſit.

Galenus tres hunc morbum curandi modos proponit: primò per capitis concusſionem, sic enim pus vt potè graue existens deorsum ad partem oculi ignobiliorem fertur. secundò per incisionem, seu perforationem, paulò supra iridem. tertiò per medicamenta quæ paulatim discutere valeant.

14. Meth. cap. 19.

περὶ ὀφθαλμῶν ἑλκῶν.

De vlceribus oculorum. Cap. XXVIII.

PVstulæ in oculis niſi medicamentis exiccantibus, & resoluentibus euanescant, ad ſuppurationem deueniunt, in vlcera migrant, degenerantque. eſt autem vlcus ſolutio continui cum ſanie: & in hoc differt à uulnere: nam vulnus eſt ſolutio continui ſine ſanie.

Septem vlcerum ſpecies in oculis ab Autoribus obſeruantur: Prima, eſt vlcus ſimile fumo, uel pulueri in colore, & eſt tenue, & ſuper nigrum oculi dilatatur, & expanditur: hanc vlceris ſpeciem caliginem vocamus: Auic. vero chateman. Secunda eſt profundior quàm prima, & magis ad albedinem vergens, & minus lata; hanc, quia nubi aſsimiliatur nebulam vocamus: Auic. vero chatemen. Tertia occupat circumferentiam ipſius corniformis tunicæ, & vlterius quandoque ſuper coniunctiuam extenditur, tuncque binos præſefert colores, nam ſuper coniunctiuam apparet coloris rubei, ſuper corneam vero coloris albi: Auic. coronalem, græci vero ἄργεμον ideſt alborē in oculo appellant. Quarta verſus centrum corneæ magis ſe oſtendit ferè è directo pupillæ, & licet videatur ſuperficialis, eſt tamen profundior quam prima, & ſecunda, aſsimilatur flocco lanæ carminatæ, quapropter ab Auic. lanoſa dicitur, à nonnullis ramoſa, ab alijs furcula, quia partes ex ſe hinc inde inſtar arboris ramorum, & inſtar furculæ promit.

Tres aliæ ſunt profundiores: quarum vna ideſt: Quinta eſt

vlcus purum, profundum, strictum, βοθριον græci, fossulam latini, Auic. aulunum vocat. Alia vero, idest sexta est vlcus minus profundum, sed latius in cornea expanditur, κοίλωμα. Paulus, Arabes luluma dicunt, latine cauitatem appellare possumus. septima denique est ulcus sordidum, impurum, & crustosum, quo repurgato, humores oculi sæpe effluunt, ἐπίκαυμα græci, alficume Arabes, nostri adustiuum, seu inustionem vocare possent.

Causa.

Vlcera fiunt in oculis, quandoque à causa externa, vt casu, percussione, contusione, impingere oculos alicui obiecto duro; quandoque, imo ferè semper à causa interna, veluti ab acrium humorum fluxu, & errosione. Item (vt dictum est) pustulis, & ophthalmiæ chimosi succedere solent.

Signa.

Cognoscitur vlcus oculi à doloris vehementia, à mordicatione à lachrymarũ tenuiũ multitudine. Item vlcus in coniunctiua est coloris rubei cum propter multas venas ibi inexistẽtes: tum quia ob dolorem fit sanguinis, & spirituum ad locum attractio. Vlcus autem in cornea est coloris albi, & hoc fortasse ob saniem collectam, aut ob aerem tunicas disruptas subingredientem: eas enim albas apparere facit, sicuti etiam cornu in frusta sectum album reddit, aut quia ex vlcere ipsa cornea proprium amittit diaphanum, & acquirit colorem diaphano magis propinquum, qui est albedo: hoc ostendit aqua diaphana, quæ per congelationem efficitur alba, & visum terminat, est enim color extremitas corporis perspicui terminati per opacum. adde aliud signum, qui vlceribus præsertim calidis oculos habet affectos lumen tolerare non potest, quia scilicet lumen calefacit sanguinem, humoresque ad locum deducit, vnde maior fit inflammatio, & dolor.

Prognostica.

Vlcus in cornea tunica, & præsertim è regione pupillæ perniciosissimum est: si quidem pupillæ procidentiam, & cæcitatem causare solet, vel cicatricem albam ibi relinquere, per quam visio intercipitur.

Vlcus cancerosum miro dolore ægrum cruciat, visum destruit,

ſtruit, & ferè nunquam curationem recipit.

Vlcus ad interiora deterius eſt, quam ad exteriora.

Cura.

Ad hanc curandam paſsionem (inquit Raſis) neceſſarius eſt Medicus valde inſtructus in curis oculorum.

9. ad almã.

In primis aer, cibus, & potus ſit qualis in cura ophthalmiæ deſcriptus eſt: eligatur tamen actu, & potentia frigidor. caueat à carne, vino dulci, ſit contentus herbis frigidis, & in potu ſola aqua vtatur. ſomnus ſit longior, & ſupinus, vel ſuper latus ſanum. quòd ſi vigiliæ infeſtarent cum ſomniferis interius exhibitis, vel exterius applicitis abigi debent. eodem modo contra dolorem (ſi aderit) certandum, hoc eſt cum anodynis, fouendo oculum lacte oleo roſ. vitello oui tepidis ſimul agitatis: vel cum opiatis, & ſtupefacientibus. quies, & animi, & corporis maximè confert. corpore poſtea pleno exiſtente (eductis prius clyſtere, vel medicamento lenitiuo ab inteſtinis fæcibus) à uenæ humeralis eiuſdem lateris ſectione curam auſpicabimur. at ſi ob humorum acrimoniam vlcus conflatum fuerit, poſt debitam ipſorum concoctionem, purgante medicamento ſunt extrahendi: atque eorum fluxus ad inferiora auertendus, ideò membrorum exteriorum frictiones expetuntur, item ligaturæ doloroſæ, & balnea. exterius leniſsima medicamenta (membri enim affecti ſic expoſcit natura.) adhibeantur. ſi itaque inflammatio circa oculum adhuc extiterit, aut quiſpiam dolor, conuenit collyrium album muliebri lacte diſſolutum: oculus etiam oui albumine, & partes circa oculum ſunt obducendæ, vel linimento, quod ex ouo, roſaceo, & vino tepefacto conficitur, & xylino vel ſtupa excipitur. oculus deinde abluendus, & ſanies detergenda decocto fœnugræci, aut mucillagine ſeminis lini, aut aqua mellis roſ. aut aqua ſacch. aut lacte, aut collyrio de plumbo cum lacte diſſoluto, & eſt cæteris præſtantius, Recipit plumbi vſti, antimonij, pompholygis ablutæ, æris vſti, gummi arabici, tragacanthæ ſingulorum ℥.i. opij ʒ. s. terantur tenuiſsimè, & aqua pluuiali conſpergantur. poſt vlceris mundificationem adhibe collyrium carnem generãs, & vueæ egreſſum prohibẽs, quod,

Recipit cadmiæ ablutæ. pompholygis ablutę, cerusæ, antimonij. thuris omnium ana ʒ. ij. myrrhæ ʒ. i. sarcocollæ crassæ ʒ. i. s. sang. draconis, aloes, opij ana ʒ. i. mis. & fiat collyrium. At si imminet periculũ ne ob vlceris profunditatẽ vuea egrediatur conuenit collyrium Elisir Rasis, accipit antimonij, lapidis hæmatitæ ana ʒ. x. acaciæ ʒ. iij. aloes ʒ. i. terantur, & fiat collyrium.

In vlcere cum fluxione adhibeatur collyrium, quod repellendi sine rosione facultatem obtineat, quale est apud Paulum diahydrias, & chiacum, & Cygnus rubeus.

Vlcus à casu, vel percussione causatum primo phlebotomia, vel cucurbitulis: deinde repercussiuis adhibitis, albumine scilicet oui cum aqua ros. agitato, & super frontem, & oculum apposito curatur: vel, Recipe succi mali punici ℥. ij. aquæ ros. lib. s. boli armeni ℥. i. acaciæ ʒ. ij. conterenda conterantur, & simul ferueant: in quo decocto vittæ lineæ madefiant, & oculo applicẽtur, donec de vlcere non amplius dilatando certus fias: hinc, ne sanies in oculo aceruetur (quæ semper mala, & suspecta) ad exiccantia, in quibus nulla sit mordacitas, deuenies.

Vlceris cancerosi cura difficilis, & vt plurimum impossibilis, cancer enim partem post partem absumit, & tande cerebro potitus, hominem interficit.

Hæc affectio cognoscitur, quia ægri pungitiuos discursus vsque ad tempora persentiunt: & consequitur in ipsis fluxio humoris moderatè acris, ac tenuis, & album in oculo, itemque nigrũ semper rubicundum est, propter uasa, quæ ibi sunt varicosa. cibum auersantur. dolores ipsis vehementer augentur, illitis acrioribus medicamentis. senes præsertim hoc malo infestantur ex diuturnis lippitudinibus. Itemque fœminę, quibus menses defecerunt. ab huiusmodi cura abstineas, vel cum prædictione, quòd fieri non possit, vt perfectè sanetur, sed fieri posse ut mitigetur, ipsam aggredere, & Regulas ab Aetio pro tali curatione traditas obseruato.

περὶ

περὶ λευκωμάτων.

De Albuginibus. Cap. XXIX.

Cicatrix derelicta in oculo ex vlceris consolidatione albugo, Nebula, pannus, seu Albula vocari solet: omnes enim cicatrices in nigro oculi albæ apparent, densata corniformi tunica, subiectus illi cæruleus color non translucet. huius duplicem speciem Paulus constituit: quædam enim in summa oculi superficie consistit: & hæc græcis νεφέλιον, καὶ οὐλή, latinis autem nubecula, cicatrix, & albugo tenuis dicitur. quædam vero radices altius agit, hanc λεύκωμα græci, albuginem crassam latini vocant: quæ si supereminet, maximè alba apparet: si uero plana, & æqualis fuerit, minorem præsefert albedinem: at caua, & crassa concolor erit ipsi nigro. consideratur vt morbus in via, quando pupillæ opponitur, & visum intercipit. consideratur vt morbus in superficie, & situ, quando est vel profunda, vel eleuata. consideratur vt morbus in colore, quando obiecta flaua, vel rubea, vel alterius coloris per ipsam apparent.

Leucoma.

Causa.

Albuginis causæ primitiuæ sunt aer calidus, & humidus caput replens, ventus austrinus; aer frigidus constringens, & humores ad oculos exprimens. Casus, percussio: collyria opiata, & nimis frigida. cibus crassus, item vaporosus, vt sunt lactucæ, cepæ, allia, & huiusmodi. potus superfluus. exercitium immediatè post repletionē. Immoderatus ueneris usus. mala animi accidentia, vt ira, tristia, intensæ cogitationes, assidua lectio; & oculorum defatigatio:

Causæ verò antecedentes sunt mala temperies cerebri frigida, & humida: quam virtus debilitata superfluitates resoluere impotens ad oculos trasmittere cogitur, & præsertim eorum dispositione ad recipiendum concurrente.

Causa coniuncta est cicatrix inducta in loco vlceris prius inexistentis, vel pituita inter corniformis tunicæ cortices infarcta.

Signa.

Albugo omnibus inspicientibus est in propatulo: verumtamen quæ post vlceris feruminationem est causata cognoscitur, quia quandoque caua apparet: item quia vlcus præcessit: & à medicamentis adhibitis raro, & ferè nunquam deleri potest. quæ vero à pituita cognoscitur à colore magis albo, quàm si fuerit à pituita commista alteri humori, nam tunc vergit ad colorem humoris admisti: & utraque à medicamentis minori temporis interuallo, minorique negotio discuti solet.

Prognostica.

Albugo facilius in pueris, quam in adultis: & facilius in adultis, quam in senioribus curatur.

Albugo callosa, crassa, & diuturna (dicebat Aetius) non curatur: si vero etiam suffusio, aut glaucedo affuerit, vanum est ipsam extergere.

Cura.

Qui albuginem curabilem expungere, & abolere cupit, victus rationem ægro congruam prius instituat: vnde moderata materia, & boni humores per vniuersum corpus diffundantur: Itaque ab omnibus acribus abstinere oportet, salsisque ac crassis cibis, & à vini copia: & bonæ conctionis maximam curam gerere: & moderate bonis edulijs vti. à balneo toto curationis tempore abstinendum. postea conueniunt euacuationes vniuersales per phlebotomiam venæ cephalicæ, dummodo ætas, & virtus consentiat, & humor peccans sit cum sanguine educibilis: Item euacuationes per pharmaciam, præmissa semper debita humoris præparatione, ad hanc intentionem faciunt syrupi, & medicinæ, supra in cura doloris capitis à pituita descriptæ: pariter diuersiones per cucurbitulas, gargarismata, caputpurgia, & masticatoria. his peractis oculus affectus vaporem à decocto meliloti, vel chelidoniæ, vel paleæ hordei, aut auenæ eleuatum mane, & vesperi ante cibum sæpius ad faciei ruborem excipiat: & lingua, pueri, vel puellæ, quæ prius fœniculum, aut rutam masticauerit, lambatur: exterius vitanda sunt medicamenta quæ cicatricem excoriant; nam ex illorum acrimonia defluxus cõcitatur,

Aetius.

citatur, & inflammationes, atque interdum dissolutis cicatricibus profunda redduntur vlcera. proinde in principio vtendum ijs, quæ leniter attenuant, & abstergunt: quale est saccharum album cum aqua, & melle sublimato. aut ex Auic. centaureæ minoris, & papaueris rubei succus pauco melli admistus. aut sarcocolla cum spuma maris puluerizata. aut urina pueri non polluti in vase æneo ad calorem clibani coagulata. aut, Recipe (& est fortius) stercoris hirundinum in puluerem redacti ℥.i. mellis, aquę euphragię ana q. s. misce, & fiat collyrium. nonnulli (& est illis secretum) accipiunt flores rosmarini, & cōdunt in phiala vitrea stricti orificij optimè clausa, quam sub terra per quadraginta dies æstiuos reponunt: & aquam, quæ à floribus emanauit, ad vsum seruant, nam mira in albugine præstare dicunt. Albugines citò sanat nitrum cum oleo veteri diligenter tritum, & illitum. aut (inquit Gal.) lacertę stercus illine, & tolles. aut nycticoracis ouum illine, & tingies ipsas. aut, Recipe ossis sepiæ, sarcocollæ, aristolochiæ rotundæ, myrrhæ, spumæ nitri, sacchari singulorum ʒ. ij. conterantur, & fiat puluis, qui super albuginē, oculo clauso, detineatur: postea oculus aqua rosacea abluatur. lapis in renibus, vel in vesica inuentus, & combustus: item crystallus combustus cum melle sublimato adhibitus confert.

Scribit Rasis, quòd medicamen valdè vtile ad albuginem remouendam, & visum clarificandum est hoc, Recipe masacumiæ (est composito quædam ex plumbo, scilice, & vitro: qua figuli vasa terrea oblinunt, incrustantque) spumæ maris, stercoris magni lecerit (rammaro vulgo dicitur) nitri, sacchari albi omnium ana partes æquales, fiat puluis: postea recipe acori, seu calami aromatici, chelidoniæ, fœniculi omnium ana ℥. i. coquantur in lib. i. aquæ ad dimidij consumptionem, colentur: & in tali decocto puluis mergatur, inde in umbra exiccetur, iterum conteratur, & mergatur vt prius, & siccetur. quod postquam quater factum fuerit siccetur, & tenuissimè conteratur, & super albuginem obducatur. scire tamen debes nullum puluerem diu in oculo detinendum, nam ferè semper in tali membro est dolorificus. præterea in me-

9. ad almans.

 dicinis

dicinis fortibus adhibendis caue ne tãgant aliam partem præ ter eam, vbi est albugo. quòd si dolor, & Inflammatio ex huiusmodi medicaminum appositione superuenerit, lacte, & oui albumine succurres, & oculum quiescere facies, quousque talia cessauerint symptomata.

Albugo, quæ dictis remedijs deleri, neque, per chirurgiam auferi potest: ne inspicientibus turpis appareat, tingatur ita, vt in colore sit cæteris corniformis tunicæ partibus similis. Infrascripta tinctura nigredinem conciliat (talis est enim, vt plurimum corneæ tunicæ color) Recipe balaustiorum, acaciæ, chalcãthi, gummi arabici ana ʒ.i. stibij, gallarum ana ʒ.iij. coquantur in aqua: & decoctum pro tinctura seruetur. Aliud acaciæ fructum, & parum gallarum tere, & anemones succo excipe, vt mellis crassitudo fiat: deinde liquorem per linteum diligenter exprime, ac repone, & vtitor. lac asinæ coctum albuginem tingere dicunt. sed Aetius consulit vt à pharmacis cicatrices, albuginesque tingentibus abstineas: quorum mentio solum facta est, ne ignorentur ea, quæ hoc præstare possunt (si cui eorum usus placuerit).

Sequuntur vueæ tunicæ læsiones.

περὶ προπτώσεως.

De vuiformis tunicæ procidentia. Cap. XXX.

Proptosis.

EXitus vueæ, seu eius supra omnes oculi exteriores partes eminentia, & eruptio πρόπτωσις græcè, à latinis oculi procidentia dicitur: Auic. Interpres corneæ rupturam appellauit. est autem morbus in situ, & figura: nam vuea propriam egreditur sedem, & malam ipsi oculo conciliat figuram.

Causa.

Fit autem vueę tunicæ procidentia, quotiescunque membrana cornea vulneratur, scinditur, vel corroditur, propriamque amittit continuitatem, ita vt rhagoidem intra se non amplius

plius continere posſit: & quemadmodum variam patitur con tinui ſolutionem, pariter varias efficit procidentiæ differentias. nam ſi ruptura eſt parua, ęque vuea parum emergit: cauſaturque illa procidẽtia, quæ à Paulo μυοκέφαλος, eò quòd figura muſcæ capiti ſimilis exiſtat, vocatur ab Auic. formicalis. cum verò ulterius, & eousquę creuit, vt acinum vuæ repræſentet ςαφύλωμα à græcis, à latinis vuatio, ab Auic. vuea dicitur. at vbi plurimum aucta eſt, vt palbebras tranſiliat, μῆλον gręcè, malum latinè, ab Auic. veſicabis uocatur. ſin autem adhuc ruptura fuerit maior, & procidentia per eam facta obduruerit: ſimulque corniformis circũ circa occaluerit, & talẽ affectionẽ aſtrixerit ἧλος à Paulo, à noſtris clauus ab Auic. Claualis nũcupatur: qm̃ põia claui capiti ſimilis exiſtit.

Myocephalos. Staphyloma. Melon. Ilos.

Interim tamen notandum eſt, quòd ſi contingat corneam perforari è directo pipillæ imminet periculum cæcitatis potius, quàm procidentiæ, nam aliquid humoris aquoſi foras effunditur. vnde Galenus inquit incredibile quiddam, nec fieri uulgò ſolitum in puero uidimus: qui ſtilo in pupillæ loco fuerat compunctus: nam cum ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota cornea apparuit rugoſior. cæterum ſanatus, poſtea recte uidit, collecto ſcilicet eo, qui effluxerat humore, uerum hæc rara ſunt: cæcitates autem eiuſmodi uulneribus plerumque ſuccedent.

de ſymp. cauſ. primo cap. 2.

Tumores, qui aliquando fiunt ab humoribus ſub aliquam ipſius corneæ ſtriam collectis, à quibus corniformẽ tunicam eleuari, & incuruari contingit. Item qui ex puſtula quadam inter ſtrias corniformis tunicæ ſatis profundè conſiſtente, quæ tunicam eleuauit, non tamen rupit: nequaquam uueæ procidentia, niſi abuſiuè appellari debent: cum procidentia nihil aliud ſit niſi Rhagoidis per ſciſſurã corneæ eruptio.

Signa.

Quæ facilè cognoſcitur, nam quod prolapſum eſt, cæruleum, aut nigrum apparet: cum tumores abſque ruptura, ſed per ſolam corneæ eleuationem, albidiores ſint.

Prognoſtica.

Hæc affectio, inquit Aetius, quomodocunque fiat, duobus malis ſubiacet, uiſus uidelicet detrimento, & figuræ deformitati.

formitati. & sic affectum oculum ad naturalem statum reducere, impossibile est arti. figuræ uero deformitati consilium contingere potest, maximè per chirurgiam.

Procidentia ἧλος seu clauualis nullam recipit curationem. procidentia μυοκέφαλος seu formicalis rectè adhibitis remedijs sanari potest: duę alię procidentię rarò ad sanitatem reducuntur.

Quando albificatur uuea, quæ procidit, non est ei sanitas speranda (inquit Auic.) etenim color uueæ niger, uel cæruleus naturaliter existens, si dealbari contingit, signum est multam in ea alterationem factam, unde non amplius pars oculo congrua esse potest.

Hinc itaque quæri solet cur huiusmodi tunica aeri exposita albescat, quia (ut exponit Gentilis) per alterationem ad contrarium mouetur, sed contrarium nigri est album. uel quia aer resoluit humidum ab eius superficie, & sub ingrediens illustrat eam, & albam apparere facit.

Cura.

Exitus uueæ cum dupliciter se habeat: nam uel est incipiens, & in fieri, uel est in progressu, & in facto esse: aggredere curam procidentię incipientis: quę uero iam facta est solis reliquatur prognosticis.

Victus ratio talis præscribi debet, qualem in cæteris oculorum affectibus conuenire ex superius relatis unusquisque colligere potuit. summatim cibi sint boni succi, ad frigidum & humidum uergentes: uescatur lactuca, oxalide, portulaco. cucurbita, & similibus oppositis caliditi, & acredini humorum errodentium, & ad oculos fluentium. abstineat à carne, & uino, præsertim dulci. potus sit aqua hordei, uel succus mali punici cum aqua decoctus. In aere frigido degat, & tenebroso, faciemque supinam teneat. clamorem, vomitum, spiritus detentionem, tussim, venerem, Iram, mœstitiam, & quoscunque animi affectus lachrymas promouentes vitare, oculos autem neque legendo, neque scribendo exercere debet.

Phlebotomia, ob maiorem diuersionem (si ætas, vires, & cætera consentiant) primò ex saphenis, deinde ex cephali-

ca fiat. Iuuant cucurbitulæ super crura scarificatæ. Item hirudines quandoque post aures appositæ.

Venter soluatur clysterijs, glandibus, decocto myrobalanorum, casſia fistulari, manna, tamarindis in sero caprino, vel vaccino dissolutis, diapruno, Elect. de succo rof. aut hyera picra simpl. vel composita. his, aut similibus purgato corpore medicamentis; non semel, sed, si oportunum fuerit, reiteratis vicibus, æger ad balneum aquæ dulcis tepidæ ducatur, in eoque totus (exerto capite, ne vapores à balneo eleuati caput, oculosque petere posſint) demersus per mediam horam maneat.

Quòd ad localia spectat, ex monitu Auic. vitabit olea supra caput delinita, etenim quæ sunt calida attrahunt, eliquāt, dissoluuntque materiam in capite existentē: quæ vero sunt frigida comprimunt, condensantque poros, per quos materia euaporare prohibita retrocedit, & ad partem debilitatam, ad oculos scilicet transmittitur.

Albumen oui per se solum, vel cum aqua plantaginis in principio sufficere dicunt, fluxū enim compescit, partes vnit, dolorem remouet, moderatè exiccat, & carnem generat. verum in corporibus durioribus, & procidentia à causis externis existente, albumen cum aqua rof. vel oleo rof. agitatum magis laudatur: quo totus oculus clausus, ne cornea vulnerata tangatur, extrinsecè obduci, & desuper vittæ aqua repercusſiua, & astringenti staturatæ alligari solent, ita vt tota frons, & pars malarum superior comprehendatur. talem aquam sic parabis, Recipe succi mali punici ℥. ij. aquæ rof. lib. i. boli armeni pulperizati ℥. i. bulliant simul, & colentur, & aquam ad usum seruabis quousque de vulnere nō amplius dilatando securus fias.

Scribit Gentilis quòd Medicus quidam ocularius accipiebat duodecim, vel plures membranulas ouorum Gallinæ a Gallo compressæ putaminibus adhærentes, quas ad formam unguenti contundebat, & optimo successu super oculum imponebat.

In curæ processu laudatur collyrium de plumbo Mesue, Recipe plumbi vsti, stibij, pompolygis ablutæ, æris vsti, & loti,

loti, gummi arabici, tragacanthæ ana ʒ. viij. opij ʒ. s. fiat collyrium cum aqua pluuiali. Item hoc, quod sequitur prohibens egressum vueæ, & cicatricem attenuans, Recipe clymiæ, pompholygis tritarum, & multoties ablutarum cum aqua pluuiali, cerussæ, stibij, olibani ana ʒ. ij. myrrhæ ʒ. i. sarcocollæ, sanguinis draconis, aloes, opij ana ʒ. i. fiat collyrium.

Principatum obtinet ad procidentias collyrium olympiacum cum succo oliuæ, vel polygoni, vel polij: confert euaporatio ex aqua, aceto, & vino adstringente, in quibus oliuæ folia, rosæ, & virga pastoris decocta fuerit: huiusmodi decoctum guttatim proijciat super lapidem pyritem (marchesitam vulgò dicunt) vel super lapidem molarem ignitum, & vaporem inde eleuatum oculis excipiat. Iuuant pariter omnia alia medicamenta, quæ uim repellendi, & constrigendi posſident: vnde spongiam posca aut vino abstringente, aut rosarum decocto imbutam, aut splenium superdare commodum est.

De collyrio olympiaco uide Paulum lib. vij.

Vuea, quæ multum procidit, cum sanationem nullam admittat, ita vt uisio conseruetur, uel amissa recuperetur: cumque aspectu deformis appareat: Medici munus est saltem oculorum decori consulere, ipsam in propriam sedem, si fieri potest, intra corneam scilice impellendo, uel chirurgia remouendo: constituatur æger supinus: & super oculum lamina plumbea ponatur, ut eius grauitate uuea compressa retrocedat, deinde puluinulis, fascijsque astrictis detineatur quo ad cornea facta collosa nullum amplius extra se præbeat exitum. quòd si hoc pacto cura minimè succedit: duas acus accipere oportet, filum duplex intortum habentes æquali prorsus longitudine, deinde (ut iubet Aetius) hominem ad pedes collocabis, capite ipsius reflexo, ita ut occiput ipsius genibus tuis innitatur. & deinde, disparatis palpebris, per medium staphylomatis fundum, ex supernis deorsum acum transmittito: sit autem non ualdè crassa, neque oblonga: interim dum detinetur oculus ab acu transmissa, alteram acum duplex filium habentem pariter trasmittito à paruo angulo ad magnum, per medium itidem staphylomatis fundum, quò

figura duarum acuum transmissarum literæ grecæ .X. similis fiat, nam cum paulò obliquior facta fuerit transmissio, facilius acus extrahuntur. postea incisis duplicatorum filorum principijs, superna duo principia superno acus principio subijciens inferna uero inferno, strenuè constringes. similiter autẽ, & obliquæ acus principia constringes, optima cõstrictio fit, rectis principijs ad obliqua ductis, & hoc modo colligatis: deinde apicẽ staphylomatis resecamus solo fundo ipsius relicto gratia filorũ, ut, ne elapsis ipsis humores oculi effundantur, & oculus cauior fiat. post resectionem uerò apicis staphylomatis, acus extrahere oportet, filis, uelut dictum est, constrictis; & tunc lac infundere, aut oui candidum. supernè autem oculo imponatur ouum cum rosaceo, ac modico uino concussum, & molli lana, uel xylino exceptum. facta deligatione, æger in quiete seruetur. postera die fomentum fiat per spongias probè expressas, & lacte infuso, lana ouo imbuta imponatur, & deligetur. atque hoc faciendum est per plures dies, donec fila excidant. quibus elapsis, illinantur medicamenta cicatricem inducentia. Scribit Gentilis se præceptorem habuisse: qui absque ligatura vueam scindebat, & quantitate humoris, quam sufficere Iudicabat, euacuata, quandoque albumen oui cum puluere mastiches, & aloes; quandoque magis stiptica superimponens oculi tumorem ad formam satis decentem reducebat.

Sequuntur Pupillæ morbi.

περὶ μυδριάσεως.

De pupilla dilatatione. Cap. XXXI.

Mydriasis. De sensu & sensili cap. 7. Vide etiam 3. collig. cap. 38 De usu part. x cap. 12. & de placitis Hip. & pla. 7. cap. v

Pupilla est foramen in medio vuiformis, seu rhagoidis tunicæ, & est via quædam, per quã fit visio vel intus suscipiẽdo vt voluit Aristoteles, & eius assecla Auerroes, vel extra mittendo vt placuit Galeno, & Platoni.

Dilatatio pupillæ μυδρίασις græcè dicitur, ab Auicenna alintisar,

alintiſar, ab Auerroe largitas foraminis vueæ vocatur. eſt autem Alintiſar quando foramen vueæ fit latius, quàm eius ſecundum naturam ſit conuenientia: huic opponitur vueæ, ſeu eius foraminis conſtrictio: & vterque eſt morbus in via, ut potè quia meatus, & via per quam ſpecies deferuntur ad ſenſus interiores, vel nimis dilatatur, vel nimis conſtringitur: vel aliquando ab ipſa obſtructione penitus intercipitur.

Paulus. In hoc affectu pupilla colore nihil euariat, ſed eſt ſolummodo latior, quàm naturalis ſtatus requirit, vt interdum ad Iridis circulum accedat.

Duplex eſt Mydriaſis, ſeu pupillę dilatatio, quedam à natiuitate, quedam in progreſſu temporis accidentaliter cauſata: & vtraque magna, vel parua eſſe poteſt.

Cauſa.

Mydriaſis cauſa extrinſeca eſt caſus, percuſsio ſupra caput, & ſuper oculum, ita vt pupillæ continuitas ſoluatur: magnum in mole aliqua ferenda conamen: in muliere enixus: in pueris eiulatus: tubarum inflatio, & reſpirationis retentio. cauſa intrinſeca duplex eſt, inanitio ſcilicet, & nimia repletio. at inanitio in vuea, & exiccatio fit vel in partibus ſimilaribus, & talis ſiccitas non currugat vueam, ſed eius partes à loco perforato ad circūferentiā diſtrahit, ſicque pupillam dilatat, vt in corijs, & chartis perforatis videre licet: quorum foramina per exiccationem dilatantur: vel exiccatio fit vt in membro organico abſumens humidum ſubſtantificum: & hæc ſiccitas eſt maior quàm prima, & minimè dilatat, ſed conſtringit.

Nimia repletio humida pupillam quoque dilatat, præſertim quando infarcta eſt in parte vueæ ſecundinæ contermina, quòd ſi fuerit æqualiter in toto conſtringit, & magis etiam ſi fuerit in regione foraminis. Item nimia repletio apoſtema faciens dilatat, & conſtringit ſecundum quòd hanc uel illam partem oculi obſidet.

Signa.

Signa Mydriaſis à natiuitate contractæ fiunt manifeſta à relatu parentum, vel eorum, qui primi ægrum agnouere, & cum eo longam habuere conſuetudinem.

Signa

Signa Mydriasis à causa procatarctica declarantur à patiente quapropter in ijs assequendis nulla ipsi medico opus est indagine.

Signa Mydriasis accidentalis ob repletionem humidam sunt, quia subito conflata est, item humiditates fluunt per oculum, nares, & palatum, & totius ægri temperamentum est humidum.

Signa Mydriasis à siccitate sunt, quia non subitò, sed paulatim, & ferè insensibiliter creuit: humiditates neque ab oculo, neque à naribus, neque à palato emanant, sed siccitas æqualiter occupat ægrum.

Signa Mydriasis vniuersalia sunt, quòd visus interdũ aufertur, aliquando vident, verum obscurè, & omnia, quæ videntur minora putantur, quàm verè sint: & hoc propter duas accidit causas, quarum prima est, quia radij rerum visibilium quando perueniunt ad pupillam nimium dilatatam disperguntur hinc inde, & à perpendiculo elongati debilitantur: sicut ex opposito corroborantur quando per medium densius transeunt, vt per aquam, vitrum, vel chrystallum: tunc enim accedunt perpẽdiculariter, & vniuntur, quare res visibiles maiores apparere faciunt. secunda causa est, quia lumen spiritus visiui spargitur, & ferè dissoluitur.

Aetius.

Vtium dilatatio pupillæ faciat res uideri minores quã sint; disputat optimè Arcul. super nonum librum Rasis ad Alman.

Prognostica.

Mala quidem pupillæ paruitas, quæ preternaturam accidit: bona, quæ connaturalis est: amplitudo autem eius nec quæ naturæ lege habetur, bona est, nec quæ præternaturam est, cæterum minus mala, quàm angustia præternaturalis.

Gal. de symp. caus. 1. cap. 2.

Pupillæ dillatatio magis accidit pueris propter tunicarum debilitatem.

Qui naturaliter nigris oculis præditi sunt magnas etiam habent pupillas: quapropter in hanc affectionem facilè delabuntur.

Aetius.

Cum membranosa sit vuiformis tunica, vbi semel distenta fuerit induratur, neque facilè amplius contrahi potest.

Mydriasis, quę à siccitate difficilius, quàm quæ ab humiditate causata est, curam recipit.

Mydriasis naturalis, uel per longum tempus confirmata non

non remouetur.

Si pupilla tantum dilatata fuerit, ut coniunctiuæ confiniũ attingant, aut tantum constricta ut foramen penitus obstruatur, nullam spem sanitatis promittit.

Rasis 9. ad alman.

Si Mydriasis post uehemẽtem cephalęę dolorem acciderit, nulla fides eius curæ adhibenda.

Mydriasis recens à casu, percussione, & huiusmodi causis primitiuis (nisi uuea disrupta fuerit) facilè curabitur. nec obstat Auicenna dicens pupillæ dilatationem à percussione, uel casu nõ curari: nam intelligit de dilatatione magna cum Rhagoidis fractura.

Cura.

In Mydriasi à casu, & percussione, sit uictus ad frigidũ uergens, in passiuis autem ad siccum: abstineat à uino, & à carne, & à rebus euaporantibus. uenter sit lubricus. animum compositum habeat.

Post phlebotomiam, quæ statim in principio ex cephalica conuenit: post cucurbitularum, uel hirudinum, pro diuersione, appositionem, adhibe infrigidantia leniter, & repercutientia, quæ materiæ fluxum prohibeant, ut est albumen oui cum aqua rosacea: & emplastrum ab Auicenna propositum ex farina fabarum sine cortice, & farina hordei cum aqua foliorum salicis, aut endiuiæ, aut solani. hinc ad mediocriter resoluentia deuenies.

Vitellus oui cum oleo rosaceo, & pauco uino astringenti agitatus, & ex lana appositus laudatur. Item hoc Rasis emplastrum, Recipit farinę fabarum ℥.ij. chamæmeli, althæę ana ℥.i. uini pontici lymphati, quod satis sit bulliat chamæmelum, & althæa in uino, ijs postea contusis addatur farina, & emplastrum fiat. Lac recenter emunctum, Item sanguinis calidus turturum, & columborum imponitur: quibus minimè sufficientibus collyria magis resoluentia succedere poterunt, dummodo leuiora semper præmittantur.

Aetius. 7. cap. 52.

Mydriasis ab humiditate curatur primò diæta exiccatiua: aer, in quo degit, sit calidus, & siccus: pauco utatur cibo, & potu: abstineat à uino per totum curationis tempus. Auicenna Ius ciceris rubei cum oleo sisamino, uel amygdalarum dulcium,

dulcium, vel communi probauit, attenuat enim humores, & per vias vrinæ subducit. Cibaria crassa, vnctuosa, multi nutrimenti, & euaporantia fugiat. deambulationibus lentis, ac pluribus, in locis vmbrosis vtendum erit: post deambulationem facies aqua marina proluatur, hyeme tepida, æstate frigida: tota etiam facies, non autem caput, mergatur, oculis per aliquod temporis spatium apertis: at si marina non adfuerit, parum salis aquæ misceatur: aut poscam aquosam assumat. balnei vsus rarior sit. clysteri, vt aluus respondeat, per interualla vti poterit: itéque infernarum partiũ frictionibus.

Secundò, si redundantia sanguinis, vel alterius humoris cum sanguine educibilis in toto corpore adfuerit, curanda est affectio (si nihil prohibet) uenæ in cubito sectione, postea venarum, quæ apparent in angulis lachrymalibus: in ijs tamen phlebotomum profundari non debet, ne ibi fistula concitetur: deinde venarum temporum, sic enim intercipitur humiditatum cursus à cerebro ad oculum. si vero humores à sanguine diuersi peccauerint, prius syrupis peculiaribus digerantur, post modum, & minoratiuè, & eradicatiuè (prout erit expediens) euacuabuntur cum hyera simplici, diacatholicone, vel hyeralogodione, val pilulis cocchijs. quæ euacuatio per pharmaca solutiua frequentari non debet, ne virtus debilitetur, & fiat impotens ad medicamenti operationem regulandam, & humor euacuandus minimè educatur. Auicenna assignat spatium decem dierum inter euacuationẽ, & euacuationem sed hoc sit iudicium Medici curam agentis. Interea alteri oculo, ne eundem morbum incurrat, cum ablutionẽ ex aqua rosacea, & pompholyge tenuiter trita, & admista, consulatur. fiant diuersiones per hæmorrhoidum apertionem, aut mensium, aut sanguinis à naribus prouocationem, si eius retentio mydriasis causa fuerit. laudantur cucurbitulæ super spatulas, & super originem spinalis medullæ appositæ: Item cauteria in occipitio, quæ diu aperta exitum materiæ præbere solent.

Non præmittam decoctum ligni Guaiaci, salsæque parilliæ per triginta, aut quadraginta dies, optimè prius euacuato corpore, exhibitum: in hoc rationaliter summam totius

rei repono, exiccat enim, aſtringit, corroborat, & aſcenſum vaporum compeſcit. Super oculum læſum ponantur collyria reſoluentia, & mediocriter aſtringentia, vt, Recipe pompholygis, boli armeni, ſanguinis draconis, tragacanthæ, gummi arabici ana ℥.s. terantur omnia, & cum libra i. aquæ roſaceæ miſceantur, & in ampulla vitrea ſuſpendantur ſuper vas plenum aquæ bullientis per mediam horam: poſtea ijs ab igne remotis addantur ℥. ij. ſucci mali punici clarificati, & poſt duos dies colentur, qua colatura oculus guttatim abluatur, ſic enim pupilla dilatata ad naturalem menſuram reduci poterit. Aliud ab Auic. laudatum, Recipe fellis hædi, fellis gruis ana ʒ. ij. croci ʒ. i. piperis. g. 170. ſucci glycyrrhizæ ʒ. v. s. ammoniaci ʒ. ij. mellis q. s. fiat collyrium, & uſu exigente, cum aqua fœniculi teratur.

Mydriaſis à ſiccitate quamuis (ut dictum eſt) curam difficilè recipiat: attamen via tentanda eſt, ſi qua parte ægro opitulari poſsis, conuenit diæta humectatiua, aer, cibus, & potus, ſit actu, & potentia humectans: item quicquid interius, & exterius adhibetur. ſomnus ſit longior, gaudeat, quieſcat, à venere abſtineat. oculus aliquando, & partes circumpoſitæ leniter fricari debent, vt intumeſcant, & à calore excitato nutrimentum ad illas attrahatur.

περὶ φθίσεως.

De phthiſi ſeu tabe pupillæ. Cap. XXXII.

Phthiſis.

PHthiſis pupillæ à græcis: diminutio pupillæ à latinis: conſtrictio, & minoratio pupillæ ab Arabibus vocatur in oculo affectus morbo ſuperiori omninò contrarius: in eo enim pupilla magis, quàm par ſit, ſit latior: in hoc vero (vt inquit Paulus) fit anguſtior, obſcurior, rugoſiorque: & naturalis conformatio in via ſcilicet, & cauitate ipſius membri, per quam ſpiritus viſiui permeare ſolent corrumpitur. differt pupillæ tabes, ab oculi atrophia: nam in tabe pupilla duntaxat anguſtior redditur:

atrophia

atrophia vero totum oculi bulbum minorem, ac humiliorem efficit. duplex est pupillæ tabes alia naturalis, quæ à primo semine contrahitur: alia symptomatica, quæ morbosas dispositiões subsequi solet. & symptomatica pariter est duplex, nam vel penitus rhagoidis foramen occludit: vel diminutè, & imperfectè obstruit. Paulus 3.

Causa.

Galenus duas assignat causas diminutionis pupillæ: prima ex parte tunicæ rhagoidis: altera ex parte humoris tenuis albuginei dicti, qui medio loco inter rhagoidem, & chrystallinum humorem extensus consistit. causa ex rhagoidis vitio est, quia huiusmodi tunica relaxatur, & concidit, vt in extrinsecus positis articulis subinde cernitur, cum ligamenta redūdanti humore sunt perfusa. quapropter sicuti tensio ipsius tunicæ pupillam dilatat (hoc enim superiori capite determinatum est) ita, & relaxatio eandem constringit. de symp. cau. primo c. 2.

Causa vero ex parte humoris, in eius defectu cōsistit: cuius occasione rhagoides vacuato interno eius loco in se concidens, contrahitur, ac rugatur, atque idcirco pupillam imminuit. Auicenna ad causa magis speciales, & propinquas respiciens, eas quatuor esse scribit: prima est siccitas vueæ, seu rhagoidis corrugatiua, secunda est obstructio per aliquā materiam facta, vt etiam in suffusione videre licet, tertia est humiditas extendens vueam à lateribus ad medium, & constringitur pupilla, & accidit veluti cibris quando madefiunt, & extenduntur in partes: quare eorum foramina minora euadunt. quarta est vehemens albuginei humoris exiccatio, vel eiusdem effusio per quam vuea detumescens super crystallinum decumbit, & corrugatur. vnum tamen sciendum est, quòd pupillæ tabes, seu constrictio ferè semper à siccitate pendent.

Signa.

Phthisis pupillæ per se Medico inspicienti detegitur, & præsertim collatione facta oculi ægri ad oculum sanum. phthisis ab humiditate per excremēta humida continuè ab oculo emanantia, quæ autem à siccitate per oculi retractionem, profunditatem, minorationem, & corrugationem cognoscitur. de-

Paulus. niqueomnis pupillæ tabes accidentalis ex eò patet, quòd res lumini obiectæ maiores apparent, quàm pro naturali modo se habeant.

Prognostica.

De symp. cau. primo c. 2. Dicebat Galenus non semper malam esse pupillæ paruitatem: etenim quæ naturalis existit, bona est, si quidem in minori pupilla colligitur spiritus, constringitur, ac densatur: quæ omnia ad sensus bonitatē oculo conducunt: at si morbi vitio, & non naturæ pupilla minor sit reddita, mala erit, ac multo deterior efficitur quàm mediocris: quoniam vitiosos sequitur affectus: eoque maximè insanabilis erit, si ex tenuis humoris defectu gignatur: minus autem noxia est, si propter rhagoidis humorē relaxantem minor facta sit pupilla: difficilius namque est similarium corporis particularum cuiuis, cum siccata est, humiditatem restituere, quàm eam, cum humecta est, siccare.

Cura.

Pupillę tabes ab humiditate vuiformem tunicam extendente, & relaxante causata, tenuem, & exiccantem diætam requirit: qualis in cura mydriasis humidæ superius descripta est. euacuatio reiterata, eædemque diuersiones conueniunt. exterius huiusmodi collyrium imponitur, Recipit succi mali punici medij saporis lib. ij. bulliat in vase æneo ad mediæ partis consumptionem, cui adde mellis optimi lib. s. exponatur soli æstiuo per viginti dies: & vtitor. vel, Recipe succi mali punici lib. ij. reconde in vase vitreo, & per duos menses soli æstiuo expone, postea colabis, & abiecta fœce, in singula libra addatur aloes, piperis longi tenuiter puluerizati ana ℨ.i.s. misce, & serua nam quanto plus antiquatur, tanto est melius vel, Recipe aceti, lactis, mellis ana ℨ.ij. in mortario æneo hinc, inde pistillo æneo obduces donec nigrescat. aliud ex Auicen. habet floris æris, ammoniaci ana ℨ.i. croci ℈.iiij. aloes ℨ.v. moschi ℨ.s. fiat collyrium cum succo fœniculi. Aliud, ammoniaci, croci ana ℨ.ij. floris æris ℥.s. stercoris lacerti ℨ.ij. gummi arabici ℨ.i. conficiantur cum melle, & administrentur. Aliud, Recipe piperis, ammoniaci ana ℨ.ij. olei balsami, vel, (quoniam temporibus nostris balsamum

nullibi

nullibi habetur) eius loco recipe olei caryophyllorum, uel de nuce moschata ℈. i. croci ʒ. i. dissoluatur am noniacum in aqua fœniculi, & desuper oleum proijciatur, & omnia simul cum melle conficiantur.

Pupillæ tabes à siccitate indiget victu humectante, optimique succi. vino fuluo, & odoro vtantur. somnus cibum excipiat. balnea conueniunt ex aqua dulci, & capitis ex aqua calida perfusio. confert destillatio lactis humani, vel caprini, vel asinini, vel mucillaginis psyllij, aut seminis lini super oculos: item caput purgium ex oleo violato, nymphea. supernas partes exerceant, humeros, ac manus cum spiritus detentione. caput, & facies confricabuntur, pariterque oculi summis digitis: eadem facies aqua calida abluetur. caput post confricationem vnguento, quod moderatè calefacere, & humectare possit illinatur, quale est Irinum cum oleo violaceo admistum. & modico facto interstitio oculi rarefaciente, & acriori medicamento humiditatem attrahente fouebuntur, quale est collyrium, quod excipit ammoniaci thymiamatis ℈. i. s. crocomagmatis ʒ. ij. croci ʒ. i. aeruginis æris ℈. ij. in defectu crocomagmatis crocum duplicabis: triturentur omnia, & cum aqua pluuiali ad vsum reddantur. at quoniam huiusmodi collyria, & si propter caliditatem attrahant, resoluunt tamen quod attractum est, si diutius super oculum detineantur: vnde post paruam moram auferi, & humectantia iterum adhiberi debent: hoc autem successiuè, perque interualla fiat.

Ex Aetio 7. cap. 51.

περὶ ὑποχύματος.

De suffusione. Cap. XXXIII.

SVffusio latinè, ὑπόχυμα, καὶ ὑπόχυσις græce vocatur aquosæ humiditatis fluxus, qui oculi potentiæ, qua cernit, se opponere solet. Auic. descensum aquæ, vulgo cataractam appellant à verbo græco καταράττω idest cum impetu decido, & fluo. vel à cataractis portis ad aquas retinendas excogitatis, instar quarum oculi tunicæ

Ypochysis.

humiditatem extraneam retinere solent.

Erit igitur suffusio humiditas extranea in principio fluida, in processu crassa, spermati humano similis, inter crystalloidem, & corneam tunicam retenta; visum impediens: & est morbus in compositione, & propriè in numero excedente, non deficiente, & est toto genere præter naturam. vel secundum aliquos est morbus in via. non in numero, non enim lædit sensibiliter operationes quia sit aliquid superadditum partibus oculi. nam si talis humiditas non esset coram pupilla, sed in extremo albuginei, non læderet sensibiliter operationes, quamuis esset aliquid additum partibus oculi: verum quoniam opponitur pupillæ, quæ est via, per quam fit visio, & ob hoc lædit operationem oculi principalem: ideo morbus in via, non in numero vocabitur.

Gal. de diff. morb. c. 8.

Nonnulli contendunt suffusionem non esse morbum: etenim est humiditas extranea ante ipsam pupillam collecta: quę humiditas cum sit substantia non videtur vt morbus esse possit: qui est qualitas, & sub prædicamento qualitatis repositus. est enim dispositio non naturalis in corpore humano, ex qua in operationem essentialiter prouenit nocumentum prouentu primo. dicas suffusionem esse morbum, quia per se primo lædit operationes: nec obstat quòd consideretur vt substantia, nam aliqua substantia dici potest accidens, & qualitas respectu alterius substantiæ, vt vestis, galerus, lorica, clypeus, sunt habitus hominis, & sic accidens; Item lapis in renibus, aut vesica, secundum quòd reddit hominem ægrũ est qualitas, & morbus. vel dicas quòd huiusmodi substantiæ non sunt accidentia, nec habitus, neque qualitates: sed ex harum applicatione derelinquitur in corpore forma accidentalis hoc est qualitas habitualis, dicta morbus consequens eas velut vmbra corpus: vt ex lapide obstructio, ex sexto digito numerus innaturalis. vel dicas quòd nec lapis in vesica, nec numerus digitorum non naturalis est morbus: verum habitus quidam ex his derelictus de prima specie qualitatis: nam sicut numerus, & quantitas conuenientes non sunt sanitas, sed materia sanitatis: pariter numerus, & quantitas inconuenientes non sunt morbus, sed materia morbi.

Auic. secunda primi, cap. primo.

Litigant

Litigant doctores de lana caprina, videlicet de loco, in quo verè materia suffusionis contineatur: sunt qui reponant ipsam inter chrystalloidem, & vueam. nonnullli inter vueam, & corneam. Alij spatium capaciorem assignant: idest totum illum locum, qui est inter crystallinum humorem, & corniformem tunicam.

Conciliantur nam postremi generaliter locuti sunt de toto illo oculi ambitu, in quo aquosa obstructio fieri potest. primi vero ad loca magis particularia respexere. & ex istis, qui dicunt materiam suffusionis inter chrystalloidem, & vueã contineri, de suffusione incurabili, vel difficillimæ curationis: qui verò contendunt eandem esse inter vueam, & corneam, de ea quæ facilius curatur, fortasse intellgiunt.

Sat est quòd in omnibus prædictis partibus per viam congestionis paulatim factæ suffusio excitari potest, tum ob nutrimentum ab ipsis non bene conuersum, tum ob excrementa, & superfluitates non bene expulsas, tum ob vapores aliun de demandatos. pariter per viam defluxus à capite. potest enim materia humida à pericranio deriuari ad coniunctiuam, inde ad albugineum, hinc inter corneam, & vueam considere, & suffusionem facere: quo casu venarum frontis, aut temporum sectio maximè confert. potest eadem materia deriuari à dura matre ad scliroticam, & consequenter ad corneam, inde ad albugineum, sicque inter corneam, & vueam suffusionem causare. non minus etiam potest à pia matre deriuari ad secundinam, & vueam, & ab ipsis ad albugineum resudare, & tunc suffusio inter crystalloidem, & vueam sita erit. si uerò emanabit à circumferentia vueæ tunicæ, suffusio in ipsa pupilla fiet. quòd si profluet à cerebro ad neruos opticos, & ab ijs ad retiformem, & araneam, & ab ea ad crystalloidem, tunc suffusionis materia tunicæ araneæ, & crystalloidis superficiei adhærebit. itaque manifestum est quomodo & inter crystalloidem, & vueam, alias inter vueã, & corneam suffusio esse possit: itemque quomodo totus albugineus, aut maior pars eius per destillationem à capite, vel propter ægritudinem aliquando suffusione laboret, & imperuius, opacusque reddatur.

Suffusionis plures sunt & secundum quantitatem, & secun-

Gal. de symp. caus. primo cap. 2.

dum qualitatem differentiæ: secundum quantitatem nam aliæ magnæ totum rhagoidis foramen occupantes, visumque intercipientes. aliæ sunt minores, & dimidium pupillæ solummodo obtenebrantes, quare per partem, quæ pura superfuit, singula, quæ extrinsecus sunt, per se sola nihilò deterius, quàm antea, videntur: non tamen similiter vt prius vno tempore multa: eò quòd angustior, quàm prius, factus sit visionis conus. at si in pupillæ centro exigua suffusio constiterit, partibus, quæ circa sunt, puris manentibus, omnia ijs, qui sic affecti sunt, veluti fenestras habere imaginātur. quippe quòd in medio non cernitur, quasi excisum apparet. verum si diuulsa, nec inter se coniuncta fuerint crassa corpora, quæ iuxta pupillam consistunt, fluitantque in tenui humore, ijs, qui sic se habent, tanquam culices quidam foris obuersari videntur. Sæpennmero etiam ex crassioris quoque humoris cōsistentia, tanquam idolum aliquod sibi appareat imaginantur. eiusmodi autem idoli apparitio plerumque incidit, post quā à somno surgunt, potissimum pueris, & ijs, qui plusculum biberunt, aut alias capite sunt oppleto.

Secundum qualitatem differunt inter se suffusiones, nam alia alba pituitæ respondens: alia rubea sanguini proportionata: alia flaua biliosum imitata humorem: alia nigra à melancholico succo infecta.

Sub colore albo sex continentur suffosionis species: prima est coloris albi aerei: secunda coloris albi margaritalis: tertia coloris albi plumbei: quarta coloris albi ad viridem inclinantis: quinta coloris albi argento viuo conformis: sexta coloris albi gypsei ob pituitam multum condensatam.

Suffusio rubea rara est: rarò enim accidit, vt sanguis sub propria forma suffusionem causare possit: nam extra venam fit sanies, per quam deinde suffusio apparet alba, saniei colorem referens. pariter rarò suffusio nigra reperitur, quoniam melancholia difficilè sursum repit, interque oculi tunicas rarò se insinuat.

Differt suffusio ab albugine, & à cicatricibus in oculo derelictis: quoniam hæc in superficie corneæ apparent: suffusio autem in parte intrinseca continetur.

Differt

Differt à sanie post corneam: nam sanies in parte inferiori corneæ se ostendit, formamque lunulæ imitatur: at suffusio totam corneæ regionem occupat, pupillæque opponitur.

Differt à glaucomate: nam hæc est concretio diluti humoris, quæ visum magis, minusue impedit: glaucoma vero est naturalium mutatio humorum in cœsium colorem: per quam visio prorsus intercipitur.

Differt ab oppilatione, quæ est in neruo optico quoniam in suffusione quando alter oculorum comprimitur alter dilatatur: & hoc propter expulsionem spiritus oculi compressi ad oculum apertum: at in oppilatione secus accidit, nam spiritus ab ea retinetur, neque permeare potest.

Differt etiam, quoniam in obstructione, quæ ἀμαυρωσις græcè, vulgo gutta serena dicitur, humiditas pupillæ nequaquam conturbata apparet, sed clara, & serena. in suffusione autem semper est agitata, & impura.

Causa.

Accidit suffusio ex ictu, & plaga, & ex vomitu violentius concitato. causa antecedens sunt vapores, qui à ventriculo, vel ab alijs partibus eleuantur: pariter humores à capite, vel à cerebro fluentes; qui aliquando ob frigiditatem, & imbecillitatem spiritus visorij cum discuti non possint, crassescũt, & in oculo condensantur, fiuntque causa coniunctà, idcirco senes, & ij, qui longis morbis detenti fuere, hoc vitio laborare solent.

Paulus 6. cap. 21.

Signa.

Suffusionis principium cognosces, si veluti culices parui, ac caliginosa quædam oculis sæpe obuersari, interdum piliformia, interdum veluti lanarum filamenta, aut araneorum texturas patiens videbit: nonnunquam circa lucernas circulos sibi apparere dicet: tuncque affectus imaginatio rectius, quam suffusio vocabitur.

Actius 7. cap. 51.

Suffusionem confirmatam esse dicimus, quando æger amplius non videt, vel ferè nihil videt, pupillaque colorem ad albedinem mutat, vel ad alios, qui (vt dictum est) plures sunt colores, & omnino non translucet.

Suffusionem ex passione ventriculi, vel cerebri procedere

sic

Gal. de oculis cap. 12.

sic deprehendes: si apparuerit in vno oculo, vel in vtroque æqualiter, ventriculi esse cognoscitur: Item si modo plus, modo minus apparuerit, ita quòd ventriculo minus digerente maior sit. Item si patiens de ventriculi mala dispositione conquestus fuerit. Item si ex picra exhibita affectus decreuerit. nam si fuerit à cerebro picra nihil videtur esse proficua.

Suffusio curabilis, tuncque acu deponi posse creditur, cum Medicus palpebram superiorem patientis digito fricans, statimque eleuans, pupillæ humiditates dilatari, & moueri postea simul vniri videt.

Si vero huiusmodi humiditates per frictionem minimè disperguntur, cum sint nimis incrassatæ, & induratæ, curam non recipiet. verum tamen (inquit Auic.) talem frequentare experientiam, est ex rebus, quæ suffusionem turbant, & curam cum instrumento difficiliorem reddunt.

Vnde aliud securius proponit experimentum, nam ipsi oculo Xylinum optimè carminatum apponit, & desuper vehemētius sufflat: postea, remoto Xylino, inspicit an cataracta diuellatur, & diuulsa ad proprium locum redeat, nam hoc confirmatam esse, ostendit. vel oculum sanum comprimito, & attentè inspicias an pupilla oculi ægri dilatetur: dilatatio enim aliquam sanationis spem non securitatem ostendit.

Signum cataractæ curabilis pariter à tempore desumitur, nam de recenti incipiens curationem recipit: minimè autem confirmata, & antiqua.

Signum cataractæ inter corneam, & vueam sitæ est, quia vuea operitur, & ab inspicientibus, nisi suffusio tenuis, & aliqualiter diaphana fuerit, nequaquam discernitur.

Signum cataractæ, quæ circumferentiam pupillæ obsideat, est multum sensibile, nam si cataracta alba fuerit (talis enim vt plurimum esse solet) inspicienti remotior apparet quàm ipsa pupilla: ratio est quia color niger in distantia æquali videtur propinquior quàm albus.

Prognostica.

Gal. de oculis cap. 12.

Si vno oculo clauso pupilla (vt dictum est) alterius dilatatur, possibile est sanari, sin autem, minimè, causa, quia

neruus

neruus concauus, quo visibilis spiritus ad pupillam ducitur, oppilatus est.

Suffusio incipiens digeritur, vbi vero diu constiterit digeri nullo modo potest: quare chirurgia curari debet.

Celsus 7. cap. 7.

Suffusiones coloris albi aerei, item coloris albi margaritalis, item coloris albi plumbei sunt curabiles.

Suffusiones subflauæ difficilè curãtur: multum vero flauę, item nigræ, violacę, virides non curantur.

Suffusio mediocris substantiæ cum instrumento ad hoc excogitato deponitur: quæ vero tenuis, & diuulsa manu non deponitur, sed pharmaciæ cedere solet.

Suffusio à casu, à percusione oculi, uel capitis, uel ab aliqua ægritudine cerebri conflata licet non sit omnino incurabilis, attamen rarò sanitatem acquirit.

Cura.

Suffusioni incipienti primò dięta attenuate occurrendum. Aer calidus, & siccus eligatur, uel paretur. cibi sint facilis concoctionis, minimè euaporates cum amaraco, staturcia, pulegio, saluia, hyssopo, betonica, fœniculo, uel similibus extenuantibus, conditi. caueat à ferculis pinguibus, à laganis, à lacte, caseo ueteri, à carne porcina, anatis, anseris: à piscibus, à rebus salitis, à caule, lactuca, lentibus, allijs, cepis: à fructibus horarijs: & nunquam satur à mensa discedat, imo (si posibilè est) cœnam fugiat in fine mensæ manducet uapores reprimentia, ut Diacotoneum simplex, uel compositum: coriandros, & miuam. uinum præsertim uaporosum interdicitur; bibat hydromel, uel decoctum ex passulis, & cinnamomo, uel succum mali punici cum aqua ebullitum. partes corporis inferiores exerceantur saltem frictionibus. balneum (inquit Aetius) non conuenit, nisi quis lasitudinis aut tardæ concoctionis gratia ad lauandum se cogatur; & tunc nõ in aere balnei moretur, sed citò exeat. alui excrementa quotidiè natura, aut arte excernat. somnus sit breuior, sic capite eleuato, & nocturnus. animi affectus, iram scilicet, mœstitiam, intensam cogitationem: ueneremque uitabit. His ita institutis, inter initia, si redundantia sanguinis afluerit, monitu Aetij, & Pauli, sectio uenæ succedere debet (dummo-

do

do ætas, virtus, & cætera consentiant) itaque, lenita aluo, vena communis, vel humeralis incidatur, & cucurbita cum scarificatione occipitio affigatur. verumtamen cum hæc passio in oculo propria fuerit, quoniam rarò à sanguine, frequenter autem ab humore fit pituitoso, phlebotomiam, & cucurbitularum appositionem Rasis prohibet. quare remedia, quæ sunt in ambiguo, quando admitti, vel omitti debeant, Medicus curam agens constituat. postea clysterijs acrioribus (carminatiua seplasiarij vocant) itemque purgationibus vtitor: prius tamen hijs, quę humores peccantes disponunt, ac præparant adhibitis: vt est syrupus de betonica, de stœchade, de hyssopo, oximel simplex, syrupus de bizantijs compositus, cum aquis fœniculi, euphragiæ, amaraci, betonicæ, hyssopi, & similibus. vel, Recipe Gallitrici (sclarea, seu centrum galli vulgo dicitur) caryophyllatæ, .. elissophylli, betonicæ, amaraci, euphragiæ ana.m.i. radicis fœniculi, eiusque seminis, anisi, sileris montani, passularum ana ℥. i. coquantur, & cum saccharo fiat syrupus. uel, Recipe stœchadis, euphragiæ, amaraci, chelidonij ana m. i. radicum fœniculi, acori ana ℥.i. seminis apij ℥.s. rutæ, rosmarini, betonicæ ana. m.s. bulliant, & decoctum cum melle pro senioribus vel saccharo pro alijs ad formam syrupi reddatur.

9 ad almans.

Purgatio fiat ex catapotijs cochijs, aureis, lucis, sine quibus, agarico trochis. admistis. vel cum huiusmodi pilulis, Recipe specierum hyeralogodij ʒ. ij. turbith, agarici ana ℈.ij. gingiberis ℈.s. salis gemmæ ℈.ij. conficiantur succo fœniculi. dosis sit ʒ.i.

Rasis 2.cont.

Purgatio, quæ fit per vomitum, quamuis in suffusione per consensum à ventriculo, & vomere assuetis conferre videatur: attamen vt plurimum, damnosa est: agitat enim in cerebro, & circa neruos opticos materiam catarrhalem, ad oculosque pręcipitat.

Dormitum iturus assumat quandoque ʒ.ij. ex infrascripto electuario: Recipit succi fœniculi depurati lib.s. succorum rutæ, chelidonij, amaraci pariter depuratorum ana ℥.i. mellis lib.i. coquantur ad mellis crassitiem, postea, Recipe euphragiæ ℥.i.s. seminis fœniculi ʒ.s. caryophyllorum, piperis longi

longi, macis ana ℥.s. contundantur, & fiat puluis tenuissimus, & superaddatur per interualla vti poterit apophlegmatismis, ac errhinis, multisque alijs diuersionibus. hinc ad topica deueniens à mitioribus incipiat, & ab ijs, quæ impensè siccant, caueat, nam licet strenuè vacuent, residuum tamen ita cogunt, vt vix, aut nunquam discuti possit. in primis ab Aetio laudatur mel cum oleo veteri, ac fœniculi succo. vel ex Paulo accipe caucalidis succi, seu dauci syluestris, chamædryos, polygoni maris, seu sanguinariæ fœminæ singulorum partes æquales. vel, Recipe baccarum lauri ℥.x. gummi ℥.i. vrina pueri venerem non experti pro suffusione læuigato: pro visus debilitate cum aqua adhibeto.

3. cap. 22.

Trallianus 2. cap. 5.

Suffusionem incipientem sanat fel vulturis cum marrubij succo, ac melle. aut myrrhæ, & piperis partes æquales cum melle. aut fœniculi succum, & fel taurinum liquidum paribus, partibus, mellis duplum illinito. aut croci, & piperis æquales portiones felle taurino excipito, atque in collyrium redige, ac illine. aut populi nigræ liquorem cum duplo mellis illine. vel, Recipe rosarum, euphragiæ, seridis latifolij (endiuiam vocant) gallitrici, pimpinellæ, anagallidis, chelidonij, pæoniæ foliorum vitis, apij, betonicæ, lycij, tormentillæ, papyri, verbenæ, fœniculi, rutæ, agrimoniæ singulorum partes æquales: incidantur minutim, & prima die in vino albo infundantur; secunda in vrina pueri non polluti, tertia in lacte mulieris: quarta in optimo melle: postea per alambicum destillentur: & aquam, quæ inde emanabit, ad vsum seruabis, nam miros effectus præstare dicunt. vel, Recipe felli hirci exiccati in vase æneo ℥. v. pulpæ colocynthidis ℈.ij. sagapeni, euphorbij ana ℥.i. conficiantur aqua rutæ, & aqua fœniculi. aliud, Recipe fellis hirci exiccati in vase æneo, granorum lauri excorticatorum ana ℥. v. sagapeni ℥.i. gummi ℥.s. fiat collyrium ex succo chelidonij, & urina pueri non polluti.

Gal. de comp. med. secundũ loc. 4. cap. 8.

Mesue.

Auic. inquit, quod homines veraces experti sunt fel viperæ, & non egit operationem veneni. veruntamen consulo vt eligas viperam ex ijs, quæ leprosis comedendæ exhibentur: quæ minus sunt venenosæ: & quòd fel adhibeatur infra-

scriptis

ſcriptis conditionibus obſeruatis, primò admiſtum medicamini eius acrimoniam remittenti. ſecundò quòd patiẽs ſit purgatus, & minimè famelicus ne quid veneni per venas trahatur. tertiò quòd ſit in ætate conſiſtenti, neque habeat oculi tunicas vlceratas, & debiles. quartò quod præaſſumpſerit theriacam, aut alexiterium pharmacum: vel vſus tempore habeat os aqua plenum, vt ſi fortè per maiorem oculi angulum quid fellis in os reſudaret, ſimul cum aqua expui poſsit.

Gentilis.

Intueri oculos Aſini Silueſtris à proprietatè confert. nonnulli ſuper croci decoctum oculis apertis faciem pronam optimo ſucceſſu tenent.

Abynzoahar libr. tract. 9. cap. 18.

Quòd ſi prędictis remedijs ſuffuſio minime cedit, tunc eius confirmationi, & condẽſationi incumbendum: vt curatio ſaltem chirurgia perfici poſit. nutriatur itaque æger cibis humectantibus, & incraſſantibus, laganis ſcilicet, piſcibus, carne porcina, vaccina, anatina, & huiuſmodi alijs, itemque vino potenti. expectandum eſt (dicebat Celſus) donec materia iam non fluere, ſed durities quædam concreuiſſe videatur. ante curationem autem modico cibo vti, bibere aquam triduo debet, pridie ab omnibus abſtinere. poſt hæc in aduerſo ſedili collocandus loco lucido, lumine aduerſo, ſic vt contra Medicus Paulò altius ſedeat. à poſteriore autem parte caput eius qui curabitur miniſter contineat, & immobile id præſtet. nam leui motu eripi acies in perpetuum poteſt. quin etiam ipſe oculus, qui curabitur immobilior faciendus, ſuper alterum lana impoſita, & deligata. à miniſtro palpebra ſuperior indice, vel medio digito eleuari debet: Medicus vero inferiorem deprimet, & ſiniſtrum oculum dextra manu, dextrum ſiniſtra curabit. tum acus admouenda eſt, aut acuta, aut forte non nimium tenuis, eaque demittenda, ſed recta eſt, per ſummas duas tunicas medio loco inter nigrum oculi, & angulum tempori propriorem è regione mediæ ſuffuſionis ſic ne qua vena lædatur, neque tamen timidè demittenda eſt, quia inani loco excipitur, ad quem cum ventum eſt, ne mediocriter quidem peritus falli poteſt, quia prementi nihil renititur. ubi eò uentum eſt inclinanda acus ad ipſam ſuffuſionem eſt, leniterque ibi verti, & paulatim eam deducere infra regionem

7. cap. 7.

pupillæ

pupillæ debet. cum deinde eam transit, vehementius imprimi vt inferiori parti insideat. si hæsit, curatio expleta est. si subinde redit, eadem acu magis concidenda, & in plures partes dissipanda est, quæ singulæ, & facilius conduntur, & minus latæ officiunt. post hęc educenda acus recta est, imponendumque est lana molli, aut Xylino exceptum oui candidum cum aqua rof. agitatum: & supra quod inflammationem coerceat. ambo oculi fascia deuinciendi, &, ni dolor obstiterit, ita per triduum detinendi, ne ex motu vnius, alter æque agitetur. post hæc cucurbitulæ scarificatæ spatulis adhibeatur. interim opus est quiete, abstinentia, lenium medicamentorum inunctionibus, cibo, qui postero die satis maturè datur, primum liquido, ne maxillæ laborent, deinde inflammatione finita, tali, qualis vulneratis imperatur. aqua quoque vt diutius bibatur, necessariò accidit. at huiusmodi curatio nequaquam idonea si senilis ętas est, quæ sine nouo vitio tamen aciem hebetem habet. at ne puerilis quidem, sed inter hæc media ætas. oculus quoque curationi neque exiguus, neque concauus satis oportunus est, neque suffusio, quæ maturationem non sit adepta. pariter fieri non debet, nisi luna decresente, & in signo arietis nequaquam existente, veris, vel autumni tempore, in aere tranquillo, & temperato.

Sequuntur adnatæ, & corneæ tunicæ communia impedimenta.

περὶ ὑποσφάλματος.

De sugillatione. Cap. XXXIIII.

SVb coniunctiua tunica, quandoque sub cornea colligitur sanguis extrauenatus, & ibi rubedinem, vel liuorem, uel nigredinem efficit: quæ; ὑπόσφαλμα à Paulo: Tarfati ab Arabibus: à nonnullis macula rubea: à latinis sugillatio dicitur. erit itaque sugillatio sanguis effusus in oculo sub adnata, uel cornea tunica cum defor-

Hyposphalma.

deformitate, uisum aliquàdo impediens: consideratur ut morbus solutæ continuatis: item ut morbus in numero, cum sit aliquid præter naturam superadditum: item ut morbus in uia cum opponitur pupillæ, & uisui officit.

Sugillatio alia recens, & est coloris rubei, vel sub rubei si pituita sit admista: alia antiqua, & est coloris liuidi, vel nigri: sanguis enim extra venas à proprio calore, & spiritibus destitutus, primo liuescit, postea denigratur, & fit obscurus.

Causa.

Sugillationis causa vel extrinseca: vel intrinseca: extrinsecam, seu primitiuam ex relatu ipsius ægri perpendes, nam erit percusio, aut casus, aut clamor, per quem venæ intendi, & frangi possunt. aut motus laboriosus, vnde sanguis inflammatur, & fit corrosiuus. Intrinseca antecedens multa venarum repletio, item apostema, per quod venæ rumpuntur: item feruor sanguinis. intrinseca coniuncta est ipse sanguis à venis effusus.

Sed emergit dubium quomodo in cornea, quæ venis minimè prædita videtur, sugillatio fieri possit? duplicem affert Gentilis solutionem: prima, corneam habere venas, & inuisibiles, & diaphanas, prout partis natura exposcit. Secunda, sanguinem in ea sugillationem facere, quon am à coniunctiua tunica per successiuas porositates prius emanat.

Signa.

Sugillatio inspicienti fit manifesta, nam circa initia cruentus oculi color apparet, mox in colorem liuidum, tandem in nigrum mutatur: & ipsi ægro omnia obiecta (si è regione pupillæ sugillatio fuerit) rubra, vel liuida, vel nigra videntur.

Prognostica.

Gal de comp. med. per loc. v. cap. 1.

Hæc dispositio quamuis à toto genere sit salubris natura: aut arte curabilis. attamen si sanguis in grumos coierit ægerrimè discuti potest.

Auic.

Sugillatio in adnata tunica salubrior, quàm in cornea.

Cura.

Victus instituatur qualis in cap. de ophthalmia descriptus est.

est. post modum præmissa vniuersali euacuatione per venæ Sectionem, & per pharmaca ventrem subducentia (inter quæ clysteria præferri solent) remedijs topicis locus dabitur: vnde conuenit albumen oui cum aqua ros. vel succus solani cum bolo armeno, & oui albumine. Item folia, & flores salicis cōtusi, & adhibiti. à Galeno probatur collyrium Nili ex rosis. Transacto principio resolutiua repercussiuis misceantur: ideo sanguis palumbi, columbæ, vel torturis sub ala (ibi enim propter motum est calidior) extractus: item lac muliebre calidum cum tantillo thuris oculo instillatur: extra vero super palpebras apponunt oui candidum cum oleo rosaceo, & terra sigillata agitatum. Celsus sanguinem laudat hirundinis: neque sine causa, nam cum prædictarum auium acies extrinsecus læsa interposito tempore in antiquum statum redeat, celerrimè autem hirundinis. vnde etiam locus fabulæ factus est, aut per parentes, aut id herba chelidonia restitui quòd per se sanescit. In declinatione oculus sæpe fouendus decocto fœnugræci, absinthij, hyssopi: vel brassicæ folijs ebullitis, & contritis: vel caseo recenti parumper salito, mistam enim habet facultatem obductricem ex se ipso, discussoriam vero, & aliqualiter adstringentem ex sale: quare nihil absurdi est eo etiam in principio vti. ad sugillationem antiquam, & denigratam facit hoc. Recipe thuris, myrrhæ, croci, ammoniaci ana ℥. i. arsenici rubei ℈. i. fiat collyrium, & cum aqua coriandri humidi administretur. vel ari radicem rasam, ac melle subactam in linteolum illitam imponito.

Gal. de comp. med. per loc. 4. cap. 7.

Ex Mesue.

Sequuntur Angulorum oculi mala.

περὶ αἰγίλωπος.

De ægilope. Cap. XXXV.

INter nares, & maiorem oculi angulum excitatur abscessus, αἰγίλωψ græcè idest oculus caprinus dictus: quòd Capræ huic vitio peculiariter obnoxiæ sint. qui abscessus priusquam erumpatur anchilops à Paulo,

Aegilops.

ab Auic. Garab dicitur . si autem rumpitur , & in vlcus degenerat , ægilops à Paulo , ab Auic. algarab, à nostris fistula lachrymalis vocatur.

Est autem morbus in compositione primò , in magnitudine scilicet excedente: cui disrupto intemperies, & soluta continuitas complicatur, & huiusmodi abscessus aliquando in superficie se ostendit : aliquando partem magis profundã obsidet, & hic nõ visu sed per cõpressionem à Medico percipitur.

Aegilops vt plurimum per viam defluxus à partibus exterioribns incrimentum suscipit, ad suppurationem tendit , & intra , aut extra oculum , aut intra nares osse putrefacto eruptionem facit . aliquando sola cutis rumpitur .

Aegilopis duæ sunt species : prima tactui renitens, dura , glandulosa , huc , illuc absque eruptione mobilis : dicebat Auic. quòd plurimum malitiæ eius est , quia videtur eminentia in lachrymalibus, & compressione inuenitur, & dolet eius expresio , & cum plurima aduenit ophthalmia. secunda species in forma parui apostematis se ostendit materiam purulentam continens , quæ per corrosionem erumpit , & ferè semper in fistulam degenerat . ambę conueniunt , quia vnaquæque tactu mouetur, digitis comprimentibus cedit, & profundatur : his ablatis , iterum emergit , & reuertitur .

Causa.

Huiusmodi abscessus à quolibet humore causari potest : verumtamen frequentius fit à pituita: rarò à sanguine: rarius , & ferè nunquam à bile, & ab atrabile. humor pituitosus continuè fluens per carnem anguli lachrymalis ad nares, & quandoque sub carne illa ad recipiendum disposita , intercepto transitu , detentus putrefit , & in vlcus fistulosum erumpit : vnde quidam imaginati sunt quòd ægilops semper à pituita fiat. sanguis pariter sed minus quam pituita hũc affectum excitare solet : nam lachrymali angulo vena satis ampla adhærens per resudationem materia illas partes explet , quæ postea corrumpitur . sat est quòd ægilops semper ab humore fit virulento , & corrosiuo .

Signa.

Aegilopis signa sunt tumor , durities , dolor , humiditatum

rum ab oculo defluxus, grauitasque cum lippitudine. hic abscessus, priusquam eruperit, & in fistulam migrauerit cognoscitur esse à sanguine per colorem rubeum, per dolorem grauatiuum, & quia per compressionem non albescit. Si fuerit à pituita cognoscitur à colore albo, à pauco, aut nullo dolore: quòd si eius materia in cisti continetur, digito hinc inde impellent. cedet, & raro ad suppurationem terminabit. si fuerit à bile cognoscetur à colore subflauo, dolore pungitiuo, lachrymæ emanabunt calidæ cum pruritu, & locus affectus dum comprimitur, albescit. si fuerit ab humore atrabilari cognoscitur à colore sub obscuro, à duritie, & pauco dolore. fistulam factam esse deprehendes à mala partis dispositione, à sanie virulenta, quæ comprimendo egreditur.

Prognostica.

Hic abscessus cum in angulum rumpitur ægrè curabilis est: non enim potest ab acribus medicamentis curari, nam ab ijs oculus coafficitur, atque ita læsæ partis inflammatio augetur: à leuibus nihil alteratur, & hęc vel illa citra obligationem, quæ totum oculum complectatur, adhærere non possunt: quam impossibile est tot per ferre diebus, quot ad mali curationem requiruntur.

Gal. de cõp. med. per loc. v. cap. 2.

Aegilopa, quod carcinomatis naturam sapit, curare periculosum est: talis enim cura mortem accelerat.

Aegilops ad nares tendens non sanescit. at quibus id in angulo est, curatio adhiberi potest cum eo, ne ignotum sit esse difficilem, quãtoque angulo proprius id foramen est, tanto difficilior, quoniam per angustum est, in quo versari manus possit.

Celsus 7.

Aegilopi recenti, & nondum fistuloso mederi facilius est.

Cura.

Incipiente igitur inflammatione statim primo die conandum est vt repellatur cum aqua ros. & albumine oui simul agitatis: vel cum oleo ros. aceto permisto: quod oleum ad aceti consumptionem prius ferueat, inde parum lactis addatur: caue tamen ne oleum oculo adhæreat (est enim illi parti maximè mordax) vel imponatur halica cocta in aceto, & probe trita, nam non modo incipientes, sed in vomicam muta-

tos sanat aegilopas, rompitque, & ad os vsque penetrat, vel medicamentum quod ex glaucio, croco, perdicij succo constat: mutare autem continuè medicamentum oportet. Ego sanè (inquit Trallianus) incipientes ægilopas, & nondum in pus conuersos, horum vsu, ne in suppurationem mutarentur, prohibui. vel locus illinatur ex collyrio quopiam vehementer stupefaciente, ni materia sit frigida, nam tunc bdellium in aceto dissolutum cum oleo ros. permisceri poterit; vel ammoniacum, & succus fœniculi. vel cochleas cum testis interdum aloe, interdum myrrha admista imponito.

Interim (victu conuenienti ex cibis boni succi, optimi nutrimenti, & paucarum superfluitatum, vt sunt pulli, gallinæ, perdices, phasiani, turtures, alaudæ, oua sorbilia, passulæ, amygdalæ recentes, instituto: & vt est potus hydromelitis, aut vini oligophori: vt sunt aliæ res non naturales debito modo adhibitæ) pro diuersitate humoris influentis vena humeraria eiusdem lateris in cubiti flexura (nisi quid prohibeat) incidenda erit: alijsque diuersionibus cucurbitulis scilicet, frictionibus, ac ligaturis vtendum. hinc redundantes succi prius concocti, & præparati euacuantur hyera picra, vel hyeralogodione, vel pilulis cochijs, aut clysterijs, & suppositorijs acrioribus: neque vnica, sed iterata purgatio vix sufficere solet. at perseuerante affectione medicamentis topicis discussorijs succurrendum: laudatur à Paulo ruta satiua cum lixiuio, quod ex cinere, & calce confectum est, contrita, cocta, & imposita: mordax quidem est in principio, postea ocyssime mitescit, & ad os vsque penetrat. aliud vsu probatum ex Tralliano; internam arundinis membranam, id, quod rotundum circa nodos inueniri consueuit, acceptam melli inijcito, ac particulę affectæ imponito, mutans quotidie quater. vbi locum probè repurgaueris, mulsa cum spongia oculari abluito, ad hæc prædictam arundinis membranam per se adhibeto. vel, Recipe staphis agrię ʒ. ij. ammoniaci in aceto dissoluti ℥. s. misce, & superimpone. nux rancida tanquã multũ discutiens ab omnibus probatur. Itẽ sagapenum, castoreum, assafœtida unũ quodque per se: vel, si durities aliqua affuerit, mistim cũ tantillo mucillaginis altheę, aut fœnugræci.

Lib. 3.

lib. 2. cap. 8.

Si

Si vero abſceſſus ad ſuppurationem inclinauerit, emplaſtro diachylone compoſito foueatur: & optimè conſultum fuerit, ſi ante ſpontiuam eruptionem phlebotomo apoſtema latè recluſeris (tardare enim apertionem inter maximos habetur errores, nam pus concluſum corrodit, & fiſtulam incurabilem reddere ſolet) albumen oui poſtea imponendo, ad mundificantia, quale eſt mel roſ. aut oximel confugies. quòd ſi caro aliqualiter mortificata fuerit, vnguentum ægyptiacum conuenit. ad exiccandum, & conſolidandum Medicamento Raſis vtimur, recipit aloes, thuris, ſarcocollæ ſanguinis, draconis, balauſtiorum, aluminis ana ℥.i. æruginis ferri ℈.s. fiat collyrium com aqua myrti, vel roſacea: & vſu exigente, ſanies prius educatur, deinde infirmus ſuper latus, in quo non eſt fiſtula iacet, & de prædicto collyrio aliquid in aqua diſſoluatur: & de tali aqua tres guttæ interpoſito notabili tēporis interſtitio inter guttā & guttā in angulo proijciātur: hinc æger per tres quieſcat horas: ſequenti die fiſtula optimè pariter exprimatur, & fiet eadem cura: quæ per hebdomadam, imo quouſque à fiſtula nihil egrediatur, continuari debet.

9. ad almans.

Si autem os corruptum fuerit, quod cognoſcitur, quia affectio iam inueterata nigreſcit, & extrinſecis non iuuatur medicinis: hamulo ſummum fiſtulæ excipiendum, hinc triangulari (vt inquit Aetius) incumbentis carnis detractione facta, & anguſta ſectionis parte ad angulum adaptata, ferro candenti acuto, ac in cuſpidem abeunte aduremus, ſpongia frigida madente, oculo impoſita. ſunt qui poſt carunculæ exciſionem terebra vſi, humorem, aut pus in nares deriuarint. nos autem ſatis habuimus eouſque ſolum ferramentis ad ęgilopem accomodatis adurere, vt ſquama abſcederet: ab vſtione lenticula melle adiecto, quod phacomeli vocant, vel malicoro cum melle, reliquiſque ſiccantibus præſidijs vtemur.

Paulus lib. 6. cap. 2.

.·.

περὶ ἐγκανθίδος, καὶ περὶ ῥυάδος.

De carnis anguli lachrymalis incremento, deq; eius diminutione. Cap. XXXVI.

Encanthis. Rhyas.

De vsu part. x. cap. 11.

SCribit Galenus in ossibus angulorum lachrymalium duo esse foramina hinc inde ad nares tendentia: quorum præcipuus vsus est, vt per hæc omnia oculorum excrementa in nares confluãt. cuius rei signum est quia medicinas oculares multi plerumque Paulò post inunctionem expuerunt, alij vero emunxerunt. ad eumdem enim vsum meatus isti ab angulis in nasum sunt perforati, ad quem ipse nasus in os. quandoquidem emungentibus per nasum, quod confluit, excidit: excreantibus vero per os. ne igitur per anglos excrementum effluat, nè uè assiduè lachrymemus, prædictis meatibus corpora quædam carnosa tan quam oprimentum natura imposuit, quæ prohiberent ne oculorum excrementa per angulos vacuarentur, ad proprios autem meatus impellerent. verum aliquando accidit huiusmodi corpora carnosa vltra symmetriam naturalem augeri, vnde fit vitium ἐγκανθὶς græcè dictum, idest carnis in maiore oculi angulo excrescentia: vel ferro abscindi, aut medicamentis corrodi, vnde cum non sit amplius, quid humiditates contineat, & à foraminibus exire prohibeat, homo continuè lachrymatur (habet enim excrementis ea parte effluxum apertum) morboque afficitur, quem græci ῥοιάδα, nos diminutionem, seu decrementum carnis lachrymalis appellamus, & vterque morbus est in quantitate aucta scilicet, aut diminuta.

Causa.

Errore Medici malè pterygia incidentis huiusmodi carnis excrescentiam fieri contigit: diminutionem vero vel propter vngulam nimium resecatam; vel propter medicinas nimis corrosiuas; vel propter morbilos, variolasque carnem absumentes, & de se vestigia profunda relinquentes.

Signa

Signa.

Nullus eſt in re medica tam imperitus, qui inſpiciendo in cognitionem vtriusque affectus ſtatim non veniat.

Prognoſtica.

ἐγκανθὶς vt plurimum curatur. ῥυὰς ex inciſione curam non recipit: contrario modo ſe habet, ſi à corroſione fuerit: ratio diuerſitatis eſt, quia talis caro naturam ſapit neruoſam, & ſpermaticam: vnde quod huiuſmodi eſt, ſi abſcinditur, non poteſt regenerari per viam primæ intẽtionis: ſi autem medicina corroſiua adhibetur, partem carnoſam potius quàm neruoſam abſumit: quod ſi accidit vt vtranque abſumat, nulla pariter datur reſtauratio.

Cura.

Victus ſit qualis in ſuperiori cap. approbatus eſt, poſtea inſpiciendum an corpus ſectione venæ indigeat: vel vitioſis ſcateat ſuccis: nam ipſum purgare oportet. hinc carnis incrementum curatur corrodentibus, ſeu talem carnem abſumentibus, vt eſt chalchantum, flos æris, alumen aduſtum, cuperoſa, vnguentum apoſtolorum, vnguentum Aegyptiacum. vel ferro ſuperficie tenus abſcindatur, vel cauterio inuratur: quæ abſciſio ob hanc cauſam radicitus fieri non debet, ne æger Rhyada incurrat, ſed debita carnis portio reliquatur, vt lachrymas, & excrementa continere poſsit.

Rhyas curatur medicinis ſarcoticis, & locum denſare, ac conſolidare potentibus, vt eſt aloes, glaucium, crocum, & vinum in quo myrtus, & roſæ ſint decoctæ. vel, Recipe terræ ampelitidis, croci, nardi celticæ æquales partes contuſas melle ſubigito, & in ollam repoſita addito operculo foramen habente, prunis imponito, neque ventilabis: cum autem caliginoſus vapor per foramina non amplius exhalarit ab igne tollito, ac frigefieri ſinito: deinde tuſa cribrata, ac in tenuiſsimum puluiſeculum redacta adhibeto. Aliud Aeris vſti, ſtibij ana ʒ. iij. croci, ſpicæ nardi ana ʒ. ij. malabathri ℥. i. roſarum viridium ʒ. iij. reliqua lęuiſsimè terito: deinde roſas per ſe bene læuigatas aridis vnito, & ſimul tritis, donec ſiccentur, vtitor, Aliud multa experientia cognitum: Aeris, cadmiæ, ſtibij ſingulorum ℥. s. piperis grana. iiij. Caryophyl-

lorum ʒ.ij. ſpongiarum nouarum ʒ.vj. æs, cadmiam, ſtibium, tuſa ſufficienti melle ſubigito: deinde ipſa ſpongia excepta in ollam mittito, oblinito, vrito: & ad cinerem exactiſsimè tritum piper, & caryophyllum adijce, & rurſus triti, & cribratis vtere.

Neruorum opticorum paſsiones ſunt (vt dictum eſt) Aporixis, paremptoſis, ſimptoſis & huiuſmodi aliæ: quæ à recentioribus Medicis ſub capite de gutta ſerena pertractantur: quarum medelam (ſunt enim ferè ſemper incurabiles) data opera, ne ſim ſuperfluus, ſcribere nolui.

Sectionis primæ.

Libri Quarti finis.

DOMINICI

DOMINICI LEONI LVNENSIS

Artis medendi humanos, particularesq; morbos à capite vsque ad pedes, Sectionis primæ.

LIBER QVINTVS.

De Aurium Anatome, & de sono. Cap. I.

AVRIS à sono & vocibus, hauriendis dicitur: est Instrumentum sensus auditus multa solertia, & structura ferè inexplicabili à Natura fabricatum: de cuius Anatome, cum & ab antiquis, & à recentioribus satis diffusè scriptum fuerit, mihi solummodo restat, vt, lectoris commodo, & vtilitati cōsulens, huc summatim transferam quæ ab ipsis longa oratione sunt comprehensa: nam si omnia quæ ad hanc rem spectare videntur, delineare vellem, mihi labor, lectori fastidium cum pauco fructu, & temporis dispendio cresceret. dico igitur quòd In ossibus temporum plurima sunt antra, & cauitates, inter quas tres sunt principales, & magni momenti, factæ à Natura, vt auditus organa, & neruum expansum, purioremque innatum, seu complantatum

tatum aerem contineant, exordiar primo ab illa cauitate, & meatu, qui πόρος ἀκουστικὸς dicitur: hic meatus dum formatur osseus annullus est, distinctus à reliquis subiectis partibus osis temporum: qui in caluarijs puerorum fermè usque ad septimum mensem per coturam seiungi potest, quoniam cartilagine (vt multæ aliæ appendices) reliquo osi incrustatus est: huius rei causam fuisse opinor membranulam tympani, quæ in intimo meatu, primaque cauitate reperitur. nam vt illa in formatione mollius aliquod haberet principium, vnde texeretur: natura hoc interstitium cartilagineũ inter os reliquum, & meatum, vel annulum dictum apposuit, cui sublineretur membrana. extenditur autem ipsa, non transuersim, sed obliquæ, veluti si scriptorium calamum ea parte, qua derasum, & attemperatum est, tensa menbrana obstruamus, hæc enim non transuersim, sed obliquè calamum claudet: idem præstat membrana in hoc naturali meatu. qui dein de obliterata crusta vnitur reliquo osi, & crescit, canalisque ossei effigiem integram exprimit. causa istius obliquæ positionis membranæ est, primò, vt membrana magis recta respiceret cauitatem primam, quæ ipso meatu elatior est, deinde ne illius aer, aut aqua, aut quicquam aliud, quod meatum ingrediatur recta hanc membranã petat, ipsamque lædat (Ictus enim obliquus minus lædit, quàm qui recta fertur) ab hac itaque membranula, incipit prima cauitas, maior alijs duabus, quæ ob similitudinem, quam habet cum tympano militari, à nonnullis tympanum vocatur. locus istius est inter radices mammillaris processus, & sedem illam, cui caput maxillæ inseritur ad articulum, atque principium processus illius, qui petrosus dicitur, magisque in interna caluaria conspicuus est, insculptum in intimis præcordijs hoc tympanum cõ tinet. In tympano tria sunt obseruanda: Primum osicula tria. Secundum fenestrę geminæ. Tertium canalis quidam, veluti aquæ ductus: quibus tanquam πάρεργον quarto in loco addi posset corpus quodam, quod veluti nerueum filium videtur. tria autem dicta osicula sunt admodum parua, & inter se duobus articulis compacta, quibus incrustatio cartilaginosa eadem adest, quæ in reliquis articulorum generibus reperi-

reperitur. Primum os malleolum appellant: Secundum Incudem: Tertium ob figuram, quam habet, ſtapedem. ſitus iſtorum oſsiculorum talis eſt: malleolus, qui prior eſt, caudam, vel pediculum infertum membranæ interna in facie habet, caput verò ſurſum tollitur verſus anteriora: huic capiti inſidet Incus, vel dens ſecundum ſcilicet oſsiculum ea ſui parte, quæ latior eſt, & leni quadam cauitate tuberculum dictum excipit. cumque Incus gemina crura poſsideat, altero, quod breuis, craſsiusque, & elatius eſt, hæret parieti ipſius tympani, ea in parte, qua aquæ ductus labitur: altero autem oblongiori, gracilique ac decliui coniungitur cum ſtapedis apice. ſtapes ſua baſi alteram, quæ ſuperior eſt, tympani feneſtram claudit. extrema horum oſsium, quibus in articulum coagmentatur cartilagine, illita ſunt, ac mollibus quibuſdam membranulis ligamenti vice colligantur, mobiliaque ſunt. nã agitata, & concuſſa membrana malleolus mouetur, & incus, & ſtapes: aut aperto ſinu acu quadam, vno ex his oſsiculis agitato, reliqua duo ſimul etiam conſentiunt.

Secundum in hoc tympano obſeruandum ſunt geminę feneſtræ: altera elatior, & quaſi media in concameratione tympani collocata, quam ſtapedis baſis claudit: figura iſtius oualis penitus eſt, quæ aperta deſinit in ſecundam cauitatem, quam labyrinthum dicimus. altera vero humilior eſt rotundaque, & ad poſteriora cauitatis declinans, quæ per os penetrans in geminum canalem, aut viam finditur, quarum viarum vna in labyrinthum, altera in tertiam cauitatem cochlearem dictam tendit: hæc ſecunda feneſtra nullo oſſe clauditur, cum tamen prior ſtapedis baſi ſemper clauſa maneat.

Tertium obſeruandum eſt canalis quidam oſſeus: qui recto huius cauitatis quaſi ſubtenditur, exitque extra caluariã, poſt radicem clarius inter illam, ac mammillarem proceſſum: principium ipſius eſt intra caluariam: nam ſi rectè inſpicias, videbis quintum par neruorum extendi ad medium ferè proceſſum oſsis temporalis, quem internum, atque petroſum appellamus, illuc tenſum hoc par ingreditur in canalem quẽdam inſculptum, in quo latens in duas finditur partes, alterã quidem magnam, alteram vero paruam, & gracilem valdè durio-

durioremque: hæc posterior perforato osse, occulto quodam canali versus anteriora capitis serpit: deinde reflexa tympanumque ingressa proprio hoc canali osseo deorsum, & posteriora versus ad primæ ipsius auriculæ radicem errumpit, & disseminatur. via istius nerui canalis hæc est de qua loquor, & aquæ ductum appello.

Quartum quod πάρεργον nominaui, cum ad ossa minimè pertineat, quodque in hoc tympano obseruandum videtur est neruulus quidam tenuissimus, qui per medium tympanũ percurrens incumbit, vel attenditur illi tantum articulo, quo stapes cum altero crure incudis copulatur.

Secunda cauitas illa est, quæ labyrinthus dici potest in radice petrosi processus insculpta. ab hac tres cuniculi oriuntur, & in eandem redeunt circulares penitus, à quibus nomen accepit ipsa cauitas: quorum vnus est inferior, qui ab anteriori parte cauitatis diuertens versus exteriora, ac deinde reflexus in eandem cauitatem per posteriorem angulum recurrit. alter cuniculus oritur ab eodem anteriori cauitatis angulo, sursumque elatus, quasi ὀρθογώνιον facto semicirculo iterum in cauitatem per angulum posteriorem regreditur. tertius oritur, & desinit in posteriori angulo cauitatis: nam inde ortus perforatoque osse circulari quodam canali exteriora versus illuc item reuertitur. quare, cum hæc cauitas minor priore tot habeat meatus, & cuniculos, meritò labyrinthus dicetur: in quam prospicit fenestra oualis à stapede clausa: & altera orbicularis, quæ pariter in cæcam tendit cauitatem, de qua dicendum est,

Tertia cauitas valde minor duabus superioribus insculpta reperitur in eodem processu petroso in latere ipsius anteriori, interque hanc & canalem illum, in quem primum quinti paris nerui gemini durus scilicet, & mollis integri, ingrediuntur, tenuissimũ quodam interstitiũ osium cõtinetur, nam in eodem situ pares sunt, verum canalis in medio processu, cauitas vero in anteriori ipsius latere est collocata, quæ duobus, aut tribus gyris in morem cochleæ constat, nullumque habet exitum: vnde cochlea, vel choclearis cauitas, vel cæca dici potest. hæc in intima superficie veluti etiam secunda

cauitas, & cuniculi eiusdem, membranula quadam tenuissima vestiuntur, propaginibus quinti neruorum paris contexta.

Auris igitur figura anfractuosa est, quoniam breue est cerebri ad aurem spatium: si autem recto tramite intraret aer ad cerebrum, ex sui qualitate, & substantia læderet cerebrum: propter hoc anfractuosus est eius meatus, vt tale spatium prolongaretur. pariter anfractuosus est, vt in prolatione variæ voces, & variæ ipsarum differentiæ percipiantur, & cum ipso perficiat tinitus necessarios, quæ non acciderent, si directus esset transitus. & eadem est causa quare prolongatur iter aeris per aurem, quæ est, quare prolongatur per tracheam, scilicet ne lædat cerebrum, ibi vero ne lædat ipsum cor.

Auris in osse petroso proprium habent foramen: in concauitate huiusmodi ossis petrosi sine comparatione manet aer quietus: & ibi discernuntur omnes vocum differentiæ: & illa pars ossis petrosi ita se habet ad auditum sicuti humor crystallinus ad visum. residua vero pars ab osse petroso extra apparens chartilaginosa est, non tamen mollis sicut caro, vt debitam figuram sibi retineat: neque tam dura sicuti os, vt flecti possit, & non frangi si alicui obiecto impingeretur.

Posita est auris ad latus, non in parte anteriori, vt visus: quia immutatio visus directè procedit, sed immutatio auditus indifferenter. item quia non solum vtilitati verum etiam ornamento, & membrorum concinnitati natura consulere voluit (nimis enim defforme esset in parte anteriori, vel posteriori aurem positam conspicere) insuper potius sub capite quàm supra sita est ne à capillis, & à capitis oprimento clauderetur, & auditus impediretur. os petrosum interius ambit pãniculus quidam contextus villis nerueis descendentibus à quinto pari neruorum cerebri: qui huic instrumento totam prę̄stat sensibilitatem, quam habet, & foramen ad ipsam aurem est in cõparatione pupillæ ad oculum. porrò quod auris extrinsecus quidem conuexa, intrinsecus, caua extiterit, factum id propterea est, ne quid meatui incideret, ne ve ipsa facilè afficeretur (quod enim rotũdũ est omniũ ab iniurijs remotissimum).

De Anat. viuorum lib. Gal. ascriptus

Gal. de vsu par. xi. cap. 12

Per Aures solummodo audimus, non per omnem corporis partem quoniam in solis auribus est inclusus aer congeni-

tus,

tus, seu complantatus externo aeri, & auditiuo sensorio continuus, vt possit per se tradere affectionem quæ in exteriori fit aere: quòd in aurium anfractuosis concauitatibus sit aer congenitus, hinc clarum est: si quis digito aures obturauerit, sentiet sonum quendam, & motum eius, qui intus est, aeris. fit autem hic affectus externo intra aures truso, & in breuiorem locum constipato, & congenitum aerem constipante: vi autem constipationis motus corpora, quæ intus sunt cartilaginosa, & dura impellit, & sic facit sonum. vnde magnum est signum quòd sana sit auris, quando sonat aer, qui intus est: si enim sana non esset non sentiret sonum, qui fit ab aere interiori. quemadmodum lingua nobis data est, vt alteri aliquid significemus: ita & auditus vt per eum percipiamus quod ab alijs significatur. quapropter auditus multam nobis affert vtilitatem ad scientiam, & disciplinas capescendas (dicebat Arist. quòd auditus est disciplinæ sensus) vnde quæcumque animalia auditu carent indisciplinabilia sunt. facit auditus ad disciplinam per accidens. sermo enim existẽs audibilis est causa disciplinæ non secundum se, sed secundum accidens: ex nominibus constat: nominum vero vnum quodque nota est: quare à natiuitate priuatorum sensu visus, & auditus, prudentiores sunt cæci mutis, & surdis.

Arist. 2. de anima tex. com. 82. — *3. de ani. tex. com. vlt.* — *primo Metaphy.* — *De sensu & sensili cap. 1.*

Aures paruæ malorum morum sunt indices: magnæ autem arrectęque vltra modum stultitiam, aut loquacitatem attestantur: mediocres optimorum morum notam habent.

Gal. qđ ani. mor seq tẽp. corp. c. 8. ex Arist.

Aures fuerunt duæ ad hunc finem, vt si forte vna à proprio munere impediretur, auditus in altera conseruari posset.

Dubitant nonnulli cur homo vnum sonum duos esse non Iudicat, cum duabus ipsum hauriat auribus: quia scilicet nerui qui ad aures veniunt, ut auditum constituant, in propria vniuntur origine, & sic fit vnio specierum, quæ per ipsos neruos deferuntur. contra, si talis vnio neruorum in proprio fonte sufficere ab vniendas species audibiles, pariter vnio specierum visibilium in origine neruorum opticorum sufficeret ad vniendas species visibiles: & sic frustra esset secunda vnio in medio ipsorum. dicas quamuis prima vnio satisfaciat specierum coniunctioni: secunda tament confert non modo

vnioni ſpecierum viſibilium, verum etiam vt ſpiritus viſibilis citò deferri poſsit ab vno clauſo, & impedito ad alium oculum non clauſum, neque impeditum, & vt alter alteri in videndo ſuppetias ferat.

Auditus, ſicuti cæteri ſenſus, proprium habet obiectum, ſonum ſcilicet, circa quem ſuas exercet operationes: quem ſolummodo mediante aere, vel aqua aprehendere poteſt. eſt autem ſonus quicquid auditu percipitur, ſiue id ab ore animalis proficiſcatur (quam vocem appellamus) ſiue ex aliorum corporum colliſione: & eſt qualitas quædam ex tertijs qualitatibus proueniens ex motu diſrumpente ipſum aerem, neque perdurat, ſubſiſtituè niſi quandiu perdurat motus.

Tunc maximè fit ſonus quando duo corpora ſolida, plana, læuiaque ſe mutò concutiunt, impelluntque: ex tali enim motu aer in medio exiſtens æqualiter, affatimque ui quadam eliditur: vnde ſonum emittit. quòd ſi corpora eſſent aſpera aer elidi non poſſet, ſed inter eorum partes elatas, & depreſſas remaneret. pariter ſi eſſent mollia, vt pannus, lana, xylinum, nam in percuſsione ſibi cedunt, neque aerem vi expellunt.

Item ſi eſſent acuta non poſſunt cauſare ſonum: hæc non expellunt, ſed penetrant, diuiduntque aerem.

Corpora ſonantia vt aurum, argentum, æs, cuprum, ſtannum, oricalchum, ferrum, quamuis ictu æquali percutiantur, attamen non æqualiter, ſed nonnulla remiſſum, nonnulla acutum edunt ſonum: huius diuerſitatis cauſa eſt, quia plus aeris illa in ſe cotinent, hæc autem minus, & non habent ſonum niſi effectiuè, quia ipſum in aere faciunt pariter niſi effectiuè audiuntur.

Item quandoque cauſatur ſonus non modo ex concuſſu corporum ſolidorum, ſed ex ſciſsione, vel abſtractione partis ab alia parte eiuſdem corporis, vt in panno, & in ligno ſciſsili experiri licet: nam ſicut in percuſsione expellitur, ita & in ſciſsione, & fractione ſcinditur, & frangitur aer ſonum emittẽs. Aliquando ſonus fit per impulſionẽ aeris ad aliquod corpus durum, quamuis impellens ſit molle, patet hoc in pulmonibus aerem, ad tracheam impellentibus. fit etiam ſonus

ex constrictione aeris in aliqua concauitate tereti; vt in fistulis, calamis, follibus, & antris quotidiè fieri videmus. nonnunquam causatur sonus ab aeris fluctuatione, cum videlicet aer, spirante vehementi vento, proijcitur super aerem antequam prior posteriori aduenienti cedere possit.

Causa igitur materialis soni non ex qua (nam est accidens) sed in qua, vt in subiecto fit sonus, erit aer: & non modo aer, verum & ipsa aqua, hæc tamen minus quàm aer, & minimè per se: quòd autem aqua in mistis cum aere sonoræ facultatis aliquo pacto sit particeps, manifestum fiet, si circa poculi summitatem humidum digitum duxeris, etenim sonus quidam resultet expressi à digito aeris in poculi concauitatem incidentis. pariter si aquæ plenum fuerit poculum videbis in digiti circumductione plurimas aspergines aquæ sursum mitti: & inferius motum, & subsultationem, cum in aqua sit, qui compressione incidit aer, digito aquæ motum faciente.

Sed dubitatione dignum est, si enim qui in percussis solidis corporibus aer intercipitur, propterea sonat, quod sonorum traiectricem ipse facultatem habeat: & aere omninò opus est, vt sit sonus: cur & in aqua percussis solidis corporibus, quæ intercipitur aqua, sonum non edit, cum & ipsa personantem facultatem habeat? dicimus quòd coaceruatim eorum, quæ feriuntur, concursum fieri oportet, vt frequens, & densus exprimatur, & non paulatim, aer, qui intercipitur, hoc autem in aqua nequaquam fieri potest, propter eius partium crassitudinem. concurrentibus itaque ijs, quæ feriuntur, ante percussionem aqua prius paulatim exprimitur. præterea aer cum sit suapte natura mobilis, eo quòd sursum ex principio feratur, si impelli contingat, à protrudente impetu fertur, eo, qui illi deinceps est proximus, diuisio. in aqua non hoc itidem accidit; cum enim natura grauis sit aqua, multa vi opus habet, vt protrudatur. sed & si non sonat aqua, habet tamen sonorum transuectricem facultatem: non enim aquam hic moueri oportet, sed eius tantum perfici potentiã; & ideo qui in aere fiunt, sonos sentiunt vrinatores, & pisces, quamuis non similiter: quemadmodum neque similiter perspicua

ſpicua eſt aqua, vt aer: ſic neque odorum, neque ſonorum tranſportatrix.

Cauſa efficiens ſoni eſt violenta aeris impulſio alium aerẽ circumſtantem frangens. vt ſonus fiat requiritur percutiens, & percurſum, & aer impulſus frangens aerem: vel requiritur aliquid quod horum vicem ſuppleat: vt quando aerem percutimus flagello, vel virga, ſic vt ſonus fiat, tunc enim aer duos ſupplet vſus, & eius quod percutitur, & eius quod intercedit.

Cauſa formalis ſoni eſt motio, vel fractio aeris taliter facta vt ſonum edat.

Cauſa finalis ſoni per ſe eſt perfectio auditus. differt ſonus ab alijs ſenſibilibus: nam omnia alia ſenſibilia in corporibus miſtis exiſtentia inſequuntur modum miſtionis elementorum ad inuicem. & ſunt qualitates quædam fixæ, & in ſubiecto quieſcentes vt patet de caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate: de colore, ſapore, odore. ſed ſonus non ſequitur miſtionem elementorum: imo motum localem aeris in actu motus: quamdiu ſtat motus, ſtat etiam ſonus: & recedente motu recedit ſonus. dicunt nonnulli quòd licet ſonus non ſit realiter in aere vſque ad auditum, in toto tamen illo aere multiplicatur vſque ad auditum cum motu locali ipſius aeris: quæ quidem multiplicato eſt cum motu circulari ipſius aeris: ſicut euenit de lapillo proiecto in aqua: in ea primo cauſat circulos paruos, deinde magnos. quod autem fiat motu locali, & in tempore patet, quia prius videtur percuſsio, quam audiatur ſonus: præterea ſonus impeditur à ventis quò minus audiatur: non autem viſio, quæ fit in inſtanti: & hęc eſt cauſa (dicebat Auerroes) quare homo audit vltra murum, nequaquam autem videt.

Arist. 2. de an. tex. com. 81.

3. Collig. cap. 37.

Sonus autem reflexus, qui Echo dicitur, fit per reuerberationem à duris, ac reſiſtentibus, & læuibus corporibus maximè autem concauis, à uoce percuſſo aere. qui enim loquitur trudit omnem ferè circuncirca aerem, præcipuè eum, qui anterius eſt (& ideo magis audimus hominem, qui ad nos reſpicit, loquentem, quàm auerſnm) hic ergo aer truſus quando ad aliquod durum, & reſiſtens, quod concauitatem habeat,

cuiusmodi sunt antra, delatus fuerit, cum vlterius progredi non posit, retrocedit cum propria operatione, hoc est sono: sicque sonum reflecti contingit, vt sphæram proiectam ad eum, qui proiecit. quando sphæra expellitur, & impingit ad aliquod obiectum resistens, contingit in ea motus similis primo motui: sic & Echo auditur post primum sonum, quasi respondens: quia inter omnes duos motus est quies.

Auer. 8. phy. tex. co. 62. & 2. de Ani. tex. co. 80.

Videtur (inquit Arist.) semper fieri Echo, sed non aperta, nisi in locis concameratis, & sonum repercutientibus: si quidem accidit in sono, sicut & in luce: nam lux semper reuerberatur: neque enim vndique lux esset, sed tenebræ extra id, quod est apricum, & soli expositum: sed non sic reuerberatur, sicut ab aqua, vel Aere, vel speculo, vel aliquo alio ex lænibus, vt umbrā faciat qua lucem terminamus.

Auris temperamentum à prædomio naturaliter est frigidū, & siccum, per accidēs potest esse calidum & lumidū: & potest affici quauis specie ægritudinis tàm simplicis, quā compositæ.

Auditus conseruatur debito in sex rebus non naturalibus regimine adhibito. exerceatur circa melodias, voces lenes, sonoras: & singula hebdomada oleum amygdalarū amararum in aures prius à sorde expurgatas semel instillabis, est enim mirabile. quod si periculum imminet ne apostema per viam defluxus à capite in ijs excitetur, collyrium de glaucio ex aceto adhibebis: est enim repercusiuum, & membri corroboratium: quòd si ab auribus sanies per interualla emanare solet, non compescatur nisi maxima adhibita consideratione, ne materia retrocedat ad cerebrum hinc apoplexiam, aut uertiginem, aut ueternum, aut Epilepsiam, aut surditatem faciat. Qui aures, & auditum incolumem seruare cupit à uentis præsertim austrinis, à nimio frigore, à caliditate: à uehementi sono, ut bombardarum, tonitruum; à stridore ferri, ut limæ, uel serræ caueat: itē ne aqua frigida, uel pulex, uel musca in aures ingrediatur: uel nucleus, uel lapillus, uel argentum uiuum, uel quid aliud intromittatur. sitque memor quòd satietas nauseatiua, nimia cibi, & potus uarietas, & repletio, somnus statim post repletionem sunt ex ijs, quę non modo auditum, sed cæteros omnes hebetant sensus.

περὶ τῆς ἀκοῆς λεπτῆ.

De Auditu diminuto. Cap. II.

Auditus diminutus est quando patiens eminus, cominusque verba, & sonos difficilè audit. & sub indebita quantitate, & mensura, quia scilicet sonus non ita grauis, vel acutus, vel altus, vt est, ab eo comprehenditur. huiusmodi hominem surdastrum, & surdulum dicimus. Auic. tarxen, seu tharsen hoc nocumentum vocauit. nos cum Gal. auditus grauitatem appellabimus. est symptoma in genere noxæ functionum animalium.

Al'as tharsen.

De symp. diff. cap. 3.

Causa.

Auditum diminutum reddit aer nimis frigidus corrumpēs aerem innatum intrinsecum: item venti Australes hebetātes: casus, percussio: multi, & continui sterpitus: & cætera quæ extrinsecus aduenire solent. vt lapilli, grana, nuclei, hirudo, aqua. vel intrinsecus generantur, vt abscessus, caro meatui superaddita, sordiū copia. item mala complexio, vt plurimum, frigida: aliquando etiam calida cum materia, vel absque materia, flatulenta, vel non flatulenta, per se, vel per consensum, vt in ortu, & dolore dentium, in vomitu, in febribus, in apostematibus auri vicinis: item in euaporatione à vermibus, à crassitie, & tenuitate spiritus experiri contingit.

Signa.

Quòd auditus sit à causa primitiua diminutus, vel febri, vel alteri morbo successerit, vel per consensum ab aliquo mēbro causatus fuerit, cuiuis etiam mediocriter erudito fiet manifestum.

Quòd si à mala temperiè calida, vel frigida originem habuerit, in primis sensus, postea medicinæ indicabunt applicitæ iuuantes, vel nocentes, pro vt erunt similes vel dissimiles ipsi discrasiæ. Verum in his Medicum quandoque decipi contingit: nam si cum tali intemperie plethora affuerit, æger lædetur & à similibus, & etiam ipsi morbo contrarijs. itaque si discrasia fuerit calida læditur à calidis materiam dissoluen-

tibus: item læditur à frigidis ratione compreſsionis ſolutionem continui inducentis. Sed ſi materia fuerit prius euacuata tunc calida leuabunt diſcraſiam frigidam, & frigida calidã.

Auditum ob humiditatem diminutum eſſe oſtendit catarrhus continuo inſeſtans: facies tumida: & ipſius capitis grauitas. Item accipe ſpongiam panno lineo inuolutam, & auri, ſuper quam dormiturus eſt, adhibe, ſi mane pannus maculatus fuerit, ſignum humiditatis ſanioſę certum habebis.

Ob ſiccitatem oſtendent vigiliæ præcedentes, labor, nimia exercitatio, curæ, inedia, & habitus corporis gracilis.

Si auditus fuerit diminutus ob ſpiritus proprio organo deſeruientis tenuitatem, patiens non audiet niſi vocem propinquam, & ſubmiſſam: per quam aer paulatinè dilatatur, vnde non turbat ſpiritum: ſed ipſum moderatè, & ſuauiter mouet. Si fuerit ob ſpiritus craſsitiem, voce magna, & vehementi opus eſt: quæ aerem impetu dilatare, & ſpiritum rarefacere poſsit. quæ ſpiritus incraſſatio vt plurimum fit poſt aliquos morbos materia criticè ad illas partes expulſa.

Si auditum minui acciderit propter uerrucam, aut ſordem, aut eſcharam, aut ſanguinem grumoſum, aut carnem ſuperadditam: vel propter quid aliud in auris cauitate repertum, manifeſta habebis ſigna cum ægrum lumini oppoſitum ſedere facies, & in eius aurem diligenter aſpicies.

Raſis. 9. ad alman.

Auditum diminutum à uermibus oſtendit pruritus, titillatio, & dolor, & ſi qui ab aure ceciderint uermes.

Prognoſtica.

4. aph. 28.

Quibus biliosæ deiectiones, ſuperueniente ſurditate, ceſſant: & quibus ſurditas, ſuperuenientibus biliosis deiectionibus, ceſſat. non de habituali difficulter ſolubili ſurditate intelligendum eſt (inquit Gal.) ſed de ea, quæ repente in febribus, uel aliter fit, recurrente ad cerebrum bile. ipſa ſiquidem cum meatus auditorios occupauerit, efficit ſurditatem, ſeu auditum diminutum. cum uero hinc, ipſa natura expellente, ad excretionem peruenerit, ſoluit ſurditatem.

4. aph. 60.

Auic.

Quibus in febribus aures obſurduerunt: ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata ſoluit morbum. ſurditas, ſeu auditus diminutus, qui uomitui ſuccedit, facilis eſt curatiõis.

Sur-

Surditas accidentalis, & recens, curatur: natiua, & antiqua, quæ scilicet iam duos pertransit annos, est incurabilis: & præsertim in senibus. Mesue.

Cura.

Quantum ad diætam spectat, Aer eligatur clarus, subcalidus, ad siccam vergens. caueat à ventis, & præsertim austrinis: ab aere frigido, & humido. cibus sit attenuans, & flatus discutiens. laudatur panis ex optimo frumento benè coctus, & fermentatus. item carnes pullorum, caponum, columborũ, alaudarum, coturnicum, turturum, turdorum, veruecis, hædi, vituli lactanti, & similes. item oua recentia, & tremula. pisces saxatiles (quamuis omnium piscium vsus sit suspectus) aliquando conceduntur. legumina fugiat vt potè flatulenta: Ius tamen ciceris non denegatur, pariter hordeum, far, milium, oriza. ex herbis autem fœniculus, serpyllum thymum, origanum, amaracus, petroselinum, hyssopum, mentha, borrago, calamintha, ruta, melissophyllon, coronopus, crithmum, asparagus, capparis, & huiusmodi. ex fructibus conueniunt ante cibum ficus in propria arbore pendẽtes semisiccatæ: item vuæ maturæ, & pensiles. post cibum cotonea, & pyra sub prunis cocta: amygdalæ, auellanæ, pistacia, nuclei pinei.

Potus sit aqua mulsa: aut vinum pauciferum aliqualiter stipticum.

Exerceatur manè in loco calido ante cibum (prius tamen exonerata aluo) vel frictiones vicem subeant exercitij.

Ventris beneficium spontinum, vel clysteri procuratũ quotidiè habeat.

Sominus non excedat septẽ, vel octo horas sit noturnus, & minimè diurnus, à cibo multum distans: dormiat capite eleuato (talis enim positura ne caput vapores suscipiat, & repleatur prohibet) in cubili calido, & corpore infra collum pannis optimè munito.

Venerem raro, & stimulatus inibit. malisque animi accidentibus sapiens imperabit.

Circa pharmaciam, si materia fuerit crassa, & viscida digeratur prius syrupis incidentibus, & attenuãtibus vt est mel

rosaceum, oximel simplex, compositum, & scyllinum syrupus de stœchade, de betonica cum aquis amaraci, saluiæ, hyssopi, fœniculi, calaminthæ, origani. post debitam coctionem euacuabitur cum pilulis fœtidis, cochijs, aggregatiuis, alephanginis, cum hyera simplici, vel hyera cum agarico, vel hyeralogodione.

Si fuerit materia tenuis, absque ulla premissa digestione euacuari poterit, præsertim si exituræ disposita videbitur, & nulla in corpore oppilatio obstiterit. vel digeretur syrupo violaceo, cichoraceo, de nymphea, de cichoreo Nicoli cum rhabarbaro simul cum aquis stillatis intybi satiui, rosarum, cichorij, violarum. vel cum decocto hordei, lupulorum, violarum, oxalidis, portulacæ, borraginis, intybi, seminum cucurbitæ, melonis, cucumeris, & huiusmodi. postea euacuabitur hyera simplici, vel hyera cum rhabarbaro, vel pilulis aureis: vel, Recipe floris casiæ ℥.s. Elect. de psyllio, rhabar puluer. ana ʒ.i. commistis omnibus fiat bolus. vel, Recipe rhabarbari electi ʒ.ij. spicæ ℈.i. concidantur minutim, & infundantur in aquæ cichorij, vel borrag. vel oxalidis ℥.iij. per duodecim horas: hinc, valida facta expresione, colentur: & colaturæ addatur Elect. de succo rosarum, de psyllio singulorum ʒ.i.s. & fiat potus in aurora propinandus.

In euacuatione dicebat Auic. multiplicetur numerus, & minuatur eius quantitas omni vice, quatenus conseruetur virtus, & proueniat maturatio. pariter dicebat Mesues euacuetur bilis euacuatione post euacuationem. ratio huius moniti est, quia materia in capite existens difficile vno conatu euacuatur. subita enim, & violenta euacuatio à natura regulari non potest, vnde operatur sicut impetus flammæ, quæ statim comburit quod tenue est, & præterlabitur crassum. opus autem moderati caloris est in vtranque partem videlicet assabilis, & elixabilis æqualiter agere.

Circa chirurgiam, si in toto plethora, vel sanguinis redundantia adfuerit: vel humor pecans cum sanguine educibilis videbitur: phlebotomia ex vena communi prior, deinde (si opus fuerit) ex cephalica, seu humeraria fieri debet. hinc ad diuersiones per cucurbitulas, per caput purgia, masticatoria,

garga-

gargarismata, & tandem ad localia ipsa deueniendum: in quibus adhibendis nonnullæ, regulæ obseruari debent: primò, quòd talia semper sint actu tepida, non autem intensè calida, neque frigida. Secundò quòd singula quaque tertia hora medicamentum auferatur, ne ob longam moram imbibitum, tympanum auditus relaxet, & ad profundas cauitates penetrans organum corrumpat. Tertiò quòd nouum medicamentum non imponatur, nisi postquàm auris à sorde præcedentis medicamenti optimè expurgata fuerit. ad hoc confert tussis, & sternutatio: qui motus (dummodo caput non sit debile aut læsum) ad talem expurgationem assequendam multum facit. Quartò quòd localia non excendant singula vice tres, vel quatuor guttas (multa enim quantitas damnosa est) & vt facilius ingredi, & egredi possint liquida imponantur. Quintò quòd post medicamenti impositionem patiens super partē sanam iaceat. Sextò quòd si emplastris, suffumigationibus, & alijs extra applicitis curam perficere potes, securiorem nactus es viam: etenim quæ intra aures mittuntur vix vnquam benè propter loci anfractus extrahi possūt: vnde quæ in principio iuuant, si putrefieri contingit, in fine nocent. Septimò quòd ante vniuersalem euacuationē, nullū locale adhibeatur.

Auditus diminutus ab intemperie absque materia curatur sola alteratione ad contrarium: vt si intemperies fuerit calida cum localibus frigidis certandum est, oleis scilicet, & alijs oportunis: vt est hoc Auic. Recipe succi mali punici medij saporis ℥.i. olei rosati ʒ.vj. aceti ℥.s. thuris puluerizari ʒ.j. misceantur omnia, & in cortice ipsius mali bulliant vsque quò inspissata fuerint, & vtitor. vel floccos xylini in aqua solani, vel lactucæ, vel in oleo violaceo, aut rosaceo, aut nympheæ intinctos auri imponito.

Si autem fuerit diminutus à frigiditate, vel à materia frigida, post euacuationem, curatur oleo, in quo castoreum fuerit dissolutum, vel oleo costino, vel oleo amygdalarum amararum. vel, Recipe rutæ, absinthij, foliorum lauri, altheæ ana. m. i. vini albi lib. ij. aquæ fontis lib. iij. bulliant simul ad vini, & aquæ tertiæ partis comsumptionem, & in tali decocto spongia madefiat, & optimè expressa auri per spa-

tium trium horarum adhereat. quod remedium sæpius reit erari debet, eodem seruato periodo. quòd si validius efficere cupis addatur castorei ℨ.s. amygdalarum amararum, baccarũ lauri ana ℥.s. vel Recipe foliorum hędere muralis m.ij. cepæ lib.s. coquantur in hydromele q.s. inde contundantur, & fiat emplastrum auribus, foramine clauso, adhibendum. post huiusmodi fomenta aurem expurgatam xylino moschato ab aeris frigiditate munies. vel, Recipe olei amygdalarum amararum ℥.iiij. succi raphani, qui comeditur ℥.vj. moschi puluerizati ℨ.s. bulliant omnia ad succi cõsumptionem in phiala bene obturata, & suspensa in aqua feruente: & cubitum ituro duæ guttæ prędicti olei in aurem stillẽtur. valent pariter euaporationes per calamum ad aurem trãsmissæ: sit vas stricti orificij in quo succus rutæ, absinthij, mel, castoreum, & oleum anethi bullierit: vapor eleuatus, ab orificio vasis per arundinis cauitatem ad aures deferatur. vel, Recipe stæchadis, florum chamæmeli, meliloti, seminis anethi, saluiæ, amaraci, calaminthæ, asari, betonicæ, foliorũ lauri singulorum m. s. bulliant, & fiat euaporatio. postea mittatur in aurem fel taurinum cum succo rutæ coctum, & colatum: aut aqua sublimata ex elleboro felli anguillæ admista.

Si auditus fuerit à siccitate diminutus curabitur cibo, & potu restauratiuo, balneo, embrocis super caput, & inunctionibus, & caput purgijs ex oleo salicis, nympheæ, & similibus humectantibus.

Si auditus per consensum alicuius membri, vel apostematis fuerit debilitatus: curato illo membro, vel apostemate restaurari solet.

Si autem talis debilitas contingit ob sordem, aut escharã, aut sanguinem grumosum curabitur chirurgia & emollientibus: ægro igitur ad radios solares constituto Medicus aurem manu arripiet, extendetque vt foramẽ dilatari possit: deinde aurifcalpio partẽ auris internã expurgabit, & escharã, vel sanguinẽ grumosũ leniter extrahet, quòd si in abditis partibus hæc indurata fuerint hydromele, vel oleo amygdalarũ amararũ intromisso prius mollescãt: vt facilius inde educi possint.

At si propter verrucam, aut carnem super aditam debilitatus

tatus est curam non recipiet, vel difficile, & maximo cum discrimine: nam huiusmodi verruca, & caro superaddita non potest, nisi medicamentis causticis, & in lõgo temporis processu remoueri: ex quorum applicatione excitatur dolor, materiæ fluxus, obstructio, hincque surditas.

Si verò fuerit propter vermes diminutus: confert oleũ ex nucleis persici, aut succus foliorum eius, aut succus menthastri, vel absinthij, vel radicis mori, vel cucumeris asinini, vel centaureæ, uel lupinorum, uel calaminthæ. aut aloes in aqua dissoluatur, & indatur, hæc enim vermes auris; & parua animalia quæ eam ingressa sunt, vel in eius vlceribus nascuntur, interficiunt. vel, Recipe sulphuris viui, calcis viuæ. q. s. conficiantur cum melle, & cum aceto instillentur.

Rasis 9. ad alman.

Hirudinem, quæ natanti, uel propè aquas stagnantes dormienti in aurem repsit, ad exitum allicies sanguine columbæ orificium auris deliniens: vel penna cruenta intromissa, quod si iam adhesit, aqua salita separabitur, & tussi, vel sternutatione educetur.

Calculos, grana, nucleos, & huiusmodi alia in aurem incidentia, & auditum obstruendo diminuentia; educunt pix, viscum, gummi, resina lentiscina, terebinthina, picea, larigna, vel specillum auricularium xylino, aut lana inuolutum in rescinam, aut gummi, aut aliud quoddam glutinans medicamentum intinctum in aurem demittatur, ac quod in ea est protrahatur. si hoc modo nihil succedit, oleum calidum continuè instillabis, & sternutamentum prouocabis: vel cucurbitulam magnam, quæ totam comprehendat aurem, applicabis, vel patiens balneum ingrediatur donec corpus mollescat: inde puluerem ellebori ad intra nares sibi insufflari iubebit: quibus simul cum ore astrictis violenter sternuet, vt flatus ad aures impulsus calculũ, vel nucleũ expellere possit. Caue tamen ne olei instillatio fiat quando faba, aut phaseolus, aut cicer, aut aliud simile ex leguminibus extrahendum est: nam per ipsum oleum immissum tumefieret, dolorem augeret, & difficiliorem haberet exitum, ex expertis ad extrahendas res infixas est caput lacertę abscissum, & adhuc palpitans adhibitum.

Paulus lib. 3.

Denique his remedijs nihil proficientibus, quoniam Apostematis, & spasmi periculum imminet, incisio fiat in parte auris inferiori (vt benè Paulus docuit) hincque extracto calculo, vel nucleo. Vlcus suturis committet, & medicamentis ad cruenta inscriptis peritus curabit chirurgus.

Lib. vj.

Quòd si aqua aurem ingressa fuerit, capite ad partem illius auris inclinato, saliat æger: si autem non exierit, sternutatio (vt dictum est) excitetur, & oleum tepidum immittatur. vel Syringa argentea foramini auris adaptata, seruus aliquis ore sugendo aquam eliciat. vel siphonibus hauriat. vel e lychniũ canabinum, aut xylinum in aurem altera parte ponatur, altera vero promineat: & totum, quod prominet, oleo madefactum igne comburatur quousque ad aurem ventum sit, quę prius lamina plumbea, aut ferrea muniri debet, vt ignis contactus caueri, & aqua per ipsius ignis propinquiorem caliditatem attrahi possit. vel spongiæ frustum auri indatur, & postquam humiditatem imbiberit filo appenso educatur. Nonnulli fomentis calidis, & siccis huiusmodi aquæ discussionem moliri solent.

Rasis 9. ad Alm.

περὶ ἤχου τῶν ὤτων.

De Aurium sonitu. Cap. III.

AVditus corruptus est quando incessanter patienti sonum audire videtur: qui quamuis intra ipsas aures sit causatus: imaginatur tamen patiẽs quod in parte longinqua, & in aere externo fiat: quem sonum nonnulli tinnitum, nonnulli sibilum vocant, pro vt sub tono graui, vel acuto, vel remisso, vel sub forma soni aquæ decurrentis, aut venti sibilantis percipitur. Hæc dispositio: inquit Auic. est vox, quam homo continuè audit absque causa exteriori ac si esset exterius. potest considerari vt symptoma: & vt morbus cum immediatè lædat operationem sensus communis, seu maginatiuæ.

Auic.

Huiusmodi sonitus talem habet ad aures comparationem qualem

qualem imaginabilia phantastica, & tenebræ ad oculum, quas videt homo, vel videre putat absque visibili exteriori manifestè oculis præsentato: quæ similitudo in hoc primò consistit, quia sicut imaginationes in visu non sunt veræ, sed phantasticæ, sic prædicti sonitus in auditu. Secundò quia sicut nonnulla imaginabilia, procedunt ab acie visus, nonnulla ab alij causis: pariter aliqui sonituũ ab acumine auditus eueniũt, aliqui ab alijs causis. Tertiò quia sicuti imaginationes in visu fiunt vel per propriam essentiam in ipso organo, vel per consensum ab alio membro: sic & in auditu tinnitus, sibili, & sonitus.

Est autem hæc operatio corrupta duplex: vna quæ prouenit ex subtilitate, & claritate auditus absque ipsius organi nocumento, vt quando apprehẽditur sonitus vaporis tenuis, a quo nunquam auris quãtumcumque sana destituatur, ac si esset exterius: est quidem operatio corrupta, sed non corruptè læsa cum nulla sit læsio in partibus auris, neque in temperie, neque in spiritu, neque per consensum aliunde missa. alia operatio auditus est corrupta corruptè læsa nam cum læsione auris aduenit. comprehensio minimi sonitus, quæ fit ab aure sana optimi auditus, non est operatio corrupta, neque corruptè læsa: in aure autem debili, sed acuti auditus erit læsa per intensionem; quòd si senserit minimum vaporem facientem opinari sonum esse exterius, cum sit interius, erit non modo læsa per intensionem, verum etiam corruptè læsa. hinc tres emergunt dubitationes: Prima: an sicut auditus læditur per intensionem, pariter & visus & quæcunque alia operatio animalis per intensionem lædatur. dicimus, quòd, stante organi fortitudine, lædi non potest: secus autem euenit quando ipsius adest imbecillitas. Verum tamen si considerabis ea, ad quæ huiusmodi operationes diriguntur, nunquam per intensionem lædi poterunt: nam operatio visiua, vel auditiua non potest acutius videre, vel melius audire quàm sensui communi, aut cogitatiuæ, aut intellectui conueniat, ad quem diriguntur. fallit in operatione appetitiua, quæ magis appetere potest, quam facultati concotrici, aut nutritiuæ, ad quas ordinatur, conueniat.

Debilitas,

Debilitas, & fortitudo operationis ex resistentia parua, vel multa excellentibus sensibilibus arguitur.

Secunda dubitatio est, vtrum aer in aure complantatus, & naturalis permutetur, vel idem continuè permaneat in corpore sano. dicas talem aerem non esse de genere aeris extrinsere, sed vaporem quemdam à natura ibi genitum, & instar spiritus resolutionem, & restaurationem accipere.

Tertia dubitatio est, nunquid ad percipiendum sonum, præter aeris extrinseci, & intrinseci motionem, requirantur species repræsentatiuæ soni, sicut ad videndum requiruntur species coloris. dicas, quòd vltra motum duplicis aeris dicti requiruntur species soni: secus enim non distinguerentur varij concentus, & harmoniæ, quas in cantu audire solemus.

Causa.

Causa sonitus seu auditus corrupti per intensionem, & sensus audiendi subtilitatem vnde homo turbari, & à melioribus operationibus impediri solet est instrumentornm dispositio: vt si foramen auris esset nimis latum, aut non congruè aufractuosum: nel si menix auditus esset nimium tenuis; vel neruus auditiuus esset textura multum alterabili conflactus, aut debita humiditate priuatus; vel si spiritus essent nimium tenues: vel complexio corporis multum sicca hæc enim omnia organum auditus ita disponunt, vt quodlibet obiectum extrinsecè vel intrinsecè occurrens facilè ab eo sentiatur. Causa sonitus, seu auditus corrupti, quia factus sit obtusus, sunt humores, flatus, & vapores crassi, & multi: qui aggregantur in cerebro propter ipsius debilitatem à mala temperie frigida, & humida prouenientem: vel propter apostema, quod in auribus suppuretur. vel mittuntur à toto, vt in morborum crisibus quandoque accidit. vel à membro particulari vt à ventriculo, materia ibi per vomitum agitata, & in vapores conuersa, vel multa fame infestato (tunc enim calor agens in humido fumositates biliosas excitat) uel ab hepate; vel à splene, uel à matrice, mensibus retentis, & euaporantibus: uel ab hæmorrhoidibus suppressis. nonnunquam causa est procatarctica, sicut aer multum frigidus, uentus australis replens: cibi, & potus vaporosi: ebrietas: crapula:

ſomnus ſuperfluus, & præſertim immediatè ab aſſumpto cibo: nimium exercitium colliquans humores, & in vapores conuertens: caſus, percuſsio: & inter animi accidentia Ira, & ad aliquid peragendum, attentio, & ſpeculatio.

Signa.

Sonitus à cauſa procatarctica cognoſcetur ex relatu ipſius patientis.

Sonitum: qui fit propter intenſionem, & ſenſus acuitatem, ſignificat defectus cauſarum flatus, & repletionis, & mundificatio auditus, & eius excitatio apud ieiunium & euacuationem, & cæteræ cauſæ ſuperius adductæ. Auic.

Signa ſonitus in proprio auditus organo per ſe existentis ſunt quia in cæteris corporis partibus nulla adeſt læſio, & ſonitus eſt continuus.

Signa ſonitus per conſenſum ſunt quia interpolatus, & intercalaris aduenit: & ad incrementum diſpoſitionis membri conſentientis creſcit, & ad eius remotionem remouetur.

Signa ſonitus ob debilitatē nerui, & meningis auditus ſūt, quia patiens ab omni ferè ſtrepitu læditur: neque audit niſi diſtinctè, & alta voce loquentes.

Signa ſonitus à flatu ſunt, quia percipitur aſcenſus vaporum à partibus inferioribus quando eſt per conſenſum: aut ventus quidam vorticoſus, ſiue circum volutus, & perſiſtens quando eſt per ſe. qui ſi fuerit paucus, ſed multo impetu motus ſibilum cauſabit. ſi fuerit cum notabili humiditate, tinnitum pluuiæ ſuper imbrices imitabitur. ſi à craſſa, & terreſtri humiditate eleuatur tonitum: ſi cum ſiccitate arborum fragorem patienti audire videbitur.

Signa ſonitus propter criſim ſunt manifeſta à ſæuitate morbi præcedentis: à quo (vt dicebat Auer) rarò fit euaſio abſque detrimento alicuius membri. pariter ſonitus ab apoſtemate per cognitionem apoſtematis fit notus. 7. collig. c. 31

Prognoſtica.

Leuiſsimum hoc vitium vbi ex grauedine eſt. peius, vbi ex morbis, capitis vè longis doloribus incidit. peſsimum, vbi magnis morbis venientibus, maximeque comitiali prouenit. Celſus lib. 6.

Huiuſmodi auditus corruptio, ſi à natiuitate fuerit nunquam,

quam, si accidentalis, & chronica rarò, & difficile curatur.

Sonitus, tinnitus, & sibilus diu perseuerantes ad surditatem ægrum deducere, & incurabiles fieri solent.

Cura.

Quoniam prædicta affectio vt plurimum à viscidis, crassis, & flatuosis humoribus originem ducit: victus attenuans, ad calidum, & siccum vergens, ex cibis optimi succi, & facilis digestionis proponitur. panis sit ex optima farina, fermentatus, & aliquantulum salitus, & benè coctus. conueniunt pulli, auiculæ montanæ, vt passeres, turdi, merulæ, columbi, turtures, ficedulæ, perdices, phasiani, caro hędina, veruecis, vituli lactantis, capreoli Iuuenis, leporina vnius mensis. vitabit carnem porcinam recentem, & salitam, item carnem bubulam, ceruinam, anseris, anatis, animalium intranea, & præcipuè omasum. pisces sint saxatiles, & squamosi: improbantur cetacei, & duræ carnis vt polypus. fercula sint ex pane, & ouo, ex milio, farre, hordeo, borragine, fœniculo, petroselino, ruta, & ex herbis odoriferis vt calamintha, amaracus, serpyllum, hyssopum, mentha, origanum: abstineat à laganis, à caseo, fungis, & tuberibus à cucurbita, lactuca, & ab euaporantibus, vt sunt allia, cepæ porrum, legumina: in acetarijs vtatur cichoreo cocto, capparibus, asparago, smyrnio, dauco. nunquam ad saturitatem exquisitam comedat: & inter prandium, & cęnam spatium saltem octo horarum interponatur: quæ cæna vel nulla, vel prandio minor erit. vinum generosum, & vinosum denegatur. bibat itaque mulsam, vel decoctum passularum cum cinnamomo, vel succum mali punici dulcis: quòd si æger in hoc morosus fuerit, bibat vinum in pauca quantitate album, clarum, & oligophorum vel satis superque lymphatum. post cænam, nisi per duas horas cubitum ire non debet. dormiat capite eleuato prius super latus dextrum, postea super sinistrum. somnus non excedat septem horas. caueat à venere nisi stimulatus, & ab animi accidentibus, vt tristitia, & multa cogitatione, exerceatur ante cibum. degat in aere calido, & sicco, procul à strepitu. beneficium ventris spontinum, vel arte coactum quotidiè procurabit.

Postmodum

Postmodũ digeratur materia cũ decoctis fœniculi, carui, hyssopi, ciceris, cinnamomi, & cum oximelite simplici, vel composito: vel cum aquis stillatitijs betonicæ, saluiæ, amaraci, rutæ, & similibus, vt, Recipe decocti rosmarini, stœchadis, thymi, ciceris ℥.iij. oximelitis scillini, syrupi de hyssopo ana ℥.s. misce, & in aurora per multos dies propinetur. vel, Recipe aquarum fœniculi, fumiterræ, saluiæ, betonicæ singularũ ℥.i. syrupi de stœchade composito ℥.i. misce & vtitor. cæterum, quoniam talis materia vnica vice educi non potest, per interualla euacuabitur hyeralogodione, hyera simplici; cum diaturbith, diacarthamu: pilulis cochijs, fœtidis, de hyera cum agarico, de colocynthidæ, & similibus. vniuersali euacuationi, quæ non modo per medicinas, verum etiam in principio (si plethora adfuerit) per phlebotomiam facienda est, particulares euacuationes per caput purgia, gargarismata, masticatoria succedere debent.

In aurem dandus radiculæ succus cum rosaceo, vel oleum amygdalarum amarum cum succo radicis ex cucumere agresti: vel castoreum ex aceto, & oleo laureo. veratrum quoque cum aceto contritum melle cocto excipitur, & collyrium factum in aurem demittitur. valet etiam castoreum cum oleo ros. vel amygdalarum amararum dissolutum, aut cum oleo rutaceo, aut de spica. Itẽ succus porri cũ oleo ros. lacte muliebri, & tantillo castorei permistus in causa minus frigida. ad sonitum autem ex materia multum frigida, & crassa, flatulentaque validissimum est hoc Mesuæ, Recipe ellebori albi, castorei, costi ana ʒ.i. rutæ, nitri, piperis longi ana ℈.ij. euphorbij ℈.i. succi raphani, qui comeditur, succi porri, olei nardini, anethini, chamæmelini, de amygdalis amaris ana ℥. i. coquantur ad succorum consumptionem, colentur, & vtitor. laudantur fomenta ex sacculis plenis milio, & sale torrefactis vinoque potenti aspersis. Item euaporationes ex decocto chamæmeli, meliloti, amaraci, calaminthæ, hyssopi, absinthij, origani, stœchadis, auribus per arundinem exceptæ; vt etiam in superiori capite ostensum est.

Celsus 6.

Si ob auditus subtiliatem sonitum fieri constiterit: prius victu humectante, & incrassante certandum; quo non sufficiente,

ciente, ijs, quæ ſtupefaciunt, locus dabitur: in quibus adhibendis magna opus eſt prouidentia: incipiendum à leuioribus, vt eſt oleum violatum, aut de nymphea, aut de lactucæ ſeminibus, aut de hyoſcyamo, & vrgente neceſsitate, ad validiora progrediēdum: Commēdatur vnicè oleum roſaceum, adiecto vno, aut altero opij grano. Galenus in huiuſmodi affectu mandragoræ ſucco, & papaueris liquore optimo ſucceſſu ſe vſum fatetur. aut oleum, in quo inteſtina terræ cocta ſunt, infundito.

3. de comp. med. per loca.

Aetius.

Si in febribus, aut morborum criſibus ſonitus aurium euenerit: nullum ei negotium faceſſere oportet, quippè ſtatim magna ex parte finitur. ſi autem poſt morbum perſeuerauerit, abſinthij decocto vbi aures foueris: acetum, roſaceumque infundi debet, vel raphani ſuccus cum roſaceo, aut ueratri nigri cum aceto: uel aloem optimam cum uino mulſo.

Paulus 3.

Aetius 6.

Si uerò ſonitus fuerit à cauſa primitiua, ut caſu, percuſſione, uento, crapula, ebrietate, remoueatur contrarijs ipſi cauſæ, caput, & aurem corroborantibus.

At ſi per conſenſum ab aliquo membro, ſicut frequenter ab ore uentriculi accidit: parti quæ primò afficitur, conſulendum eſt: mox mala in auribus impreſsio remouenda cum oleo myrtino, & oleo amygdalarum amararum.

Denique ad ſonitus aurium ex quauis cauſa ortos facit hoc medicamentum, quod recipit ſeminis porri, caryophyllorum ana ℈.i. moſchi g.v. cum amaraci, & rutæ ſucco: quibus parum vini dulcis additū ſit, auribus inſtilletur, eſt enim à Meſue expertum.

περὶ τῆς κώφωσιος.

De ſurditate. Cap. IIII.

SVrditas eſt Auditus omnimoda ablatio. qui hoc affectu laborant indociles ſunt: ſtolidi, & amentes videntur; ſocietate, & conſuetudine humana ferè ſunt deſtituti: harmoniæ, modulationes, cātilenæ, voces, & omnia muſicalia ab illis ſuperuacanea habentur. muneribus publicis, colloquijs, & conſultationibus fruſtra

interſunt:

intersunt: eorum conditio in multis longè peior quàm cæcorum: quapropter in huius sensus conseruatione, & reparatione multum studium cuiuis homini esse debet.

Queritur an plures sint muti, quam surdi? dicas, à natiuitate plures esse mutos: nam omnes surdi, sunt etiam muti: propterea quòd nō audientes quomodo vocem articulatam, & rationalem discere possunt? muti quam pleres sunt à natiuitate ob defectum in neruis linguam mouentibus, & ij tamen minimè surdi cum nulla sit passio in quinto pari neruorum.

At in processus ætatis plures euadunt surdi quàm muti: ob causas enim accidentaliter occurrentes maiori periculo, & læsioni subicitur auris, quàm lingua: pro cuius conseruatione (est enim gustus instrumentum, sine quo animal diu viuere non potest) Natura mirum in modum fuit operosa.

Causa.

Quamuis mala compositio, & soluta continuitas auditum auferre possit: attamen ab intemperie, vt plurimus frigida, & humida, imo ab ijsdem causis, à quibus auditus diminutus, & auditus corruptus, siue sonitus (nisi ob exquisitam sensus audiendi subtilitatem fuerit) ipsa quoque surditas originem ducit. sunt autem ipsæ causæ in auditu diminuto, & corrupto remissiores, in surditate intensiores. in perquirendis huius morbi signis non est laborandum, nam surditas per se omnibus fit manifesta.

Mesues.

Prognostica.

- Surditas natiuitate non est curabibilis.
- Surditas inueterata difficilimè curatur.
3. Surditas recens propter apostema, vel saniem, vel lapillum, vel propter quid aliud in aures intromissum, vel propter crisim aliorum morborum, maxima adhibita diligentia, quandoque sanatur.

Cura.

Eadem ferè cura surditati conuenit: quam in auditu diminuto, & corrupto conuenire dictum est: differt tamen circa purgationem, quæ in surditate ex medicamentis paulò efficacioribus, & frequentior esse debet: differt etiam circa localia, nam in surditate validiora semper requiruntur, con-

fert purgatio ex hyera colocynthide. item ex pilulis, quæ continent turbith ℨ.v. colocynthidis, myrobalanorum chepulorum ana ℨ.ij.s. sarcocollæ ℈.ij. aloes ℨ.i. fiant pilulæ cum succo rutæ: dosis est ℨ.i.

Post quàm iterum, atque iterum purgatus fuerit: gargarismata, masticatoria, & sternutationes sunt necessariæ: gargarismata fiant ex decocto stapidisagriæ, sinapis, mastiches. sternutationes autem ex elleboro albo, & pipere. Iuuant balnea thermalia, & aquæ salsæ; item equitare per loca arenosa decliuia, vehi curru: assidentium vociferatio: intra aurem impositio eorum, quæ vim habent attenuandi, & incidendi, vt est oleum cucumeris asinini, oleum raphani syluestris: euaporationes ex decocto absinthij, foliorum lauri, hyssopi, calaminthę, & aliorum huiusmodi: oportet autem alterum arundinis, vel calami extremum concauitati auriculæ congruēs esse, alterum vero in ollam perforatum operculum habentem, & vndique obturatam incumbere.

Surditati à materia frigida, & flatulenta conferunt (inquit Mesues) olea calida, costinum scilicet, anethinum, & nardinum cum castoreo, vel fiat collyrium ex aloe, castoreo, & pulpa colocynthidis partibus æqualibus, conficiantur felle vaccino, & instillantur cum vno ex prædictis oleis, vel cum oleo raphani. ex expertis est oleum raphani, oleum staphidis agriæ, & puluis ellebori albi cum aceto missus in aurem. Item, Recipe pinguedinem anguillæ emanantem dum verum assatur, & cum proprio ipsius felle admistam in vase vitreo seruabis: & vsu postulante, vnam vel alterā ex ea guttam in aurem fundes, est enim medicamentum à proprietate valens ad surditatem quouismodo causatam.

περὶ ὠταλγίας.

De Aurium dolore. Cap. V.

DOlor Auris est molesta, tristisque in ea sensatio à re contraria subitò, & vehementer imprimente. est symptoma tactus, quod interdum sæuiens curā

ad

ad se trahit: vnde tanquam morbus considerari potest. In aure duplex est actio læsa, vna auditus, de qua in superioribus actum est. alia tactus: de qua impræsentiarum agitur. & vtraque fit in eadem parte auris ab vna, & eadem causa imprimente, vt puta à flatu: nec obstat illud philosophi videlicet, quòd ab vno in quantum vnum non prouenit primò nisi vnum: nam Isti duo effectus non proueniunt ab eadem causa in quantum vna: sed in quantum ab ea causę magis immediatæ oriuntur, nam flatus secundum quòd inducit malam temperiem, & continui solutionem est causa doloris non per se, verum per accidens mediante mala temperie, & vnitatis solutione: pariter est causa auditus corrupti, non per se, sed incongruè agitãdo aerem innatum in ipso organo.

Vide Auer. 8. phy. tex. cõ. 51

Dolor quandoque fit in partibus aurium intrinsecis; quandoque extrinsecis, quandoque est periodicus: quandoque continuus. quandoque est intensus: quandoque remissus. quandoque criticus: quandoque symptomaticus. quandoque per essentiam: quandoque per consensum.

Causa.

Vniuersaliter omnis dolor fit à mala temperie; vel à continui solutione: vel ab vtroque simul vt in apostematibus experiri licet.

Auie. Ex Gal. de comp. med. loc. 3.

Mala temperies, per quam dolet auris, vt plurimum est calida, vel frigida: rarò sicca, quoniam siccitas fit paulatim, & quasi insensibiliter: & quanuis magis agat quàm humiditas, attamen inter qualitates pasiuas connumeratur: unde nisi per accidens dolorem causare potest. humiditas tãtum abest, vt per se dolorem faciat: quòd potius obtundit, ipsumque compescit.

Mala temperies calida vel est materialis, vel immaterialis. materialis est à sanguine inflammato, aut à bile, aut ab humore melancholico adusto, aut à pituita salsa putridaque. Immaterialis est ab aere calido, à uento, à lotura capitis calida, quæ natantibus in aquis sulphureis, aluminosis, salsis, & medicatis accidit.

Mala temperies frigida materialis est ab humore flatulento, pituitoso, uiscido: & quandoque ab humore melancho-

lico pariter flatulento. Immateralis est ab aere, à uento, ab aqua naturaliter frigida: uel artificialiter niue, glacie, papauere, uel opio refrigerata; & præcipuè si statim post magnum calorem aures ingressa fuerit.

Apostema, seu tumor, à quo dolor excitari pōt, uel est calidus ut phlegmone, erysipelas: uel frigid' ut œdema, scirrhus.

Solutio continui causans dolorem auris, pendet à flatu, ab ulceribus corrosiuis, à catarrho mordaci, à uermibus ibi per putredinem natis, à casu, à percussione: à lapillo, uel nucleo uiolenter in aurem impulso.

Signa.

Dolor aurium à sermone, à nutu, & à querimonia ægrotantis cognoscitur: Ideo in eius essentia indaganda non est laborandum.

Confert tamen ad curationem, scire causarum eius signa: nam aliter curatur dolor ab intemperie sine materia: aliter si humoris uitio: aliter si ab apostemate calido, aliter si à frigido: aliter si à causa interiori: aliter si à causa exteriori originem duxerit.

Prognostica.

Hip. præsag. 3. tex. 13.

Aurium dolor acutus cum febre continua, ac vehementi, difficilis est: periculum enim delirij, mortisque imminet.

tex. 14.

Natu minores, septimo die, aut citius ab hoc morbo interimuntur: natu uero maiores, multò tardius. febris enim ac delirium minus eos infestant, & aures eis ob id antea suppurantur. sed per has ætates morborum recidiuæ euenientes plurimos interimunt.

Apostemata auriū per uiam crisis euenientia ante perfectā concoctionem, & in die non critica, timore, & periculo non uacant.

Apparentibus signis concoctionis, & in die Iudiciali emergentia, præsertim in Iuuene salubria esse solet.

Cura.

Dolor auris à qualitate calida, uel frigida absque materia, Instituto debito regimine in sex rebus non naturalibus, præsertim in aere, cibo, & potu, solis remouetur alterantibus ad contrarium.

At si fuerit à mala temperie cum materia calida, à prædominio sanguinea, post vniuersalem euacuationem per phlebotomiam, quę, viribus, ætate, & cæteris consentientibus, copiosa fieri debet: postque victus frigidi institutioně, omnia ferè diuersionum genera procurabis, adhibendo cucurbitulas, balnea, frictiones, nunnunquam prouocando menses, & hęmorrhoides (si his retentis affectus successit.)

In dolore à bile excitato, victus frigidus, & humidus cõuenit: & humor peccans cassia, vel mãna, vel tamarindis, aut lupulorũ succo minoratus Syrupo violato, de endiuia, de acetos. simpl. de nymphea cum aquis stillatitijs cichorij, oxalidis, lupulorum, & similibus alterabitur: & iteratis vicibus, rhabarbaro, electuario de succo ros. vel de psyllio, vel pilulis aureis, vel hyera simpl. exhibita educetur. demum intra aurem lac humanum mitti debet, vel oleum rosaceum cum succo cucurbitę diu agitatum: vel oleum nympheæ cum lacte humano: vel oleum de papauere: vel de mandragora, cui, si dolor magis infestat, parum caphuræ addatur. valet lac muliebre cum succo solani, & mucillagine psyllij. oleum amygdalarum dulcium, in quo prius cochleæ multum bullierint. Item oleum rosaceum, in quo terræ lumbrici, vel aselli, sub hydrijs stabulantes, fuerint decocti. quandoque necesse est administrare narcotica, inter quæ magis tutum est collyrium de glaucio cum lacte mulieris, & tantillo opij subactum.

In dolore aurium à flatu, aut à crasso, lentoque humore opus est diæta attenuante: cibi sint aliqualiter calidi, & sicci in pauca quantitate assumpti & præsertim in cœna. potus sit hydromel: in morbi declinatione vinum quandoque iuuat. exerceatur mane, & vesperi ante cibum: à cibo immediate non dormiat. sicuti somnus nocturnus confert ad concoctionem, ita diurnus multiplicat excrementa, & caput malis replet humoribus. materia crassa pituitosa digeratur syrupo de bizantijs simplici, vel composito, de stœchade, de betonica, oximelite simplici, vel scillino: cum aquis betonicæ, saluiæ, rosmarini. hinc euacuabitur hyera picra, hyeralogodione, Elect. indo, diaturbith, diacarthamu, pilulis de hyera cum agarico, pilulis cochijs. particulariter autem à capite educe-

tur per sternutatoria, caputpurgia, masticatoria, & gargarismata. cubitum iturus assumat mithridatium, vel theriacam antiquam, vel aliquod Electuarium calefaciens, & caput corroborans. deinde vtatur medicamentis topicis aperientibus, incidentibus, & abstergentibus: cuiusmodi sunt oleum cinnamomi, amygdalarum amararum, chamæmeli, laurium, anethinum, cheyrinum. Item fel ouillum cum oleo communi, vel amygdalino, vel anethino. Insuper porri, & cepæ succus tepidus cum melle, aut origanum cum melle, & lacte muliebri instillatur. ad vehementiores aurium perfrictiones fel caprillum cum succo porri inditur. ex corferemibus est vt in aurem ponas oleum de scorpionibus, adipem vulpis, vel eius oleum: adipem anatis, vel anseris, & vinum in quo spolium serpentis fuerit decoctum, & desuper fiat cataplasma ex cepa cocta, & cum adipe anseris admista. Item euaporatio ex decoctione absinthij, meliloti, florum chamæmeli, stœchadis, amaraci.

Paulus.

In dolore auris à frigiditate antiqua, & in profundo fixa facit oleum, in quo euphorbium, piper, castoreum, & parum galliæ moschatæ bullierit. ad dolorem ex obstructione laudatur oleum raphani, fel capræ cum succo ari, vel succo cucumeris asinini: Interim auris sępe auriscalpio mundatur, & reseratur. ad eundẽ aliqualiter mitigatum, sed tarditati auditus associatum, Recipe Ellebori albi. ℥.ij. nitri ℥.ij. croci ℥.ij. terantur, & melle conficiantur. conuenit fel tauri cum succo bliti, & decocto absinthij calido.

Dolor auris à flatu, vaporatione decoctionis hyssopi, florum chamæmelli, anethi, fœnugræci, anisorum, cumini, meliloti leuatur. non minus confert fotus ex sale, milio, & puluere anisorum, betonicæ, cumini, omnibus simul in sacculo calefactis, & applicitis. vel oleum irinum in cepa excauata bullitum, & ab ea expressum uel oleum sinapis, in quo assa fœtida, gingiber, sambucus coctus fuerit, in aurem stillabis. uel, Recipe succi rutæ, mellis ana ℥.ij. castorei ℥.ij. serueant lento igne, & auribus adhibeantur. quòd si dolor uehemens fuerit, cucurbitula totã aurẽ cõprehẽdens, corpore prius expurgato, iuuare solet, flatũ enim attrahit, & discutit.

Ad

Ad dolorem auris à casu, & collisione, facit medulla panis calida cum melle trita, & apposita. thus in lacte dissolutum, & instillatum mitigat dolorem. pariter euaporatio decoctionis cicutæ, myrti, viticis, & inunctio ex oleo sisamino. caueat ciborum nimiam repletionem: sint cibaria tenuia, boni succi, facilis concoctionis, & distributionis. aluum lubricam habebit, à vento, & frigore munitus incedat.

Ad dolorem auris ex apostemate calido conuenit diæta tenuis, & infrigidans: abstineat à carne, piscibus, & à rebus dulcibus: vescatur pane loto, ptisana, malis punicis acidis, pyris, vel cotoneis ad prunas coctis, lactuca, endiuia, cichoreo, oxalide, amygdalis. potus sit aqua hordei, aqua cum saccharo, & tamarindis, vel succo mali punici ebullita. degat quietus in aere frigido procul à ventis. post modum fiat phlebotomia ex vena cephalica cum multa sanguinis extractione si virtus, & ætas permiserit: sin minus per vices iteratas partiatur: & fluente materia ab opposito, cùm autem iam fluxa est, ab eodem latere fiat: & venter soluatur cassia fistulari, manna, tamarindis, aut diapruno, aut sero caprino, in quo fumusterræ, & violæ decoctæ fuerint. causa diuersionis conueniunt extremitatum frictiones, ligaturę, cucurbitulæ, & cætera superius enarata. Mesue.

In principio per duos, vel tres dies vtatur repercussiuis moderate frigidis vt lacte muliebri vel, Recipe olei rosacei ℥.ij. aceti optimi ℥.ij. s. bulliant ad aceti consumptionem. vel, Recipe collyria alba cum lacte dissoluta. quòd si dolor tam sæuus esset, vt de virtutis prostratione, & de morte timeremus, oleum mandragoræ, vel oleum violatum cum philonio romano, vel oleum rosatum cum caphura, aut opio instillabis: inde mala intemperies ab opio derelicta castoreo amouebitur.

In morbi augumento, cum iam natura maturationi intendat, emollentia repercussiuis sunt admiscenda, vt mucillago seminis cotoneorum, mucillago fœnugræci, aut seminis lini cum oxirrhodino dicto: vel oleum ros. cum oleo amygdalarum amararum. quòd si materia non multum calida fuerit, adeps anatis, aut gallinæ laudatur: pariter laudatur mucil-

lago seminum althææ, medulla cruris vituli, & butyrum. statu vero aduentante, augentur emollientia, & resoluentia ita vt post sextum, vel septimum diem, quousque materia vel resoluatur, vel suppuretur, his solis certandum sit. ad hoc propositum optimè facit diachilon minus. vel, Recipe farinæ fabarum, hordei, ana ℥.ij. florum violarum, chamæmeli, meliloti, altheæ ana m.i. coquantur in aqua, oleo chamæmelino, & defruto, & superponantur.

In dolore auris ex apostemate frigido sit aer, cibus, & potus vergens ad calidum, & siccum; moderatè dormiat, & minime super aurem affectam, nisi tempus eruptionis saniei instaret: frictiones subeant vicem exercitij. molesta animi fugiat accidentia. procuretur materiæ frigidæ concoctio, & reiterata euacuatio: Si autem apostema esset in parte auris penitiori nulla repercusione, sed emollientibus, & resoluentibus opus est medicamentis. conuenit Auic. œsipi ceratum maturans, & dolorem compescens: Recipit adipis gallinæ, adipis caprini, mellis, butyri loti, ceræ flauæ, olei de lilio, œsipi (vulgares Isopum humidam vocant) ana q. s. fiat ceratum, & tepidum in aurem mittatur. In materia frigida pariter conuenit cepa elixa, & cum butyro trita. aliud: Rasis in materia mista Recipit bdellij, adipis caprini ana

Mesuea

℥.iij. farinæ fœnugreci, & seminis lini, radicis altheæ radicis lilij ana ʒ.s. chamæmeli, meliloti ana ℥.i. croci ʒ.i. vitellum oui; chamęmelum, melilotus, radix altheæ & lilij coquantur benè in aqua: & contundantur: quibus bdellium in eadem aqua dissolutum, & defruti, olei sesamini, butyrique ana ℥.ij. addantur, & fiat emplastrum. nec te prętereat quòd butyrum in corporibus delicatioribus est mirabile, emollit enim sedat dolorē, & resoluit. Galenus ex Asclepiade probat serosum cruorem, qui à carnibus bubulis, dum assantur, destillat, si calidus infundatur.

De cōp med. per loc. 3.

Maturato apostemate (cognoscitur enim quia rigor & febris præcessere) si in parte exteriori fuerit, phlebotomo aperiendo fiat, ut pus educi possit. vlcus verò factum remedijs in sequenti capite descriptis remoueatur: at si partē auris abditā tumor obsidet, eruptionem procurabis primò lenibus, deinde effi-

Huiusmodi apostema in parte auris exteriori

παρωτίδα

efficacioribus medicamentis ex leniter rumpentibus est cepa cocta butyro, & fermento permista: validius efficitur si alliũ coctum, aut radix Iridis cocta, aut narcisi bulbus coctus cum melle, butyro, & oleo liliorum alborum additus fuerit. acutissimum denique fimo columbino his admisto redditur.

græci, latini vero parotidem vocant.

At si tale apostema, seu parotis inueteratum, ac induratum fuerit, citra omnem molestiam discuties, & emollies, si buccinas vstas, & ostrea omnia adipi porcino liquato admisceas, ac supra locum affectum adhibeas. Idem efficit si prædictorum cinis cum melle imponatur: aut ficus aqua maris cocta: aut marrubium cum sale. laudatur à Paulo Emplastrum Menasæi discutiens: Recipit ceræ, axungiæ porcinæ singulorum lib.s. resinæ colophoniæ ℥.iij. lithargyri lib.i. vini maluatici lib.ij.

Lib. 7. ab eo describitur.

Item Emplastrum Ariobarzanium: habet enim lithargyri ℥.s. cerusæ ℥.ij.s. aquæ marinæ lib.i. olei veteris ℥.viiij. buccinorum concrematorum ℥.iij.s. cerę rufæ ℥.iiij.s. resinæ terebinthinæ ℥.iij. thuris ℥.i.s. misce & confice.

περὶ ἕλκου τῶν ὤτων.

De Vlcere Aurium. Cap. VI.

VLcus est vnitatis solutio in parte carnosa, ac molli, cum sanie, vel pure, & quandoque est manifestum, & visui expositum: quandoque est occultum, & in parte auris profundiori situm: quãdoque est recens, quandoque antiquum: & quandoque multa, quandoque pauca redundat sanie, vel pure. Est autem sanies sanguis corruptus, necdum ad puris albedinem, crassitudinemque coactus, & est sanguine tenuior, & spiritu crassior: differt à pure, nam pus est quid crassius, albidiusque per concoctionem à calore conglobatum ipsa sanie, & sanguine glutinosius: & erit vel laudabile, vel vitiosum: pus laudabile infrascriptas habebit conditiones, primò erit albũ nam membris radicalibus, seu spermaticis assimilari debet,

Auic. Gal. 3. meth. cap. 4.

quæ

quæ ad ipsius concurrunt generationem, in his enim calor naturalis principaliter fundatur. Secundò erit læue idest vniformiter in partibus suis se habens, sic enim arguit bonam distributionem virtutis concotricis. Tertiò erit æquale idest mediocris substantiæ non multum crassæ, neque tenuis, sed proportionabitur ad membrum in quo, & ad humorem ex quo fit. non est enim dubium, quòd in neruo, osse, & cartilagine, cæterisque densioribus membris generatur pus tenuioris consistentiæ: in carne vero, & membris mollibus crassioris. pariter ex humore crassiori fit crassius, ex tenuiori tenuius. quartò nō multum erit fœtens, vt ostendat calorem innatum extraneo, & putredinali præualere: & hæc Auic. fuit Sententia: pro cuius declaratione notandum est, quòd ad concoctionem laudabilem: quæ fit in Iuuatiuo concurrit calor solum vt naturalis, & talis concoctio est (exempli causa) quando chylus ex cibis, sanguis ex chylo, humiditates secundæ ex sanguine, membrum, aut pars membri ex humiditatibus Secundis generatur. ex opposito ad putredinem causandam concurrit solummodo calor extraneus. quapropter pus laudabile magis à calore naturali quàm ab extraneo; pus autem olidum magis à calore putredinali, quàm à naturali conflatur.

3. quarti tract. 2. cap. 23.

Notandum est quòd quanuis pus, & sanies in Vlceribus, & exituris vt plurimum excitetur, attamen quandoque per multum tempus ab aure absque quòd ibi sit vlcus, vel exitura sed per resudationem ab orificijs venarum cerebri emanat: quæ si compescatur, ipsum hominem vertiginosum, & malis morbis obnoxium reddit.

Auic. 4 primi cap. 3.

Causa.

Fit autem Vlcus vel rupto vase à casu, percussione, vulnere: vel à sordibus aliquauè alia re in concauitatibus auris retenta, & putrefacta: vel malignorum humorum influentia, sicuti in cute sæpenumero accidere videmus.

Gal. de loc. aff. v. cap. v.

Signa.

Vlcus auris generaliter à dolore, ardore, punctione, pruritu, sanie, vel pure ab ea emanante cognoscitur: quæ sanies si fuerit multa vlcus sordidum: si tenuis vlcus virulentum: si

olida

olida vlcus putridum: si quandoque post ipsam aliquid sanguinis stillabit, vlcus corrosiuum arguet.

Prognostica.

Vlcus in parte auris extrinseca facilè: in parte autem abdita difficilè curatur: & præsertim si neruum auditus serpendo attigerit.

Vlcus ad os perueniens nunquam vel rarò curatur. Vlcus profundum, corrosiuum, putridumque certam perniciem secum afferre solet.

Cura.

Vlcus aurium recens leuiora, chronicum vero fortiora exposcit medicamenta. summatim quod oportet præmittere inquit Auic. est attenuatio cibi, & administratio carnium, & olerum, ex quibus generetur humor bonus, dulcis, laudabilis. totum regimen in sex rebus non naturalibus vergat ad siccum, in actiuis verò ad calidũ temperatum. materia fluens (si possibile est) diuertatur ad os, & nares cum gargarismis, masticatorijs, caput purgijs, & sternutationibus: vel ad partes magis longinquas cum clysterijs, cucurbitulis, & frictionibus. quòd si vires validæ fuerint euacuatio prius per phlebotomiam fieri debet: mox syrupis caput corroborantibus materia præparanda: & præparata Electuarijs, vel pilulis conuenientibus educenda est. post modum si vlcus fuerit recens, & sine periculo abstersione, & exiccatione curatur. læuia abstergentia sunt aqua mellis, mulsum, oximel simplex, compositum, vel stillinum: vel vrina puerorum: aut quid simile per clysterem auricularium iniectum: vel, Recipe sarcocollæ, terebinthinæ ana ℥.s. olei chamæmeli ʒ.ij. fiat vnguentum, & hoc, vel vnguentum basilicon cum oleo ros. liquefactum in aurem destilletur. vel Recipe fellis porci castrati ʒ.ij. mellis optimi ʒ.i. vitreo vase simul indita, in feruido cinere vsque ad medium calefacito, atque vtitor. vel alumen scissum vstum, & myrrham cum melle terito, & præclota pharmacum lana exceptum imponito: vel collyrium de glaucio, aut collyrium rosatum, & myrrha, & aloe in vino aut melle dissoluantur, & imponantur.

Mesue i

Gal. 3. de cõp. med. per loca

Quod si vlcus multa redundat sanie, abluatur succo mercurialis,

Vlcus cũ multa sanie.

curialis,

curialis, aut lupulorum, aut vino, in quo betonica decocta fuerit, aut aqua mellis, in qua radix ellebori albi prius bullierit: aut oximelite, vel decocto foliorum oleastri cum alumine, & melle: vel foliorum salicis, & agrimoniæ, & exiccatum nunc vno, nuc alio obducatur medicamēto: vt, Recipe mellis ʒ.x. aceti ʒ.viij. bulliant, & despumentur: quibus adde viridis æris ʒ.ii. in aure pessis xylinis condantur: nam præsentaneum miraberis auxilium.

Remedium probatum ad aures purulētas. Halyab.

Vel stercus ferri (scoriam dicunt) aceto acerrimo abluatur postea exiccatum conteratur, hinc septies ablutum, & septies alternatis vicibus contritum, & exiccatum bulliat in aceto ad mellis consistentiam, & auri indatur: est medicamentum à Galeno, ab Auic. & ab omnibus ferè recentioribus propositum. Interim non eris immemor quòd auris vlcera siue noua, si antiqua semper ante medicamenti impositionem ablui debent.

9. Simpl. med.

Quòd si dolor infestat, anodyna cum exiccantibus adhibeto, vt oleū amygdalarum dulcium, vel amararū cum myrrha, aloe, & croco: in maiori dolore addatur parū opij (dolor enim omnem rectam destruit curam) quo casu trochiscos. Alandaron Auic. probauit: Recipiunt balaustiorum seu cytinorum ʒ.x. aluminis plumei, myrrhæ ℥.s. chalchanti, aristolochiæ, tragacanthæ ana ℥.i.s. olibani ℥.i. cum aqua mellis trochis. confice, & vino dissolutis vtitor: abstergunt, siccant, & bonam carnem generant. vel Recipe floris æris, & squamæ eius ana. ℥.s. succi porri ℥.i. misce & adhibe. at si dolor, & multa adfuerit sanies. confert vinum cum oleo ros. & porri succo, vel piscis saliti decocto agitatum.

περὶ ἐκ τῶν ὤτων αἱμοῤῥαγίας.

De sanguinis fluxu ex Auribus. Cap. VII.

Non modo sanies, verum sanguis in magna copia ex auribus aliquando emanat: & secum capitis debilitatem, syncopim, mortis periculum non rarò ducit: quare eius cura sedulum exposcit Medicū.

Causa.

Causa.

Huiusmodi fluxus causa primitiua est vulnus, à loco præcipiti casus, capitis concussio, vel contusio, ob hanc causam pueri, dum à plagosis Grammaticis super aures sæuissimè colaphis, & pugnis cæduntur, ad talem sanguinis fluxum dispositi fiunt.

Causa antecedens erit plethora, vel ipsius sanguinis critica transpositio, vel redundantia, per quam venæ rumpuntur, & præsertim si acris, & tenuis fuerit.

Causa coniuncta est venarum circa meatus auriũ apertio.

Signa.

Fluxus à causa primitiua ex relatu patientis cognoscitur. à causa vero antecedente rubor faciei, corporis plenitudo, habitus carnosus, temperies sanguinea fluxum indicabunt. qui si fuerit criticus vel longam febrem, vel diuturnum capitis dolorem, vel vtrunque sequetur, & in die fiet critica, ægerque melius se habebit. positis causis coniunctis ponitur effectus,

Prognostica.

Fluxus sanguinis ab aure hominem surdastrum reddere solet, nisi criticus fuerit, nam tunc potius ipsam expellit surditatem,

Fluxus sanguinis immoderatus semper malus, natura enim suum amittit Thesaurum.

Fluxus sãguinis criticus, nisi superfluus, cõpesci nõ debet.

Cura.

Venam cephalicam oppositi lateris in fluxu à causa primitiua, in plethora, vel sanguinis redundantia secabis: hinc duo insequuntur commoda: primum deriuatio materiæ ad aliam partem: secundum quia æger apostemate, & à dolore tutior euadit..

Interim in aere frigido, & sicco maneat: & cibis astringentibus, & infrigidantibus vescatur: caueat à rebus salitis, & acribus. contra dolorem (si aderit) anodynis & resoluentibus certandum, conuenit oleum chamæmeli circumquaque inunctũm: item oleum absinthij, & eius succus. vel panem calidum in vino albo, & succo absinthij maceratum adhibebis.

Gord.

adhibebis. reliqua cura astringentibus, & corroborantibus frigidis complетur, vt sunt lycium, succus plantaginis, virgæ pastoris, galla omphacitis cocta in aceto, & melle, vel in aqua, & aceto: decoctum rubi, foliorum oliuæ, foliorum arboris mastiches: item mala punica cocta in aceto, & expressa. item collyrium de glaucio. Auic. laudat coagulum leporis cum aceto. vel, Recipe renes tauri, aut bouis, aut hirci non penitus propria pinguedine salita destitutos, aliquantulum assatos contunde, & prelo exprime, succus enim, qui emanabit, mira in hoc affectu prestare dicitur. vel Recipe acaciæ, hypocistidis, balaustiorum, gallarum, rhois, mastiches, thuris, ana ℥.i. bulliant in vino, vel aceto & utitor. Quod si times ne sanguis in aure cor rumpatur, & grumosus fiat succum porri per se, vel cum aceto instillabis.

Auic.

Primæ Sectionis,

Libri Quinti finis.

DOMINICI LEONI LVNENSIS

Artis medendi humanos, particularesq; morbos à capite vsque ad pedes, Sectionis primæ.

LIBER SEXTVS.

De Nasi Anatomæ, & de olfactu. Cap. I.

NASVS græcè μυκτὴρ dicitur: est ea pars capitis, quę à superciliorum confinio oriens quasi æquali porrecta Iugo vtranque aciem simul discernit, & munit. Nasus, inquit Cicero, ita locatus est, vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. huius membri partes inferiores cartilaginosas, quæ mouentur, pterygia idest alas Galenus vocauit: quæ quoniam externis iniurijs sunt expositæ, ex ea oportebat esse substantia vt neque contundi, neque frangi facilè possent.

De vsu part. xj. cap. 12.

Nasus constat ex cuti, musculis, cartilaginibus, osibus, & panniculo ossa tegente. cutis taliter vnita est musculis, quòd, nisi magna cum difficultate separari non posit.

Pars anterior, & inferior cartilaginea est, superior vero ossea. Musculi sunt duo parui, duri tamen hinc inde à genis ortum ducentes, & nasi alas ad quamlibet partem mouentes.

Cartilago nasum per medium diuidens, quam septum porrectum, & nasi diaphargma, interstitiumque vocare solent, alijs duabus chartilaginibus durior est, eo quia nasum erectú, & firmum sustinere debuerat.

Ossa nasi duo sunt triangularem formam habentia; fronti contingua ad angulos lachrymales paruis foraminibus peruia: à quibus humiditates in oculos, ab oculis in nasum, à naso in os penetrare possuut, signum huius est quando collyrium apponunt, nam eius odor sentitur, & sapor lingua percipitur.

Os frõtis è directo nasi est instar cribri perforatum, vt per foramina odor intrare, & mucositas à cerebro emanare possit. ab inferiori parte nasi directè post palatum procedunt foramina duo quadam tela interposita vsque ad radicem linguæ: quorum vsus est, vt intret aer ad cor refrigerandum, & pro parte exeat, ne totus cadat in descensionem vocis:

Vnde qui habent illa foramina stricta, & obstructa imperfectè, & confusè loquuntur.

Nasi Iuuamenta tria sunt: quorum vnum est vt vapor deferens odorem rei odoratæ, in eius excipiatur concauitatibus: & ibi quodammodo temperetur, & præparetur odoratui. Aliud est, vt multus aer in eo attrahatur partim ad pulmones, partim ad cerebrum trasmittendus: sicut enim cor systole, & diastole per aerem viuit, & infrigidatur: sic & cerebrum suo modo: quòd ne lædatur ab aere subito recepto habet nasum ipsum præparantem, & proportionatum redentẽ: quemadmodum & cor ad hoc munus suam habet tracheam. Tertium Iuuamentum est, vt sit vnum ex emunctorijs superfluitatum cerebri: vnde longam, & eminentem habet formam, vt scilicet tegat mucositates à cerebro exeuntes. adde quartum Iuuamentum ex Auic. vt per ipsum aer paulatim, & cum mẽsione expulsus distinctionem literarum faciat: nasus enim taliter ad distinguendas literas inseruit, qualiter fistulæ magnum foramen ad distinctionem sonorum.

Prima primi cap. de Anat ossium nasi.

Nasus est membrum organicum, temperamenti frigidi, & sicci, & quouis genere ægritudinis affici potest: veruntamen eius continuitas soluta facilem habet restaurationem.

Quæritur quare inter cętera organa sensuum semper aures, ac nares sint patulæ, alia quandoque aperta, cum operatio continua sensum debilitet, vt patet in oculis piscium, qui non discernunt inter medios colores propter visus imbecillitatem ex apertione continua: & in hominum odoratu, qui non discernunt inter medios odores, sed tantum inter extremos scilicet fœtidum, & aromaticũ. ad hoc dici potest, quòd nares semper apertæ sunt, vt per ipsas, dum os clauditur, continua, fiat aeris inspiratio ad refrigerationem cordis, nam vehemens odoratus non est necessarius homini, sicuti quibusdam brutis, quæ mediante odoratu nutrimentum acquirunt.

Olfactus est facultas, seu virtus sensitiua à cerebro procedens, per quam odores, & odorum differentias cum voluptate, vel tristitia homo percipit, & discerint.

Olfactus quid sit.

Olfactus fit in animalibus respirãtibus per viam attractionis aeris: in qua attractione aperiuntur pori, & viæ, per quas transit aer, & odor. in non respirantibus fit absque attractione, vt in apibus, & in alijs eiusmodi.

Auer. 2. col. cap. 17.

Olfactus est debilior in homine quàm in multis alijs animalibus, quę tametsi non spirant exactius tamen odorem sentiunt, & à longinquis partibus ad alimentum odore duce contendunt: vitamque sibi hoc sensu venantur. homo autem à frigiditate, & humiditate cerebri impeditus diminute odorat (odor enim ipsi inest sicco) itaque propter huius sensus debilitatem solum excellentes, & minimè remissos discernit odores, & quia perceptio sensibilium à sensu est causa perceptionis eorum ab intellectu: & qui caret aliquo sensu, caret etiam intellectu illius generis sensibilium: hinc est quòd hominis intellectus difficilè odorum percipit differentias: ipseque rarò, vel numquam somniat odores: Iste enim sensus leuiter de se imprimit imaginatiuam: Ideo quamuis homo acie ingenij cætera superet animalia in distinguendo, & detegendo odores occultos ex rebus odoriferis per confricationem, attenuationem, ignis admotionem, minus tamen or-

Auer. 2. de anima.

ganum huius sensus ab odorabili in eo afficitur.

Olfactus apprenhendit non solum odorabile, verum per accidens & inodorabile. dicitur autem inodorabile tribus modis primò quod nullum prorsus odorem habere potest. Secundò quod exiguum (& sic etiam crepusculum dicitur inuisibile) Tertiò quod tetrum, & fœtidum habet odorem.

Arist. 2. de aïa tex. co. 96.

Olfactus instrumenta sunt in anteriori parte cerebri duæ paruæ propagines post ossa, quæ ἠθμοειδῆ latinè colatoria, à Galeno ob spongiæ similitudinem, quam habent, σπογγοειδῆ appellantur. pars coadiuuans ipsa instrumenta sunt nares, & ipsorum foramina, per quæ fit aeris præparatio, & attractio, odores ad proprium odoratus locum deferentis.

De usu par. 8 cap. 7.

Videtur autem in hominibus differre hoc instrumentum à cæterorum animalium instrumentis, vt oculi ab oculis eorũ, quæ duros eos habent. nam isti coopertoria, palpebras scilicet habent, quæ cum non aperiuntur non videt homo: quæ vero duris sunt oculis nihil habent eiusmodi, at illicò vident quod fit in transllucido. sic & odoratiuum sensorium alijs sine operculo esse apparet, sicut oculi. In animalibus vero recipientibus aerem adesse videtur operimentum, idque cum spiritum hauriunt aperiri, dilatatis venulis, ac meatibus: quamobrem quæ spirant in humido non olfaciunt, necesse enim est spiritum ducendo olfaciant: quod in humido fieri non potest. est autem odor sicci, sapor humidi.

Odor qualitas est obiectum sensus odoratus, à corpore odorifero defluit, & ambienti permistus, ac deinde per narium inspirationem in cerebrum delatus sensum mouet. erit odor bonus, vel malus, vel neque bonus, neque malus. odor bonus delectabilis, & gratus à rebus aromaticis prouenit: quæ quoniam vaporosa calida etiam esse cõstat, quippè cum vaporum copia à calore emanet; quandoque tamen frigida reperiuntur: & quamuis aromatica sint valdè euaporantia: manifestum tamẽ est aliquod frigidum euaporare, suisque vaporibus multum infrigidare. Insuper quicquid odoratum nõ protinus suaue esse colligitur; si quidem non omne id spiritui in cerebri ventrinculis contento familiare existit.

Gal de simpl. med. 4. cap. 22

Odor per accidens diuiditur in species secundum saporem;

rem: & non immeritò, est enim odor assecla saporis, vnde Auerroes inquit materia odoris est sapor, qui fit ex mistione siccitatis cum humiditate. apparet per inductionem quòd quicquid habet odorem habet saporem: hinc est quod homo per olfactum cognoscit saporem congruum, & incongruum.

De sens. & sen sili cap. 5.

Odor crasior est aere: cuius rei signum est, nam obstructis naribus ab aliquo, odor quidem nullus trāscolatur, aer vero sine odore solus ipse sequitur.

Cal. de vsu part. 8. cap. 6.

Sensus olfactus vt proprium obiectum, eiusque differentias percipiat, medio opus habet aliquo: nam exploratum est quód sensibile supra ipsum sentiens positum nullam facit sensationem: omnes igitur sensus vt sentiant medio aliquo vel intrinseco, vel extrinseco, per se, vel per acidens indigent: quare accidit vt olfactus fiat primò per medium extrinsecum aerem scilicet, vel aquam: quippè & aquatilia videntur odorē sētire, & sāguinea pariter & exāguia: quemadmodū etiam ea, quæ in aere degunt: necesse est vt aliquo modo olfaciant, non tamen omnia inspirando, sed multa absque spiritus attractione.

Arist. 2. de anima tex. co. 98

Idē tex. co. 97

Odor (inquit Auic.) medium ipsum alterando, & fumosa quadam euaporatione realiter immutando ad organum odoratus peruenit: hoc autem patet quia odorabile vt pomum per odoris emisionem continuè minoratur, & flaccescit. probatur etiam, quia si odor non esset realiter in medio, sed spiritualiter, & intentionaliter: odoratus subito, & in instanti ab eo sicut visus à colore afficeretur (cum in hoc sensu nulla maior adsit resistentia, quàm in sensu visus) at experientia contrarium ostendit: etenim odor prius à propinquiori organo, quàm à remotiori percipitur. insuper si odor esset in medio solum spiritualiter: sequeretur quòd vnus odor non impediret apprehensionem alterius, sicut color apprensionem coloris non prohibet: sed odor qui est intensior obstat quò minus remisior percipiatur. præterea si odor essentiam solummodo spiritualem in medio haberet, nunqnam ventis interciperetur, verum statim, veluti & ipse color, proprium attingeret organum. at in contrarium est experientia.

2. de anima.

2. de anima tex. co. 97.

Hanc Auic. ſententiam ſuis rationibus Auer. ſubuertere conatus eſt, inquiens odor in aqua multiplicatur, nam piſces mouentur ad odorem nutrimenti: at in aqua multiplicari non poteſt niſi ſpiritualiter: nam realem euaporationem, cum ſit calida, & ſicca, procul dubio aqua ſui frigiditate, & humiditate corrumperet. vlterius ſi fieret eleuatio vaporum in odoratu ſequeretur quòd quælibet res odorata continuè minoris ponderis fieret, quod tamen falſum eſt. præterea videmus multa animalia moueri ad nutrimentum per longam terrarum diſtantiam, per quingenta ſcilicet miliaria, vt apparet in vulturibus, & tigribus: quę a remotiſsimis regionibus venerunt ad locum prælij in terra græcorum perpetrati. ſed impoſsibile eſt, quòd corpora cæſa per tantum ſpatium euaporarint:& præſertim cum omne ſenſibile, quod per medium apprehenditur, æqualiter ab omni parte(niſi adſit impedimentum)ſentiri debeat:vnde ſi illa cadauera in ignem, qui maximè rarus eſt,& maximè omnium multiplicatur, conuerſa fuiſſent, vix ad tãtam dimenſionem peruenire potuiſſent: quare dicendum eſt odorem intentionaliter, & nequaquam realiter in eo loco fuiſſe, ad quẽ vapor extendi nõ potuit. Inſuper impoſibile eſt odorẽ, cũ ſit qualitas, & paſsio miſti, & cõpoſiti, eſſe in aere elemento ſcilicet ſimplici:ſimplicia enim non recipiunt odores. reſtat igitur ſit in eo, vt color in diaphano. veruntamen quia color magis ſpiritualis, quàm odor apparet (venti enim odores adducere ſolent) factum eſt, quòd multi odorem eſſe corpus exiſtimarint, ſed ita eſt de odore in hac intentione, ſicut de ſono:ſonus enim fit à paſsione in aere, etiam à ventis impellitur:non tamen ex hoc ſequitur, vt ſit corpus.

Nulla harum opinionum demoſtrari poteſt: Auicennæ autem rationes ſunt veriores, magiſque adhærent demoſtrationi:vnde ad Auer. argumẽta reſpondere poteris:primò ad primum videlicet quòd uapor odoriferus aeri permiſtus poteſt ſimul cum aere intercipi in aqua, ſicut aer ſolus intercipitur, & tamen ab aqua non corrumpitur. Ad ſecundum quòd non ſequitur omnem rem odoratam per eleuationem vaporum fieri minoris ponderis, nam quandoque partes ſubtiles inſitæ

red-

reddunt ipſam leuiorem, hoc patet in homine, qui quàmdiu viuit ob inſitos ſpiritus eſt leuior ſe ipſo mortuo, & ſpiritibus destituto. Ad tertium quòd illa animalia non odore, verum alia occaſsione impulſa venerunt ad locum prælij, vbi erant cadauera: vel fortaſsis ſenſere fumoſam euaporationem à ventis allatam: vel vultures altæ volantes, cum ſint acuti viſus, potuerunt per multum interuallum corpora videre interfecta.

Eſt ſententia Conciliatoris quòd odor pro vt eſt euaporatio fumoſa medium immutat realirer, & ad organum olfactus realiter peruenit, & præſertim quado breue ſpatium inter odorabile, & organum intercedit: attamen non propter hoc à ſenſu realiter, ſed intentionaliter percipitur (ſenſus enim non realitatem, verum ſpecies ſuſcipit intentionales) quòd ſi inter odorabile, & ipſum organum magna fuerint interſtitia: odor realiter interſtitij partem immutabit, partem verò intẽtionaliter cum iam fumoſa uaporatio euanuerit: & hoc modo vapores à cadaueribus Græcorum eleuati usque ad quodam ſpatium realiter, vlterius autem usq; ad vultures, & tigres intentionaliter immutarunt. Diff. 155.

Odores medij componuntur ex extremis, ſicut ſapores, & colores medij componuntur ex ſaporibus, & coloribus extremis. 2. de anima tex co. 95.

Quæritur an odores nutriant? & videtur quòd nutrire posſint: nam Plinius ſcribit ad extremos fines Indiæ ab oriente circa fontem Gangis, Aſtomorum gentem ſine ore, corpore toto hirtam veſtiri frondium lanugine, halitu tantum viuentem, & odore, quem naribus trahunt: nullum illis cibum, nullumque potum: tãtum radicum, florumq; uarios odores, & Syluestrium malorum, quæ ſecum portant longiore itinere, ne deſit olfactus. Lib. 7. cap. 2.

Inſuper Democritus abderita per triduum ſolo odore panis recentis uixit. hic enim (vt auctor eſt Laertius) cum iam ſenio deficeret, & propinquus morti videretur mœrentem ſororẽ, quòd ille in celebritate Cereris moriturus, ipſa Deæ vota ſoluerę nequiret, bono animo eſſe Iusſit, panesque calidos ſibi quotidiè offerre: eos igitur cum naribus admouiſſet viuũ Lib. 9.

ſe dum ea celebritas tranſiret ſeruauit: vbi autem dies illi trā-
ſierunt (tres enim erant) quietisſimè, ac minimo dolore vi-
tam obijt. Odoribus quoq; refici corpus oſtendit Galenus,
cuius verba ſunt, qui cita adiectione indigent, ijs humidum
ad recuperandas uires optimum remedium eſt, ubi autem ad-
huc citius per odoratum. Idem alibi, quoniam uero uirium
ſubſtantia tum ex ſpiritu, tum ex carnoſa ſpecie, tum ſolidis
ipſis completur, ex ijs, quæ ſimilia ſunt, moliri cuique ſuam
cuſtodiam conuenit: ſpiritui ex reſpiratione, ac tranſpiratio-
ne, &, qui ex ſanguine attollitur vapore: ſolidorum vero ge-
neri, ex ſolido nutrimento: quemadmodū carnoſo generi per
mediam naturam humidorum, & ſolidorum corporum: vnde
prior nutritionis modus erit ſpirituoſus, ſaltem per introdu-
ctionem aeris vaporoſi odorabilis: ſicque odor non tantum
alterat, verum etiam nutrit. Auicen. connumerat bonos odo-
res inter ea, quę virtutem augere poſſunt: ſed huiuſmodi ſunt
nutrientia, ergo boni odores nutriunt.

2. Aph. 11.

11. Meth. cap. 3.

3. fen. 11. trac. 2. cap. 10.

Contrarium ſentit Ariſ. in libro de ſenſu, & ſenſili inquiēs,
quod autem quidam pythagoricorum aſſerunt, non eſt ratio-
nale nonnulla ſcilicet animalia odoribus nutriri. primū enim
videmus, quòd oportet cibum eſſe compoſitum: etenim quæ
nutriuntur, non ſunt ſimplicia: quare & ſuperfluitas fit cibi,
aut in ipſis, aut extra ſicut in plantis. amplius verò neq; aqua
vult ipſa ſola nutrire immiſta exiſtens. Corporeum aliquid
oportet eſſe conſtituendum. adhuc multo minus rationabile
aerem corpulentum fieri. adde quòd omnibus animalibus lo-
cus eſt receptiuus cibi, à quo trahens accipit corpus. odora-
bilis autē ſenſorium in capite, & cum ſpirituoſa intrat eua-
poratione: quare ad ſpiratiuum vadet vtriq; locum. quòd igi
tur non confert ad nutrimentum odorabile, ſecundum quòd
odorabile manifeſtum: quòd tamen ad ſanitatem, & ex ſenſu,
& ex dictis apparet. Itaque quod ſapor in nutritiuo, & ad nu
trienda, hoc eſt ad ſanitatem odorabile.

Cap. 5.

Notandum eſt, quòd ſicut color habet duplex eſſe: unum
ſcilicet in corpore terminato, ſeu colorato, quod illi naturale
eſt, aliud eſſe in medio, uel diaphano: quod illi extraneum. Sic
& odor habet enim eſſe in humido ſeparabili, ſiue in corpo-
re odo-

re odorabili, quod est illi corporale, & naturale. & habet esse in medio, quod illi est spirituale, ac extraneum. vlterius sciendum quòd Nutritio est assimilatio eius, quod nutrit propriã quantitatem, & substantiam illius, quod nutritur. Insuper nutrire dupliciter intelligimus. primò propriè ut Alimentum sui operans materia. Secundò impropriè & metaphoricè ut agens sui qualitate alterando, & confortãdo ad quod per accidens tandem vera sequitur nutritio. Id autem nutritione indiget quod resoluitur, & deperditur: huiusmodi in homine sunt (vt dictum est) spiritus, substantia carniformis, & spermatica membra. odor itaq; pro ut est in medio nutrit spiritus præsertim animales etiam vera nutritione. prius enim simul cum aere ab olfactu attrahitur, hinc per nares, & tracheam arteriam ad pulmones & cor transiens, à corde per arterias carotidas ad rete mirabile, vbi aliqualiter digeritur, denique ad cerebrum, in quo conuenitem adeptus dispositionẽ, spiritus reparat dissolutos.

Nutritio quid Gal de facult. nat. 1. cap. 8.

Non tamen propriè nutrit, pro vt ex eo aliquid apponatur carniformi substantiæ, & partibus solidioribus: sed nutrit impropriè, & per accidens reparando, & restaurando spiritus vitales, & animales: ad quorum reparationem accidit hominem vniuersaliter restaurari, & nutriri, nam sicuti totum Corpus languet, & compatitur ob membrorum principalium malas affectiones, eodem modo refocillatur, & confortatur quãdo cor, & cerebrum hausta odorifera qualitate gratis, & suauibus repletur spiritibus. hinc habes causam cur in virtutis prostratione odorifera naribus applicantur, & non solum naribus, verum propè membra principalia cor scilicet, hepar, & testes, & eorum emunctoria. odorabilis enim grata qualitas & spiritui animali, & uitali, & naturali conformis est: omnemque virtutẽ fouet, exhilarat, & auget: vnde Auic. inquit in plurimo quod accidit ex syncopi oportet vt incipiatur, & laboretur cum eo, quod nutrit spiritum ex odoribus bonis nisi in syncopi à præfocatione matricis causata.

3. fen. 11. tract. 2. cap. 8

Ad Aristotelem patet responsio: videlicet odor secundum quòd extat qualitas simplex, & intentionalis vna ex tertijs qualitatibus nutrire non potest: impossibile enim est compo-

ſitum nutriri ex ſimplici.at odor pro ut eſt quid corporeum, & compoſitum,ab odorabili diſſolutũ, nutrit.vel dicas Ariſt. intelligere de uero,& permanente nutrimento partium craſſarum, non autem de nutrimento impropriè, & metaphoricè dicto, ſpiritibus currentibus continuè regenerandis, adueniente.

περὶ βλαβῆς ὀσφρήσεως.

De nocumento ſeu læſione odoratus. Cap. 11.

Olfaciendi ſenſorium pro tenui ſubſtantia percipiẽda inter alios exteriores ſenſus tertium ſibi locum vendicat:& inter omnes medium conſtituitur. cuius actio tripliciter lædi poteſt:nam vel minuitur,vel deprauatur, vel aufertur: tunc autem diminutã dicimus quando non percipit niſi excellentes odores in fœtore, vel in ſuaui olentia.corrumpitur, ſeu de prauatur duplici modo, vel quia omnes odores vt fœtidos percipit:quamuis nullum fœtidum obiectum præexiſtat: vel quia malè olentia Iudicat bene olere, vel è conuerſo. aufertur autem quando penitus nullum ſentit odorem.huiuſmodi ſenſus lęſio frequens eſt in ipſo homine reſpectu cæterorum animalium propter Inſtrumenti debilitatem à ſuperflua humiditate cauſatam.

Gal. de loc. aff. 4 cap. 2.

Quæritur interim quare nonnulli ſentiunt malos, & corruptos odores.aromaticos autem nequaquam ſentiunt: quia ſcilicet in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Iſti enim habent odoratus inſtrumentum corruptis, & fœtidis repletum humoribus,vnde ſpecies ab obiecto fœtido procedentes iuuantur à ſimili in parte intrinſeca exiſtente, & ſic leui negotio diſponitur odoratus ad odorem malum: ad bonum autem & aromaticum tanquam ſibi improportionatum,& diſſimilẽ contumax,& rebellis redditur.& hoc eſt quod Galenus dicebat de ſapore.

Quæritur etiam quomodo eſſe poſſit ut latrinas, & cloacas purgantes fœtore, & tetris odoribus ibi exiſtentibus minimè

nimè offendantur? quia illis sunt assueti: organum odoratus species fœtidorum corporum obsident, vnde nouæ species aduenientes non amplius immutare possunt: organum enim vt proprio fungatur munere suo sensibili denudatum esse debet.

Causa.

Olfactus destruitur quando viæ, & meatus, per quos aer, & odor ad ipsum instrumentum deferri solet penitus sunt obstructi: obstruuntur à compressione, contusione, diuisione; à polypo, ozænis, cancro, verruca, & si qua circa internam membranam incidit phlegmone, vel apostema, quinetiam odoratricem vim impediunt quæcumque in aliqua parte ossium colatoriorum, aut etiã in cerebri inuolucris, aut ipsis ossium foraminibus obstruuntur: & eò magis si in processibus cerebri, qui ad has perueniunt particulas, fuerint.

At in catarrhis, & coryzis, & denique ijs quibus ab æstu, vel frigore, vel humore oppleti priores cerebri ventriculi sunt, non locorum modo, qui istis habentur, obstructio fit, sed etiam tum spiritui ipsi, qui in uentriculis est, tum cerebro, quod hos continet, intemperies quædam accidit.

Gal de symp. caus. 1. cap. 4.

Corrumpitur verò, seu deprauatur propter uitiosum aliquem, qui eo continetur succum, qui scilicet mali odoris aliquid exhalans, ascendentes ab admotis corporibus ad odorãdi facultatem halitus obturbat. taleq; est in hac facultate hoc symproma, quale arquatis in gustatrice accidere solet.

Debilitatur, minuiturq; ab ijsdem causis, à quibus etiã aufertur: verumtamen in hoc sensu debilitato causæ sunt remissiores, in ablato autem sunt intensissimæ.

Signa.

Si obstructio fuerit in osse colatorij, vel panniculo perforato, qui est super ipsum in supremis partibus: superfluitates nullæ à naribus destillabunt: nullum sentiet dolorem: dummodo intemperie calida, vel sicca simplici, vel composita cerebrum non afficiatur: & viæ nasi inferiores sint apertæ.

At si per nasum emanant superfluitates, & nullus, vel paucus adsit dolor, non est dicendum quòd colatoria, & partes supremæ sint obstructæ; sed quòd excrementa sunt impedimento

mento quò minus odores, ad proprium organum transire posſint.

Quòd ſi læſio fuerit ob intemperiē calidam, vel ſiccam in cerebro: non aderunt ſuperfluitates, & calor, & ſiccitas in loco affecto in fronte præſertim ſentietur: & æger à frigidis, & humidis iuuabitur.

Læſionem verò ab intemperie frigida, & humida Catarrhali in cerebro exiſtente, mucoſitates deſcendentes ſenſus frigiditatis, & leuamen à contrarijs remedijs adhibitis indicant.

Sin autem læſio fuerit ob putridum, & uitioſum, humorē, æger continuè ſentiet odores fœtidos, quamuis nullum obiectum fœtidum præ ſe habuerit.

Læſio à verruca, polypo, ozænis, humore indurato aut eſchara viſu cognoſcitur, dilatatis hinc inde naſi alis. à phlegmone, & apoſtemate, & per dolorem, & per febrem, quandoque per ſaniem emanantem ſe oſtendit: ſicut etiam læſio à cauſis procatarcticis ex relatu ægri, vel aſsidentium fit manifeſta.

Prognoſtica.

Olfactus læſus à natiuitate, vel à ſenio, vel ab aliqua ægritudine chronica præcedente incurabilis eſt.

Si in morbis acutis olfactus accidat læſio, ita ut æger Iudicet ſe percipere odores inſolitos piſcium, ſcilicet, cœni, butyri, vel alterius obiecti fœtentis, cum tamen nullus adſit ibi talis odor, mors propinqua denotatur. huiuſmodi ſymptoma debilitatem innati ſequitur caloris per quā fit putredo in partibus cerebri.

Auic.

Olfactus ob catarrhum, vel paralyſim corruptus remoto catarrho, vel paralyſi reſtaurari ſolet.

Cura.

Quoniam olfactus læſio ut plurimum ab oppilatione colatorij, vel partium ſuperiorum cerebri cum intemperie frigida, & humida pendet: pro ipſa curatione conuenit aer moderate calidus, & ſiccus. aliquando frigidus, & humidus expetitur, ſi cauſa calida, & ſicca fuerit. ſomnus ſit moderatus, & nocturnus: dormiat capite eleuato, & minimè ſupinus, neque ſu

per partem affectam uitabit cibaria crassa,& uaporosa: ex interuallis autem rerum acrium esus laudatur. vinum sit tenue, album,& oligophorum. fugiat mala animi accidentia: & quæcumque calorem innatum debilitare, ipsosque humores incrassare possunt.

Cæterum materia frigida peccans oximel. simpl. vel scillino; Syrupo de stechade, de betonica, uel de byzantijs composito præparabitur: & præparata pilulis cochijs, aut hyeralogodione, aut hyera picra, aut hyera cum agarico, aut theodorico hyperisto nō semel, sed pluribus uicibus purgabitur. quod si æger plethoricus fuerit, & uires,& ætas, aliaque requisita consenserint, in primis (lenita aluo vel clystere, vel calsia fistulari, vel mana, vel Diacasia cum mana, vel aliquo alio medicamento leniente) venam cephalicam aperies: his præmissis diuersiones postea commodè fieri poterunt clysterijs, frictionibus, extremarum partium lotionibus, & cucurbitulis: inde ad masticatoria, quæ pituitam per os educūt confugies, vt, Recipe staphidis agriæ ℥.i. mastiches ℥.ij. passularum. ℥. 5. contundantur simul, & fiant trochisi mansiles. Iuuant etiā gargarismata ex decocto raphani, hyssopi, origani, betonicæ, pulegij. vt, Recipe acori (calamum aromaticum vocant) rutæ, betonicæ, raphani, hyssopi ana. q. s. buliant in vino, & addito melle, & puluere sinapi, vel pirethri per multos dies mane fiāt gargarisma. Denique (inquit Rasis) naribus insuffletur huiusmodi puluis, recipit struthij, cyclamini, ana ℥. i. salis ammoniaci ℈. i. Aegro quoque præcipiatur vt nares vapori ab aceto calido ascendenti multoties exponat. Si autem hæc non suffecerint, naribus insuffletur parum huius pulueris, qui recipit melanthij. i. nigellæ, fellis gruis, colocynthidis, ellebori albi omnium ana partes æquales, puluerizentur, & in vrina cameli, vel eius vice in vrina asini merganrur, & ad solem siccētur, & fiat puluis tenuissimus, per quem si dolor excitatus fuerit, oleo cucurbitino intromisso sedari debet, & caput aqua calida ablui ęgerque prisana nutriri. in ho casu valet melāthium tusum, ac cribratum, & oleo vetustissimo addito per nares attractum, Supino capite, & ad posteriora conuerso, est enim remedium à Galeno propositum, interim dum per inspiratio

9. ad almans.

In lib. de instrumēto odoratus.

nem

nem attrahitur os aquæ plenum æger habeat:& vt melanthio maiorem asciscas penetrationem, aceto optimo prius macerabis,& siccatam in tenuem puluerem rediget. valet succus radicis iridis cum puluere pyrethri admisto, similiter inũctio olei nardini in quo moschus, castorem, & parũ euphorbij sit dissolutum. expedit interdum vti sternutatorio, quale est veratrum album leuissimè tritum. vel, Recipe castorei, melanthij, ginginberis ana. ℥. i. pyrethri, staphidisagriæ ana ℥. ij. Struthij ℈. ij. naribus indantur. oderamenta Sæpe præ manibus habeat,& olfaciat, veluti narcissum, sisymbrium, serpyllum, mentham, polium thybram, quandoque castoreum aceto dilutum: Item ambram, moschum, rutam, calamum aromaticum, spicam, lignum aloes, ladanum: ex quorum, etiam decocto possunt fieri embrocationes,& fomenta, & suffumiga. in causa calida conueniunt rosæ, violæ, santali. poma præsertim cotonea,& acetum cũ aqua ros. pariter inunctio ex oleo violato, & rosaceo. In causa flatulenta,& crassa probatur oleum rutaceum, & oleum de floribus viticis, in quo cuminum, & anisum prius bullierit.

Cæterum si pertinacior fuerit affectio: ita vt auxilio aliquo adhuc indegeat, radendũ est caput,& sinapismus vsque ad frõtem adhibendus: quod si opus fuerit, nedum fronti, sed faciei, & naso adhiberi, postea ablui debet. quin theriace pota sæpe magno fuit præsidio. Paulus.

At si olfactus læsio à verruca, vel carne super excrescente pendeat: remoueantur prædicta,& incidantur ferro; vel cauterio actuali, aut potentiali deleantur: aqua fortis segregans aurum ab argẽto in pauca adhibita quantitate, itẽ aqua salis petræ,& chalcanthi disolutorũ cum albmine oui sub cineribus indurati corrodit has superfluitates. vel (quoniam potẽtialia non desunt cauteria) securioribus vtitor.

Nocumentum olfactus à catarrho, ab ozenis, à polypo per curationẽ catarrhi, ozenarum, polypi,& similium auferi solet de quibus affectibus particulatim agendum est.

περὶ καταῤῥȣ.

De catarrho Cap. III.

DEfluxus humorum à capite ad partes inferiores generaliter catarrhus appellatur: qui humorum defluxus, seu destillatio, licet diuersa sortiatur nomina pro partium diuersitate, quæ talem destillationem suscipiunt: attamen ipsi autores tres ipsius destillationis constituunt principalisimas species: nã vel materia defluit ad os, & vocatur generali nomine catarrhus: si vero defluit ad nares dicitur κορυζα, latine grauedo: si autem ad fauces, & ad laryngam, βράγχος à græcis, à latinis raucedo, nam principio vocẽ raucam facit: vlterius progrediens etiam totam adimit uocem.

Origo igitur catarrhi, & coryzæ est, vt dicebat Galenus ipsum cerebrũ cum perfrigeratum quidem est, ceu pars similaris in intemperiẽ uersum: aut cũ æstuat, ceu instrumentalis impletum. itaque qualis in ventre diarrhæa pasio ex mala concoctione fit, tale est in cerebo prædictorũ vtrunque: catarrhum scilicet nominantibus nobis, cum quod superuacaneũ est in os defluit: coryzam, cum in nares: branchos autem, seu raucitas catarrhis superuenit, faucibus scilicet humore imbutis.

De symp. cau. 3. cap. 4.

Catarrhus cum non lædat immediate operationes, neque propriè ad se curam trahat, non debet dici morbus, sed symptoma videlicet exiens mutatum, quod morbum sequitur, idest ipsius cerebri intemperiem frigidam, vel calidam. sunt tamen qui dicant esse morbum in numero sicut lapis in vesica, & vermis in intestinis, quando scilicet eius materia immediate, & sensibiliter aliquam impedit membrorum operationem, ut narium, aut facium, aut pulmonis dilatationẽ, & constrictionem.

Catarrhus ad omnes ferè ægritudines in genere corpus humanum disponere potest: fluens. n. ad neruos, & originem spinalis medullæ spasmum, paralisim, & cæteras neruorum pas-

ſiones cauſare ſolet. Si autem fluit ad ventriculos cerebri cau ſat vel apoplexiam, uel Epilepſiam. fluens ad oculos cauſat ophthalmiam, cæcitatem, & multa oculorum vitia. fluens ad aures ſurditatem. ad meatus olfactorios impedit olfactum. ad nares, facit coryzam, polypum, ozenam. ad dentes eorum dolorem, & corruptionem. fluens ad tracheam arteriam impe dit vocē. ad pulmones, cauſat peripneumoniam, & phthiſim. ad oeſophagum deglutire prohibet. ad pectus morbum latera lem. ad uentriculum, dolorem in eo, & debilitatem. deſcen dentes ad iuncturas cauſat podagram, & morbos articulares. ad cor tremorem, & cæteras in eo paſſiones. ad hepar, ipſum obſtruit, & debilitat. ad renes, & veſicam impedit vrinam, vel cauſat in illis lapillos, vel errodendo exulcerat. denique à catarrho multæ aliæ ægritudines, conflari poſſunt, quas recē-ſere breuitatis cauſa prætermito.

Catarrhus eſt duplex, quidam calidus, quidam frigidus: & catarrhus calidus quandoque habet cauſam frigidā, ſicuti vē tos boreales, materiam calidam à capite exprimentes. pari-ter catarrhus frigidus poteſt fieri à cauſa calida, vt à balneo, à ſole liquefaciente: non valet igitur argumentum, eſt catar-rhus calidus ergo pendet à cauſa calida: vel eſt frigidus ergo habet cauſam frigidam. verumtamen vt plurimum catarrhus calidus à cauſa calida, frigidus à frigida ortum ducit.

Alia eſt diuiſio aliquis catarrhus eſt craſſus: aliquis te-nuis: & vterque poteſt eſſe calidus, & frigidus: tenuis qui-dem bilioſus eſt calidus: tenuis aquoſus eſt frigidus. eodem modo craſſus poteſt eſſe calidus partibus tenuioribus à calo-re agente reſolutis: & poteſt eſſe craſſus per actionem frigi-di condenſantis, & exprimentis. Scire tamen debes, quòd abſolute omnis catarrhus eſt tenuis, nam ſecus fluere non poſſet: dicitur tamen quandoque craſſus, reſpectu tenuioris.

Item quidam catarrhus eſt ſalſus, quidam amarus, quidam fœtidus, & hi omnes ſunt calidi: quidam inſipidus quidam accidus, & hi ſunt frigidi. Item quidam eſt continuus, qui-dam interpolatus, & periodicus.

Queritur quinam homines facilius catarrhum incurrant, an habentes caput calidum, an frigidum. Auic. dicit, quod haben-

habentes caput calidum ſunt magis diſpoſiti ad catarrhum à cauſa extrinſeca, & præſertim à calido diſſoluente, & frigido exprimente: & hoc quia eorum pori ſunt magis aperti, vnde cauſa facile penetrare poteſt. habentes autem caput frigidum non ita patiuntur à cauſis externis eorum enim pori ſunt clauſi, & conſtipati, per quos non datur ingreſſus externis lædentibus ſunt tamẽ magis diſpoſitj ad catarrhũ à cauſis internis, eorum enim cerebrum eſt debile, ideo multæ humiditates in eo aggregantur, quæ à debili calore, neque reſolui, neque diſcuti poſſunt. Sed catarrhus in corpore calido facilius curatur quam in corpore frigido.

Cauſa.

Cauſa catarrhi alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca: & intrinſeca eſt aut per propriam eſſentiam, aut per conſenſum, & quandoque eſt materialis, quandoque ſine materia, & materialis vel eſt humiditas in cerebro congeſta ob inconcoctum in eo nutrimentum: vel eſt vapor aſcendes ad ipſum cerebrum à toto vt in febribus; vel à membro particulari vt à ventriculo; vel ab alio: qui vapor proportionatum calorem non inueniens, ideo congelatur à frigiditate cerebri, & in aqueam naturam conuertitur. Cerebrum enim in corpore noſtro aſsimilatur mediæ regioni aeris, ad quam, cum ſit frigidæ naturæ, vapores delati vt plurimum in pluuiam conuertuntur: pariter in humano corpore vapores ad cerebrum aſcendentes, niſi ab eius calore reſoluti fuerint, neceſſe eſt vt refrigerẽtur, & inſtar pluuiæ deſcẽdãt ad partes inferiores.

Cauſa intrinſeca abſque materia eſt intemperies à primo ſemine contracta, vel ob inordinatum regimen in ſex rebus non naturalibus acquiſita: quæ intemperies, aut erit frigida debitam nutrimenti coctionem impediens: aut erit calida humores attenuans: vel facultatem expulſiuam ſtimulans: aut erit humida retentiuam debilitans. Sicca vero rariſsime eſt in cauſa, niſi forte poros conſtringeret, vnde prohiberetur vaporum reſolutio.

Cauſa extrinſeca erit Aer calidus, mora ſub Sole: item aer frigidus, mora ſub dio, & ſub radijs Lunæ. Venti auſtrales caput replentes. pariter venti boreales humiditatem exprimentes.

primentes. Item crapula, ebrietas, vinum meracius sumptum cibi vaporosi, & difficilis concoctionis. haustus, & applicatio veneni: somnus longus, & diurnus. exercitium vehemens ab assumpto cibo; balneum calidum; phlebotomia copiosa: coitus frequentia calorem innatum debilitans, & spiritus resoluens. Item nimia quies multas aggregans superfluitates. retentio excrementorum vacuari consuetorum. Ira, furor, excandescentia. Intensæ cogitationes. olfatus violarum, & rosarum coryzam mouere solet.

Signa.

Signa catarrhum demonstrantia sunt patientis dispositio, sternutationes sæpius reiteratæ, pruritus, & quedam titillatio sensata in naribus, vel gutture, Secundum quod materia fluit ad vnam, vel ad aliam partem.

Signa catarrhi calidi sunt, quia membra, quę fluxionem suscipiunt, incalescunt: acris, tenuisque humor destillat tum per nares, tum per os: facies rubescit, & nasus, intumescitque (vt Paulus refert) interius etiam quandoque exulceratur simul cũ reliquis partibus, ad quas calidior, & acrior fluxio decumbit; patientem ferè semper febris comitatur, & ea minimè Iuuatur. quòd si fronti, capitique manum admoueas manifestum, extraneumq; calorem persenties: quare si ætas, temperamentum, habitus, anni tempus, regio, aeris constitutio calidę fuerint, certius catarrhum esse calidum significabunt.

Signa catarrhi frigidi sunt capitis grauitas, extensio citra calorem, ac mordacitatem, citraque oculorum, & faciei rubedinem.

Item præcessere nonnulla à quibus facile caput repleri frigidis humoribus potuit, vt nimia repletio, & præsertim frigidorum alimentorum, ac potuum, aut frequentes cruditates assumptorum ciborum: qui dum in ventre indigesti perseuerant malos ad caput mittunt vapores. pariter signa sumuntur à sapore, & odore ipsius catarrhi, nam si fuerit saporis amari, acuti, aut salsi, si fuerit fœtentis, & mali odoris, significat caliditatem. Si fuerit saporis acidi, insipidi, ac subdulcis significat frigiditatem. Item signa sumuntur à

Iuuantibus, & nocentibus, vt si febris superueniens, & calida adhibita Iuuant, est frigidus: sin contra est calidus.

Item à colore nam si quod fluit fuerit coloris lutei, aut subrubei arguit caliditatem; si vero albi absque salsedine aliqua, frigiditatem. si fuerit coloris nigri sine dolore frigiditatem, si cum dolore caliditatem; verum nigredo à frigiditate est opaca, à caliditate est lucida.

Signa catarrhi per propriam essentiam in capite sunt quia continuò infestat, neque cæterorum membrorum adsunt ęgritudines, à quibus fomitem habere possit.

Signa catarrhi per consensum à toto sunt totius nocumẽta vt febres, in quarum paroximis catarrhus augetur, ipsis recedentibus minuitur, ipsis ablatis remouetur. per consensum à membro particulari, vt ventriculo, hepate, splene, matrice, signa sunt, quia talis membri aucta læsione, augetur catarrhus, diminuta diminuitur, & ablata aufertur.

Prognostica.

Raucedines, & grauedines in valde senibus concoctionem non admittunt. 2. Aph. 40.

Destillationes in ventrem superiorem, hoc est in thoracem suppurantur intra viginti dies. 7. Aph. 38.

Destillatio à capite in nares leuis est (inquit Celsus) si in fauces peior, si in asperam arteriam adhuc peior, si in pulmones pessima.

Cunctæ destillationes breues, si neglectæ sint lõge esse cõsueuerunt; earum tamen nihil ferè pestiferum. nisi quod pulmonem, aut principium asperæ arteriæ exulcerauit.

Destillatio per propriam essentiam in capite inueterata, nunquam, vel raro curatur.

Si ætas sicca fuerit, & aquilonia, Autumnus vero pluuiosus, & australis tusses, raucedines, atque grauedines, quibusdam autem tabes fiunt. 3. Aph. 13.

Cura.

Cura catarrhi ex Mesue sex intentionibus perficitur: quarum prima conuenietem respicit diætam: secunda concoquit, adæquatque materiam peccantem: tertia euacuata: quarta diuerti: quinta astingit, sistique catarrhum: sexta mala remouet accidentia.

Circa diætam, in primis ſtude, vt patientes in aere optimo degant procul, à ventis auſtrinis, & borealibus: auſter enim replet caput humiditatibus; boreas vero conſtringendo eas exprimit. ſi catarrhus fuerit calidus, aer declinet ad frigidum; ſi autem frigidus, ad calidum, vitando ſemper ſubitas, & repentinas mutationes, tam ad frigus quam ad calorem, nam (vt Celſus ſcribit) deſtillationes ijs maxime fiunt. non maneant vbi ſit fumus, aut puluis, neque ſub radijs lunæ, vel ſolis: ſplendor lunę per feneſtram ingrediens multum nocet. Caueant cibos vaporoſos, duræ digeſtionis, & in ſartagine apparatos, & ſalſamenta omnia. Vtantur cibis concotu facilibus, & boni ſucci, & cum frigidis aliquando, aut calefacientibus leniter permiſtis, pro vt diuerſa exigit diſpoſitio. ſorbitiones multum proſunt ex fabis, & tritico, & papauere albo, & oleo amygdalarum dulcium: & amygdalis cum lacte (ſi non adeſt febris) item amylum, ptiſana, oua ſorbila, panis in aqua cum amygdalarum ſucco decoctus, aut cum pini nucleis in catarrho frigido. Aetius caſeum recentem commendat. Inſuper ex oleribus atriplex, borrago, malua, cucurbita in iure pullorum apparata concedi poteſt. & in cauſa frigida braſsicæ cauliculi, ipſaque braſsica cocta, & comeſta. conuenit butyrum, & lac præſertim caprinum. quibuſdam robuſtioribus porri quoque probe cocti, potiſsimum in raucedine. In catarrho autem calido lactucæ cauliculos parumper feruefactos comedere poſſunt, etiam ſi in poſca ipſos intingant. poterunt inſuper vti pane dulciario confecto ex amygdalis, & ſaccharo: aut pinorum nucleis, vel melonum ſeminibus & ſaccharo. ciborum quantitas præterquàm quòd moderata perpetuo eſſe debet, minor tamen in cœna: ab aſſumpto cibo per duas, uel tres horas neque legant, neque ſcribant. In potu à vino potenti, & ab aqua frigida abſtineāt: nam ſicuti aqua calida maturat catarrhum, ſic & frigida ipſum immobilitat, contumacem, & rebellem reddit. Vina dulcia non vetera concedit Paulus. Interim potus ſecurus erit aqua hordei in calido defluxu: aut aqua in qua parum radicis glycyrrhizæ, & cinnamomi fuerit decoctum: In reumate frigido, aut aqua mulſa, aut aqua ſaccharata,

Lib. 1. cap. 2.

charata, aut ſucus mali punici dulcis, aut vinum aquoſum ſub dulce, præſertim inclinante morbo. potus vero quantitas ſit exigua, nam procurata ſitis multum confert.

Somnus diurnus, & ſuper repletionem, & ſupinus improbatur: nam ex ſomno ſupino materia deſcendit ad pectus, & ad partem capitis poſteriorem, vnde ad peſsimas diſponūtur ægritudines. dormiant igitur nocte ſuper latus, & parum, & capite eleuato, & in locis non humidis.

Incipiente catarrho magis quies, quam motus conuenit: eo autem inclinante exerceantur moderate, & ante cibum per duas horas, vel ſaltem per horam. quandoque frictiones poſt ſuperfluitatum emiſsionem, item ablutiones, & balnea vicem ſubeunt exercitij: imo ſcribit Meſue quod introitus ad ſudandum in balneo maturat catarrhos: at ſi tuſsis affuerit abſtineant à balneo: tuſsis enim indicat ſpiritualia eſſe læſa: ad quæ per balneum multæ ſuperfluitates præcipitarentur. patientes catarrhos calidos abluantur caput poſt euacuationem, & poſt morbi ſtatum, aqua dulci tepida: & caueant ab ira, contentione, triſtitia, & ſolicitudine.

Hinc ad ſecundam intentionem deueniēdo dicimus, quod ſi materia deſtillans fuerit tenuis, & calida adæquabitur ſyrupo violato, de cucurbita, de nymphea, de papauere, melle roſ. cum aquis iuiubarum, ſebeſten: vel cum huiuſmodi ſyrupo, qui recipit florum maluæ, altheæ, violarum, nympheæ, trium ſeminum frigidorum communiū ana ʒ.ij. ſeminis pſillij, cotoneorum ana ʒ.i.s. ſeminis papaueris albi, iuiubarum, ſebeſten, paſſularum ana ℥.s. lactucæ.m.i. coquantur in lib.ij. aquæ pluialis ad medietatem: colentur, & cum ſaccharo fiat ſyrupus: cuius doſis ſit ℥.ij. cum aqua hordei. vel, Recipe capillorum veneris m.i. hordei decorticati, glycyrrhizæ ana ℥.ij. iuiubarū num.x. ſeminis papaueris albi ℥.s. penidiarum ℥.ij. fiat ſyrupus cum ſaccharo. ad hanc intentionem conuenit diacodion, diatragacanthu frigidum, & lohoch de papauere: & aliud lohoch, quod, Recipit capillorum veneris, glycyrrhizæ ana ℥. s. ſeminis maluæ, paſſularum, Iuiubarum ana ℥.i.s. coquantur in lib.ij. aquæ ad conſumptionē duarum partium: quibus adde ſyrupi de papauere ℥. viij.

vini defruti, sacchari albi, ana ℥.vj. seminum communium frigidorum, gummi arabici, tragacanthæ, seminis portulacæ, cotoneorum, amyli, ana ℥.s. omnia in formam lohoch reducantur.

Si vero catarrhus fuerit calidus, crassus supradictis addatur oximel simplex, vel syrupus acetosus, vel oximel scillinum: quæ etiam in catarrho frigido crasso conueniunt. scire tamen debes quod nimis aperientia, attenuantiaque & incidentia, in principio catarrhi crasi, vel tenuis, tam calidi, quam frigidi non sunt exhibēda: precipitant enim, & augent catarrhum. exhibeantur itaque, minorata prius materia, & post aliqualē apparētem concoctionem. In principio huius modi syrupum tuto propinare poteris, Recipe stæchadis, capillorum veneris ana m.i. passularum, substen ana ℥.i. dactylorum, caricarum pinguinum ana num.x. decoquantur, & addito saccharo fiat syrupus, qui cum maci, & nuce moschata aromaticus reddatur. post minoratam materiam ad syrupos magis aperientes, & attenuantes confugiendum est vt, Recipe origani, calaminthæ, amaraci, hyssopi, betonicæ, stæchadis, serpylli, calami aromatici, radicis peoniæ, phu, pulueris coralliorum pyrethri ana ʒ.iij. casiæ ligneæ ʒ.ij. florum rosmarini, sileris, carui, anisorum ana ℥.s. bulliant in aqua, & collentur, & cum melle, nuce moschata, cinnamomo, cariophyllis fiat sirupus. ad hanc intentionem facit Elect. Diamoschu dulce, & Diamoschu amarum, Diambra, Diagingiber exhibēdū dormituris sequēte potu vini oligophori.

At si catarrhus frigidus, tenuis infestauerit, conueniunt calida, & sicca incrassantia, vt est syrupus Myrtinus, de rosis siccis, mel ros. cum decocto thuris, vernicis, conorum cupresi, & aromaticus fieri poterit maci, caryophyllis, galia moschata & similibus.

Tertia intentio versatur circa euacuationem: quæ primo erit vniuersalis respiciens totum corpus: postea particularis respiciens membra superiora, & præsertim caput. euacuatio vniuersalis fit per phlebotomiam, & ventris solutionem. phlebotomia in tribus solummodo casibus competit: primus est, catarrho calido, in corpore plectorico existente cum oculo-

rum rubedine, & venarum eminentia. secundus est, materiæ fluxu declinante ad oculos, aut ad fauces, aut ad pectus, aut ad diaphragma, & periculum immineat ne ibi figatur, & colligatur. tertius, si febris reumate foueatur. tunc itaque sanguis mittendus erit ex cubiti vena externa, humeralis dicta: &, nisi quid prohibeat, sanguinis missio reiteratis vicibus potius est fienda, quam semel, & in multas quantitate.

Ventris solutionem, postquam materia rite concocta fuerit moliemur in calido cum cassia fistula, aut manna dissoluta in decocto fructuum, prunorum scilicet, iuiubarum, myxorum, violarum. aut cum syrupo rosato solutiuo. Pilulæ Assaieret post cœnam exhiberi solent, & aliquando, instante necessitate, roborantur ℈. i. pilularum aurearum. In frigido autem hyera simplici; hyera cum agarico: hyeralogodione: pilulis arabicis: cochijs: & similibus. polypodium habet proprietatem in educenda pituita salsa.

Clysteria quoque conueniunt in calido infrigidantia, humectantia, & lenitentia. In frigido calefacientia, attenuantia, & atrahentia.

Euacuatio particularis, quæ potius diuersio appellari debet, fit per ea, quæ in quarta complectuntur intentione, & sunt caput purgia, gargarismata, masticatoria, vesicatoria. caput purgia fiunt ad diuertendum materiam per nares, de cuius fluxu ad loca nobilia timemus, & conueniunt post vniuersalem euacuationem, nam, in principio (cruda existente materia, nullaque præmissa euacuatione) tantum abest, vt prosint, quod agitando maxime nocent. Caput purgium bonnum in reumate calido est succus bliti cum aqua violacea, aut aqua hordei. aut aqua maluæ cum succo cyclamini. In frigido autẽ succus chelidoniæ, & ellebori simul; vel succus caulium cum succo cæpe naribus attractus. Item puluis melanthij in aceto per duodecim horas prius macerati.

Euphorbium ter in aqua tepida lotum, deinde in frigida per vnum diem infusum post exiccationem puluerizatur, & cum lacte mistum naribus immittitur, caput optime, & sine molestia purgat. Aliud caput purgium leue, Recipit succi bliti minoris, amaraci ana ℥. i. vini albi optimi ℥. iij.

croci ℈.i. misceantur, & calefiant, & oreaquæ pleno per nares attrahantur. Aliud, Recipe pyrrethri, piperis, ana ℥.s. gingiberis ℥.i. puluerizata melle cocto excipiantur, & fiãt suppositoria, quę naribus indantur. Caputpurgium ex mumia, vel Myrrha in vino dissoluta cerebrum desiccat, mundificat, & in eo flatum discutit.

Ad compescendum coryzam, excipe naribus vapores à decocto chamæmeli, meliloti, amaraci, violarum siccarum, sisimbrij eleuatos.

Gargarismata quoque necessaria sunt: verũtamẽ (vt dicebat Mesue) aliquãdo iuuãt, aliquãdo nocẽt. Iuuãt in catarrho calido acuto cum incrassantibus administrata, per quæ aggregatur, prohibeturque à descensu ad partes penitiores, & excreationi obedientior redditur. Iuuant pariter in catarrho viscido cum attenuantibus, & incidentibus exhibita, vt facilius expellatur. Item in catarrho, cuius fixionem & adhærentiam in faucibus timemus, propinata cum abstergentibus, & mundificantibus. nocent autem quando reuma ad pulmonem, & partes spirituales descendere solet. Item in destillatione acuta, tenui, & errodente. Item in præfocationibus, quæ subito fiunt. Denique in catarrho vehementer multo, nam agitant, & multiplicant materias, vertuntque ad fauces, ad pectus, & ad viam pulmonis.

Gargarismatum quinque sunt species, alia enim expurgant partem nobilem per minus nobilem, videlicet caput, seu cerebrum per viam oris, sicut quæ ex decocto piperis, & pyrethri constant. alias sistunt fluxum, veluti quæ ex diacodione, & decocto rosarum, balaustriorum, Myrtilorum, & similium facta sunt. alia abstergunt quod fluxit, sicuti quæ cum oximelite simplici, vel scyllino exhibentur. alia alterant qualitatem ipsius catarrhi, vt caphura gargarizata alterat catarrhum calidum ad frigidum: Myrrha autem frigidum ad calidum. Alia hoc, illudque simul faciunt secundum quod ex diuersis sunt composita.

Masticatoria pariter purgant cerebrum, & diuertunt materiam ab eo, & à naribus: vnde easdem vtilitates, eademque nocumenta, quæ ex gargarismatibus proueniunt, præstare solent:

ſolent : Fortiores tamen de ſe impreſsiones maſticatoria faciunt : nam diutius in ore detinentur : caute ergo, & purgato corpore ijs vti debent.

Veſicatoria etiam ad hanc intentionem faciunt, mirum in modum ipſam deſtillationem diuertere ſolent. Caput igitur ſuper comiſſuram coronalem abradatur, poſtea panno aſpero, aut ſcilla fricabis: inde apponito emplaſtrũ de ſinapi: vel (& eſt fortius illo) fermentũ cantharidibus, & aceto forti admiſtis: dimittitoque ſuper locum per decem, aut duodecim horas: quibus ablatis, veſicæ aperiuntur, & folia caulium ad ignem parum feruefacta cum axungia porcina, vt locus apertus conſeruetur, applicabis. oportet autem ſingulo quinto die veſicationem vsque ad quadraginta dies reiterari.

Quod ſi hæc non contulerint, fiat cauterium actuale cum ferro ignito, & candente ſuper eadem comiſſura coronali penetrando vsque ad oſsis ſuperficiem: vel fiat cauterium potentiale, ſi patiens Actuale, quod eſt præſtantius, horrebit.

Quinta Intentio catarrhum compeſcit, ſiſtitque ſuffumigijs, odoramentis, ijs, quæ lambuntur, & ijs, quę deglutiũtur. ſuffumigium conueniens in deſtillatione calida fit ex ſemine lini infuſo in aceto, & torrefacto, & ex vernice pariter torrefacta. Vapor aceti ſuper lapidem molarem ignitum proiecti naribus excipitur, & eſt ſuffumigium ſecurum. ſimiliter vapor caphuræ, & ſulphuris infuſi in aceto. ſuffitus in catarrho calido ſic parari poterit, Recipe mannæ thuris, maſtiches, ladani, ſingulorum ℈. s. ſartalorum rubeornm luteorumque myrtorum, coralliorum rubeorum ana ʒ.i. roſarum rubearum ſiccarum incomplectarum ℥.s contundantur omnia tenuiter, & cum aceto paſtilli fiant: qui (vſu exigente) carbonibus ignitis imponantur.

Catarrho autem frigido exiſtente ſuffumigium ex calidioribus ſimplicibus componatur hoc modo, Recipe Amaraci, florum ſtœchadis, hyſſopi, roſarum rubearum ſiccarum ʒ.iij. ladani ʒ.i. ligni aloes, mannæ thuris, macis, nucis moſchatæ, caryophyllorum, ſpicæ, maſtiches ana ℈.j. fiat puluis à quo ſup prunas inſperſo vapor eleuatus naribus excipiatur.

Odoranda in reumate calido fiunt poma secundum hanc formam, Recipe auelane indæ, santalorum alborum, & rubeorum ana ʒ.i. citrinorum ʒ.iij. rosarũ rubearum ʒ.ij.s. boli armeni ʒ.viiij.caphuræ ʒ.s. omnia præter caphuram terantur tenuiter, & per hebdomadam aqua rosacea agitentur, deinde caphura admisceatur, & cum glutine gummi arabici fiant poma, quæ odorata sistunt catarrhum, & valent in febre ardenti, & pestilentiali. conseruantur in vase vitreo, & irrorantur sæpe aqua rosacea permistionis caphuræ, & santalorum citrinorum.

In reumate frigido ita parantur, Recipe styracis calamithæ ʒ.i. olibani mastiches, vernicis ana ʒ.iij. costi, spicæ ana ʒ.ij. ambari ʒ.i. ladani, ligni aloes ana ʒ.ij.s. moschi ℈.i. fiant poma. Aliter ex inuentioni Nicoli, Recipe ladani, vernicis, singulorum ℥.s. ligni aloes ʒ.iij.s. galiæ moschatæ ʒ. iij. ambari optimi ʒ.i. cum glutine gummi arabici, & tragacāthæ fiant poma, vel pomum, quod in spera argentea crebris foraminibus peruia condatur, & sæpius odoretur.

Quæ lambuntur, & deglutiuntur ad sistendum catarrhum sunt Diacodion, vel pilulæ de cynoglossa, Diatragacanthu frigidum in materia calida: vel Diatragacanthu calidum in frigida, secundum Nicolai descriptionem. aqua coriandri, syrupus de papauere: Item, Recipe amyli, tragacanthæ, amygdalarum dulcium, fabarum decorticarum, seminis papaueris albi, & corticum eius, gummi arabici, boli armeni ana q.s. confice cum mucillagine psilij, & seminis cotoneo rum. & fiant trochisi instar lupinorum: qui in ore detenti paulatim deglutiantur: & sunt experti in calido. ad compescendum catarrhum frigidum valet hæc confectio: quæ accipit seminis cucurbitæ, passularum, penidiarum, ana ℥.s. pinearum ℥. i.s. cinnamomi, macis, santalorum flauorum, gummi arabici, tragacanthæ ana ʒ.s. sacchari quod sufficit. Ad frigidum pariter Recipe Myrrhæ ʒ.iij. olibani ʒ.ij. radicis, cynoglossæ siccæ, castorei, croci ana ʒ.ij. cinnamomi, glycyrrhizę, styracis, caryophyllorum ana ℈.i. fiant pilulæ cum melle rosaceo. confectio alia pilularum, quæ conferunt ad omnes reumaticas passiones, Recipe thuris ʒ.ij.s. Myrrhæ

rhæ ℨ.iij. opij, hyoſciami, radicum cynogloſſæ ſiccarum ana ℨ.ij. cum ſucco cynogloſſæ viridis fiat magdaleon doſis ſit ℨ.s. vſque ad ℨ.i. dormitum ituris.

Medicamen expertum Auic. in omni deſtillatione ſiſtenda, & confert diſpoſitis ad phthiſim, maraſmaticis, & ijs, qui tuſsi infeſtantur, Recipe cinnamomi electi, galbani, ſtyracis calamitæ, piperis longi, piperis albi ana ℥.s. opij ℨ.iij. mellis quod ſufficit: Doſis ad quantitatem fabæ in aurora, & veſperi cum aqua mellis. ſecretum contra catarrhum omni tempore, & ętate eſt craſsia fiſtularis. lohoch de papauere cum bolo armeno puluerizato eſt optimũ remedium. Quando fluxus materiæ frigidæ ſuperabundat exhibe lohoch, quod ſic paratur, Recipe fœnugræci, cinnamomi, hyſſopi, glycyrrhizę ana ℥.s. Iuiubas .x. caricarum, paſſularum, dactilorum ana ℥.ij. capillorum veneris, praſij ana m.s. aniſi, fœniculi calaminthæ, Iridis ana ℥. s. bulliant in aqua ad medietatis conſumptionem, cuius decocti accipe lib.i. penidiarum tantundem coquantur iterum ad mellis ſpiſsitudinem: quibus adde nucleorum prini contuſorum ℥. s. defrui ℥. ij. ſucci glycyrrhizæ, tragacanthæ, gummi arabici, iridis, ſeminis vrticæ ana ℨ.i.s. diu omnia ſimul agitentur, & vtitor. ſunt qui conum pini recentem, & gummoſum accipiunt, in aqua ad gummi perfectam extractionem coquentes: cuius decocti ℥.iij. cum ſyrupi violati ℥ i. mane, & veſperi catarrho laborantibus exhibent. Ad deſtillationem cum ſputo ſanguinis, Recipe cancrorum fluuialium bene mundatorum ℥.i. cynogloſſe, bugloſſæ, meliſſæ, virgæ paſtoris, ſeu polygoni ana m.i. paſſularum, glycyrrhizæ, ana ℥.i. nucleorum prini ℨ.x. ſeminis maluæ ℥.s. coquantur in aqua ad conſumptionem medietatis: cuius decocti accipe lib.s. ſyrupi de papauere, defruti, ſacchari albi ana ℥.v. inſpiſſentur ſimul, inde addatur nucleorum pini mundatorum ℥.i. amygdalarum dulcium ℥.s. ſeminis cotoneorum, paſſularum, tragacanthæ, gummi arabici ana ℥.s. fiat Elect. cuius doſis ſint ℨ.ij. ante prandium, & cubitum ituris.

Scribunt nonnnlli quod inungere plantas pedum infraſcripta inunctione manifeſte Iuuat, Recipe olei commu-

nis

nis lib.s. vini albi optimi ℥.iij. caryophyllorum ʒ.i. pulegij, baccarum lauri gingiberis, ladani, conus cupreſsi ana ʒ.i.s. miſce, & ſimul bulliant ad uini conſumptionem.

Item ad dilatandum pectus in catarrho calido valet hæc inuntio, Recipit mucillaginis ſeminis cotoneorum, ſeminis lini, altheæ, olei amygdalarum dulcium, violacei, miſceantur.

In frigido confert inunctio ex oleo de been, oleo violaceo, irino, cheirino.vel, Recipe mucillaginis fœnugræci, ſeminis lini, olei amygdalarum dulcium, chamæmeli, irini ana quod ſatis ſit, miſce, & vtitor.

Sexta, & vltima intentio remouet accidentia: quæ in catarrho ſuperuenire ſolent, ſicuti dolor capitis: palati excoriatio, vueæ, & gargareonis inflammatio, febris, gulæ aſperitas, tuſsis, ſpirandi, & loquelæ difficultas, & multa alia: quibus diligens Medicus (non neglecto catarrho) oportunis remedijs ſe opponere debet.

περὶ ὀζαινῶν.

De ozænis. Cap. IIII.

SVnt autem ozænę vlcera in naribus profunda tetri odoris, plures cruſtas continuò renaſcentes habentia, à fædo, & malo odore, quē habent nomen ſortita.

Cauſa.

Gal. 3. de comp. med. per loc.

Fluxus humorũ acrium, & putreſcibilium à capite ozænas procreare ſolet: ita vt ſi acres ſolummodo ſint, ægrè curabilia vlcera excitant, non tamen grauè olentia.

Signa.

Ex dolore enim & ægri naratione, & ipſius Medici inſpectione vlcera in naribus deprehenduntur: vnde alijs non eſt opus indicijs.

Prognoſtica.

Celſus.

Difficilè huic morbo ſuccurritur, tum quia vitioſi humores, qui emanant à capite, habent nares, in quibus recipiantur

tur dispositas: tum etiam quia ozænæ, & polypi naturam cancri ferè sapiunt.

Cura.

Cibo in primis modico, qui neque acer, neque valentissimus sit vtendum, pariter & potu. Cæterum curatio potissima erit, vt caput resiccetur, ac corroboretur: siccabitur apophlegmatismis: & ijs, quæ per nares validè educunt. quomodo autem caput roborare oportet, Iam superius multoties dictum est, vbi de dolore capitis egimus: ad quam intentionem interius facit theriaca cubitum ituro sæpe propinata: Item ligni guaiaci, vel salsæ pariliæ decoctum: exterius vero oleum myrtinum, rosaceum, puluis corallij, santalorum, rosarum rubearum siccarum, mastiches, manna thuris, acetum, & alia huiusmodi. vel, Recipe myrrhæ, thuris singulorum ℥.i. cochleas integras, quæ petris adhærescunt, numero quinque, his in pila tritis, ceram, & albumina ouorum duorum addito, & capiti abraso medicamentum per nouem dies appone.

Aetius 6 cap. 91. Alex. 3. cap. 8

Cum autem totius corporis humorum copiæ adest suspicio, hæc prius aut sanguinis missione; aut purgatione ex hyera vacuatur: deinde loco affecto inducuntur remedia: quæ & repellendo, & discutiendo resiccare possint. repellunt itaque austera, & acerba, quæ communem adstringentium appellationem habent. discutiunt autem calida, & sicca facultate prædita. vnde mali punici dulcis, itemque acidi succum æreo vase, donec duæ partes supersint coquito, ac vtitor, quàm penitissime illinendo. facit & malum punicum dulce in vino coctum, & contritum, & forinsecus impositum, atque intro illitum. Galenus vlcera in narium meatibus per pastillos Andronium, videlicet, Passionis, & Polyidæ semper curauit: his aliquando vino dulci dissolutis, aliquando austero, & quandoque moderatæ ætatis, quandoque veteri. Interdum aceto, vel vinoso, vel simpliciter acido, vel etiam acri, & vetusto.

Paulus 3. cap. 24.

De cõp med. per loc. 3.

Corpora mollia, delicata vt Eunuchorum, mulierum, & puerorum, quæ nullius pharmaci fere possunt adhibitionem, sed ab omnibus irritantur: rosis aridis contusis, atque indi-

tis

tis magnopere citra omnem mordacitatem adiuuantur, & ſaneſcunt. In diuitibus, qui odoratum pharmacum ſibi adhiberi expetunt in ozænæ curatione hedychroi vſum excogitauit Galenus: ipſum vino generoſo veteri diſſoluens. optimè facit ad ozęnas atramentum ſutorium melle cocto exceptum. Item hoc, quod habet aluminis ſciſsi ʒ.i.s. myrrhę ʒ.i. malicorij, rhois, ſalis foſsilis, croci, thuris ſingulorum ʒ.s. trita inſufflato. Quòd ſi vlcera dolor comitatur vtere vnguento, quod accipit olei roſacei, myrtini ſingulorum ℥.i. plumbi vſti, lithargyri ana ʒ.i. ceruſſæ, boliarmeni, balauſtiorum vtriusque ℈.ij. cerę albę quod ſatis eſt, fiat vnguentum. vel, Recipe ceruſæ lib.s. lithargyri, plumbi combuſti ana ℥.i.s. abluantur, & vino, myrteoque oleo excipiantur.

Ex Paulo.

At ſi vlcera fuerint ſicca, abſque fluxu humiditatum, Recipe pſyllij, gummi, quod ceraſi reſudarunt, vel gummi arabici, vel pruni, vel tragacanthę, & in aqua roſacea diſſoluito, & tali mucilagine cruſtas, & vlcera naſi interius oblinito. aut, Recipe medullæ cruris bouini, ceræ nouæ ana ℥.i. olei de nymphea, vel roſacei ℥.s. aut, Recipe adipis cerui, gallinæ, anatis, œſipi, mellis ana ʒ.ij. fiat vnguentum, quo nares illinantur, & vt partes magis corroboret (ſi expediens videbitur) adde parum pulueris myrti, vel gallæ.

περὶ πολύποδος.

De Polypo. Cap. V.

POlypus eſt tumor præternaturam intra nares excitatus polypodis piſcis carni aſsimilis Iuxta ſubſtantiæ proprietatem, nam vt hic multos habet pedes, & propagines, molliſque eſt, atque augetur, ita quoque polypus morbus; qui (vt Celſus teſtatur) modo narium oſsi inhæret, & modo ad labra pendens narem implet, modo retro per id foramen quo ſpiritus à naribus deſcendit, adeò increſcit, vti poſt vuam conſpici poſsit, ſtrangulatque

6.cap. 8.

gulatque hominem max imè austro, aut euro flante.

Differt polypus à sarcomate veluti species à genere: nam quamuis sarcoma sit additio quædam carnosa in naribus, non propter hoc sequitur quod omne sarcoma sit polypus: omnis tamen polypus generaliter est sarcoma.

Polypi species sunt diuersæ: quidam enim paruus: quidam ita magnus vt extra nares pendeat, aut in ore appareat. quidam nouus. quidam antiquus. quidam in parte superiori. quidam in parte inferiori radicem affixam habet: & quandoque vnam, quandoque plures habet radices.

Causa.

Polypus verus, qui hæmorrhois ab Arabibus appellatur, fit ex matera humida emanãte à cerebro in carnem versa per vim caloris regulare impotentis.

Polypus cum maiori duritie à materia melancholica pituitæ admista per viam putrefactionis conflatur. polypum vero cancerosum efficit, humor melancholicus adustus currens à cerebro ad nares, vbi à calore accidentali infigitur, & induratur.

Signa.

Polypus hæmorrhois dictus, cognoscitur, quia est caro in naribus superflua mollis, & quasi dissoluta coloris albi, aut subrubei: à qua humiditates quandoque emanant sine dolore. Quod si fuerit durus fusci coloris cum dolore pungitiuo, quandoque vsque ad palatum pertingens, virus fœtidum emittens: cuius vlcera incrassata, & inuersata cancrum in fieri, vel factum esse denotat.

Prognostica.

Polypus verus facile medicamentis adhibitis cedit. polypus non verus, qui in naturam cancri migrauit, propter loci, in quo est, nobilitatem, curari non potest.

Cura.

Cura polypi veri mollis scilicet ad tactum, à quo fluunt humiditates, debet fieri medicinis acutis, ferro, & igne: si autem fuerit durus, & siccus, vel cum pauca, aut fœtida humiditate leniter tractandus est medicaminibus scilicet lenientibus, & phlebotomia, & ventris solutione: sic enim

cãcerosa remittitur dispositio, & eius augumẽtũ prohibetur.

Cura particularis quatuor amplectitur intentiones: quarum prima diætam seu rationem victus respicit. Secunda euacuat, & diuertit. Tertia polypum remouet. quarta accidentibus occurrit superuenientibus.

Victus non modo tenuis, verum temperatus in actiuis, in passiuis vero siccus instituatur. at in polypo canceroso frigidus, & humidus eligi debet. quòd si in toto corpore dominium sanguinis affuerit, uel humoris cum sanguine educibilis fiat phlebotomia ex cephalica: vel, diuersionis causa, cucurbitulæ adhibeantur scarificatæ vel hæmorrhoides, aut menses, si ex eorum retentione affectus ortum duxerit prouocabis. phlebotomia venarum nasi, & fluxus sanguinis ab eo potius materiã eradicat, quàm diuertit. humores præterea concocti, & dispositi hyeris magnis, aut pilulis hyeræ cum agarico, aut pilulis assaieret cum agarico, aut cochijs, aut pilulis ex colocynthide sæpius à capite educendi.

Circa tertiam intentionem: æger (naribus speculo dilatatis) ad radios solares, vel ad aliam lucem conuersus inter crura chyrurgi sedeat; mox, si polypus fuerit mollis, & pendulus, arripiatur manu sinistra vncino: & manu dextra forcipe, vel phlebotomo radicitus, si possibile est, amputabitur: quod residuum fuerit asphodeli puluere, vel vnguento ægyptiaco, vel aqua ex albumine oui sub cineribus indurati & calcantho simul admisto sublimata, vel alio actuali, aut potentiali caustico amouebitur. abiecta autem tota polypi carne vnguento viridi, & medicamine sarcotico curabitur.

Sunt qui scindunt nares, veluti Equorum anhelantium scindi solent: &, vt morbus oculis sit expositus, & commodius operari possint, per duos dies stupa oui albumine imbuta apertas detinent, postea vniunt.

Plerumque polypus paruæ molis est, & nulla adhibita incisione curatur medicinis acutis, & alijs infra dicendis; inter quas Mesue proponit semen serpentariæ, & succum mali punici cum proprio cortice cocti, obducatur super, & circa polypum. laudat pariter ipsam serpentariam, eiusque succum, vel accipe ex tribus generibus malorum punicorum partes

Galenus.

tes

tes æquales, totas contunde, succumque extrahito, & ad mellis spissitudinem coquito : hinc quod duri superest, optimè terito, pastillos oblungos confice, naribus eodem succo obliniti per debita temporis interualla indantur : est enim remedium expertum. Quod si parum efficeret, adde ex trochis alcardicon quantum satis est : quorum Iuuamentum sublime : consumunt enim polypos, cancrum, & omnem carnis additionem, Recipe calcis viuæ, arsenici citrini ana ℥.ij. calcanthi, floris æris, aluminis ana ʒ.i. gallarum, balaustiorum ana ʒ.s. conterantur in mortario æneo cum aceto forti vsque ad quinque dies, & fiant trochis, & in vase vitreo locisque seruentur frigidis: & vsu exigente vino dissoluãtur.

Mesue.

Auic. operatio est cum setis equinis per distantiam nodatis ita vt nodi serræ dentes imitentur : trahit setas alternatim per os, & per nares, seccatque quod ex polypo relictum est: at hæc operatio satis falax habetur : Ideo Nursinis circulatoribus reliquenda.

Circa quartam, & vltimam intentionem, remoue accidentia infestantia sicuti dolorem cum lacte tepido, vitello oui, oleo ros. simul admistis. sanguinem emanantem compesce bolo armeno, sanguine draconis oui albumine, & huiusmodi alijs. & escharam si quæ interius relicta fuerit, sternutationibus educito.

Polypus cancerosus fieri incipiens aliquando, præmissa vniuersali euacuatione, curatur incisione profunda ipsum eradicante : hinc, post copiosum sanguinis effluxum, cauterio actuali profundè inuritur. vel, Recipe cantharidum partem vnam, arsenici sublimati partem mediam, plus, vel minus pro vt medicamentum fortius, aut debilius efficere volueris, misce cum oximelite simplici, vel sapone nigro: & munitis partibus vicinis aliquo defensiuo, super polypum appone : ipsum enim destruit, vel saltem curam laruatam facit, vis medicamenti tota est in arsenio : veruntamen cum membris nobilibus sit infestissimum cautè vtitor.

περὶ αἱμοῤῥαγίας ῥινῶν.

De fluxu ſanguinis Narium. Cap. VI.

Gal. de ſymp. cau. 3. c. 2.

INter ſymptomata, quæ in multitudine, & qualitate excretorum conſiſtunt, omnis fluxus ſanguinis non modo à naribus, verũ à quauis alia corporis parte reponitur: & eſt toto genere præter naturam, niſi qui mulieribus ex vtero perfluit, nam toto genere præter naturam non eſt, ſed ſola quantitate.

De ſanit. tuẽ. 5. cap. 12.

Sanguinis profluuium inter morbos qui ex plenitudine oriuntur, quique vere magis inuadunt Galenus connumerauit: eo enim profundum corporis expurgatur humoribus à parte interna ad extra peruenientibus.

Ariſtot. 10. prob. 2.

Homini tantummodo ex omni animantium numero ſanguis è naribus defluit: primò quia plurimũ cerebri, Idemque humidiſsimum homo continet: vnde venæ excrementis per ora eodem tendentia nimium repletæ, profundere inde coguntur. ſanguis enim vitiatus quiſque integro tenuior redditur, talis autem eſt, qui ſe cerebri excrementis miſcuerit, & quaſi in ſaniem degenerat. Secundò quia cutis in homine pluſquam in alijs ferè omnibus animantibus tenuis eſt: tenuiſsimæ autẽ ſunt venarum ad intra nares tunicæ, & qua vis leui cauſa rumpuntur.

Huiuſmodi ſanguis fluit magis, & frequentius à virorum quàm mulierum naribus, eò quia viri partes ſuperiores calidiores habent, fœminæ vero inferiores, per quas menſibus ſuperuenientibus ſanguis expurgari ſolet.

Corpora diſpoſita ad fluxum ſanguinis narium ſunt biliosa colore flauo prædita: poſt hæc ſunt corpora ſanguinea rubei coloris, carnoſi habitus: & ijs confert moderatus fluxus pluſquam bilioſis: Melancholica vero, & pituitóſa ſunt minus diſpoſita, & minimè omnium tali Iuuantur ſanguinis fluxu.

Fluxus ſanguinis à naribus aliquando eſt paucus. aliquando ſuperfluus, nonnunquam mediocris: & vel ab arteria,

vel

vel à vena emanat: & quandoque eſt periodicus per ſingulos menſes repetens & mulieribus, quibus menſtrua ſunt ſuppreſſa, ut plurimum accidit: vel eſt periodicus per hebdomadas, aut per breuiora tempora: quandoque nullos ſeruat periodos. Interdum eſt criticus alicuius præcedentis ęgritudinis, vt doloris capitis à ſanguine, vel à bile: phrenitidis: anginę: peripneumoniæ: pleuritidis: Apoſtematis hepatis: morbillorum: variolarum: febris ſinochæ: tertianæ: cauſonis: & aliarum, quæ à ſanguine Inflammato, & bili admiſto proueniunt. aliquando non criticus, & eſt vel nociuus ad syncopim, & ad mortem hominem deducens: vel proficuus, vel periculo carens. tria ſunt membra: à quibus ſanguis peculiariter fluere ſolet, Naſus, Matrix, & Anus.

Cauſa.

Profluuij ſanguinis à naribus cauſæ partim ſunt externæ, partim internæ. Externæ ſunt caſus ab alto, Ictus, exercitium vehemens, mora in ſole, Ira, excandeſcentia, capitis multa fricatio, ſub pondere aggrauatio, clamores, Balneum nimis calidum, cibus, & potus calidus, & ad intra nares alicuius rei ſanguinem prouocantis impoſitio.

Cauſæ internæ ſunt vel ex parte vaſorum, vel ex parte ipſius ſanguinis: ex parte vaſorum, quia venarum aut arteriarum ora reſerantur: aut tunicæ rumpuntur, ac diuiduntur; aut rarefiunt, ita vt ſanguis inſtar ſudoris tranſcolari poſsit, ex parte ſanguinis, quia ſcilicet in magna exiſtens copia venas diſrumpit; vel quia acri, & mordaci qualitate pręditus eas corrodit, & diuidit: vel quia nimis attenuatus per earum poroſitates viam ſibi facit, & tranſcolatur. hinc igitur bene dicebat Galenus ſanguinis profluuium fieri vel propter ἀναςόμωσιν ideſt venarum apertionem: aut διαίρεσιν ideſt diuiſionem; aut διαπήδησιν, ideſt reſudationem. Anaſtomoſis fit à multitudine ſanguinis: diæreſis fit ab eius acrimonia, à vulnere, à contuſione. diapedeſis à nimia humoris tenuitate, & vaſis raritate.

v. Meth.

Signa.

Fluxum ſanguinis futurum denotant præcordiorum tenſio ſine dolore, difficultas anhelitus, ſpectra, rubea ſplen-

Gal. ad postbu. cap. 13. De cris. 3. c. vltimo.

dor, lineæ rubeæ oculis obuersantes: pruritus, & titillatio in naribus, & præsertim post dolorē capitis, grauantē, phre nitidē, & ægritudines per fluxum sanguinis terminari solitas.

Signa quòd sanguis immediate à venis narium fluat, sunt, quia medicamentis adhibitis statim fluere cessat, & nullus in capite dolor percipitur (perciperetur autem si à capite emanaret, & medicamenta imposita nihil proficerent.)

Sanguis fluens ex disrupta vena erit rubeus, multus, & crassus, sine spuma, & placidè egregiens. per resudationem erit paucus, & tenuis.

Sanguis ex arteria erit calidior, tenuior, rutilans, aliquantulum spumens, impetu, & subsultim exiliens.

Fluxus ob vulcera corrosiua, aut putrida est cmu sanie, aut post saniem.

Fuxus sanguinis criticus cognoscitur, nam post aliquas ægritudines semper aduenit, easque vel benè, vel malè terminare solet: si benè statim confert, & leuiter ferunt, sin minus contra.

Prognostica.

Hip. vi. aph. 3.

Vbi sanguis multus fluxerit; singultus, aut conuulsio Superueniens malum.

7. aph. 9.

A profluuio sanguinis desipientia, ac conuulsio malum.

Gal. prorrh. 3 tex. 35.

Sanguinis eruptio non Iudicans, vel mortalis, vel Iudicium reddit difficile.

Tex. 37.

Si sanguinem quis deiecerit post nigras deiectiones, in acutis morbis perniciosum existit.

Tex. 42.

In iudicatorijs perfrictonibus sanguinis eruptiones vehementes pessimæ.

Ex immoderato sanguinis fluxu insequitur totius corporis extenuatio, flauities, hepatis debilitas, cachexia, hydrops, tremor, syncopis, & tandem mors.

Sanguinis fluxus ob venam, vel arteriam in partibus cerebri penitioribus, vt in retiformi plexu disruptam, non curatur.

In fluxu sanguinis narium extrema frigida malum. fluxus sanguinis narium excedens quatuor libras malus; excedens octo libras pessimus: quod si extenditur vsque ad viginti libras

bras multo peior est: nam mortem secum affert. inquit Auic. scias quod quandoque viuit homo fluente sanguine narium vsque ad viginti, vel vigintiquinque libras, deinde moritur. fluxus sanguinis narium paucus malus est: peior est quando niger sanguis egreditur: In quarta die crisis difficultatem significat: in diebus imparibus ferè semper bonus.

Auic. 2. quarti tract 1. c. 73.

Sanguis ex naribus fluens menstruis deficientibus bonum.

v. Aph. 33.

Omnis fluxus sanguinis criticus ad quem insequitur virtutis leuamen, & patientis bona tolerantia semper laudabilis: & presertim in phrenitide, dolore capitis, catarrho calido, angina, sinocho, febre ardente, tertiana, Apostematibus hypochondriorum calidis, hepatis inflammatione, pleurisi, mensium, & hemorrhoidum retentione.

Cura.

Victus vniuersaliter sit incrassans, astrigens, & refrigerans: vtatur (ni febris adsit) carne bouina, leporina, ceruina, pedibus vitulinis, pullis assis, caseo recenti, piscibus viscida carne præditis, vt anguilla, tencha, muræna, ostreis. conueniunt inter legumina fabæ, lentes, pisum, eruilium. Item hordeum, far, oriza, ex oleribus vtatur lactucis, oxalidæ, endiuia, portulaca, cucurbita, citrulis. potus sit paucus: caueat à vino, & præsertim albo, ac tenui: quòd si pro virtutis restauratione vinum exhibere coactus fueris, illud sit subnigrum, astringens, ac optimè dilutum. In fluxu sanguinis cum febre cibi sint frigidi, facilis coctionis, & boni succi: bibat aquam hordei, vel aquam calibeatam, vel poscam, vel succum mali punici. somnus sit multus, sed interruptus, ne sanguis ad pulmones, vel ad ventriculum declinet: dormiat capite eleuato: nares non emungat, neque loquatur: sed corpore, & animo quietus maneat. ab ira, furore, nimioque gaudio cauere debet: timor quandoque iuuat: est enim causa quòd sanguis interius retrahatur.

Auic.

Cætera cura perficitur reuulsione, euacuatione, & fluxus interceptione. In principio igitur dum vires adhuc constant, non contemnenda venæ sectio, tanquam non sit auxilium reuulsorium, cum me (inquit Galenus) sepenumero conspexeritis in valida sanguinis è naribus eruptione eo

De cur rat. per sang. miss. cap. xi.

vſum repente fluxionem ſedaſſe.

Expedit autem non eò vſque ſanguinem educere, dum ad extremum vires ducantur, ſed vbi paululum detraxeris, mox vnam horam intermittens rurſus detrahes, poſt iterum atque iterum, quoad quod ſymmetrum ſit, eductum videatur, prorumpentiſque ſanguinis impetus nōdum flacceſcat, ſed validus permaneat: ſeccare in cubito venam, ſi ex dextra nare prorumpat ſanguis in brachio dextro: ſin ex altera in ſiniſtro. ſimul autem cum hoc agis, artubus vincula inijcito, aut cucurbitam hypochondrio directè ſuppoſito adhibe: vt verbi cauſa ſi ex nare dextra ſanguis fluxerit, ſuper Iecinore, ſin ex ſiniſtra ſuper liene: ſi ab vtraque nare ſuper vtroque eſt applicanda viſcere: prodeſt etiam ſcapulis ſcarificatas affigere cucurbitulas. & alijs reuulſionum generibus vti.

Euacuatio per pharmaciam interdum magis expetitur: quādo ſcilicet venæ ſectio aliqua occaſione impedita fuerit, & humores talis erunt naturæ vt ſanguinem augere, vel exacuare, vel vitioſum, fluxuique diſpoſitum reddere poſsint: Vnde ſi humor bilioſus fuerit, euacuabitur decocto prunorū, tamarindorum, Myrobalanorum citrinorum cum manna, aut caſsia fiſtulari, aut Rhabar. at ſi humor pituitoſus vel Ichor magis infeſtat agarici, & myrobalanorum chepulorum decocto, aut ſucco Iridis cum ſyrupo ex pluribus roſ. rub. infuſionibus euacuabitur. humor vero atrabilaris diaſena, Epethymo, myrobalanis indis, & ſimilibus.

Fluxus vero compeſcitur aut medicamentis infrigidantibus, & ſanguinem congelantibus, & incraſſantibus vt eſt opium, hyoſcyamus, mandragora, ſolatrum, papauer, ſemper viuum, lactucæ ſuccus, caphura. aut medicamentis ſtipticis, vt eſt roſa, eiuſque ſemen, gallæ ſuccus, malicorium, balauſtia, Myrti baccæ, eiuſque folia, rubi ſuccus, folia pyri, acacia, ſuccinum, ſeu Karabe, ſanguis draconis, bolus armenus, terra figillata, lapis hæmatites, alumen, myrrha, & huiuſmodi. aut medicamentis glutinantibus vt eſt farina volatilis molendini, tela aranea, albumen oui charta ex papyro combuſta, ſpongia pariter combuſta, pili leporis, & coagulum eius, fumus thuris, thus, aloes, gypſum, pennæ combuſtæ,

Meſue.

combustæ, gummi assum, tragacantha combusta, lebetis terrei sæpius ignem experti rasura. Aut medicamentis id à proprietate efficientibus vt est asini stercus, ocimum, succus porri, mentha, stercus equi, aut bouis combustum, succus portulacæ, frequens comestio cerebri gallinarum. aut medicamentis causticis, & adurentibus, vt est arsenium, calx, æs vstum, flos æris, chalcanthum, cauterium actuale.

Sciendum tamen est quòd medicinæ glutinatiuæ, & stipticæ sunt in hoc casu meliores, & per eas fit vera curatio. congelatiuę, & stupefacientes, & causticæ periculo non vacant: hæ enim congelant spiritus, & calorem vitalem extingunt: Illæ vero, licet astringentes, magnificant vulnera: & post escharæ casum vehementior fluxus redditur quàm prius fuerat.

Mesue.

Emplastrum descriptum à Mesue super frontem, & tempora delinitum sedat fluxum sanguinis: Accipe boli armeni, gypsi recentis, succi barbulæ hirci ana partes ęquales conterantur in mortario lapideo optime simul: post modum addatur aceti q. s. vt mellis consistentiam acquirat: quòd si magna vrget necessitas adde opij partem .s. & vtitor.

Vel accipe aluminis, terræ sigillatæ, gallarum adustarum & in aceto extinctarum, succi hypocistidis, aut acaciæ ana ʒ.i. caphurę, opij ana ℈.i. fiat puluis tenuissimus, de quo in nasum insuffletur. vel corticem oui combure, & accipe de eo partem vnam, de galla partem mediam, & insuffla. Aliud lycium appone. Aliud, Asini stercus in cinerm redactum insuffla, aut exprimens eius succum instilla. Aliud lapidem molarem igniens extingue in aceto: cuius vaporem naribus excipiat. Aliud, thus masculum, & aloen assume cum oui albo, & fac elychnium, & superpone pilos leporis. vel, Recipe boli armeni, terræ sigillatæ, lapidis hæmatitis, corallij rub. hypocistidis, acaciæ ana q.s. cum aceto & oui albumine agitentur, & fiat linimentum. vel, Recipe succi plantaginis, aquæ ros. ana ℥.ij. aceti ℥.s. ouorum albumina. ij. terræ sigillatæ quantum ad inspissandum sufficit. vel, Recipe gummi arab. assati, sang. draconis, acaciæ, spodij, balaustiorum, boli armeni, terræ sigillatæ, lapidis hæmatitis,

Gal. de med. facile parab cap. 13.

corallij rub. ana ʒ.i.ſ. cornu cerui vſti, gallarum, nucum cupreſsi ana ʒ.i. fiat puluis tenuiſsimus, & cum albumine oui formentur peſſarij intra nares immittendi. vel cum aceto, & oui albumine emplaſtrum fronti, & temporibus adhibendum conficito. vel, Recipe maſtichen, tragacantham, telam araneam, farinam volatilem molendini, pilos leporis minutos miſce cum oui albumine, & vtitor. valet tela aranea cum ſucco ſolani oui albumine & caphura. item ſuccus ocimi cum caphura expertum eſt remedium. vel, Recipe ſucci lactucæ, ſemperuiui, polygoni, aquæ roſ. ana partes æquales, aceti parum, his ſimul miſtis linteola madefiant, & fronti, temporibusque ſæpe apponantur: quòd ſi maiorem exigis refrigerationem adde ſuccum hyoſciami, mandragoræ, papaueris. Iuuat infrigidare teſtes poſca: & hepatis regionem aceto, vnguento ſandalino, & aqua cichorij, vel roſ. ſimul agitatis. vel (conſentientibus viribus & ætate) ſedat in aqua frigida: nam eſt remedium mirabile in fluxu menſtruorum ſuperfluo. caue tamen ſemper ne vltima inſequatur refrigeratio: nam difficilè datur regreſſus ad priſtinum calorē.

Non deſunt qui pro ſiſtendo ſanguine ad Amuleta, & incantamenta confugiant: itaque Iaſpidem lapidem collo patientis ſuſpendunt. vel roſtrum porcinum contritum ſuper vtranque mamillā alligant, vel patienti imperant, vt burſam paſtoris in manu teneat, & olfaciat.

Sunt qui cinerem ranæ ſibi intra nares inſufflari Iubent, vel cum aceto naribus attrahunt.

Fluxum ſanguinis à naribus criticum non curabis niſi ſuperfluus fuerit, & de virtutis proſtratione periculum immineat.

περὶ δυσωδίας ῥινῶν.

De fœtore Narium. Cap. VII.

NVllus eſt, qui non auerſetur colloquia, & congreſſum hominis: cuius nares tetrum exhalant fœtorem: nam alieno odoratui ita moleſtus eſt, vt animi deliquium inducere poſsit: percipitur huiuſmodi fœtor ab alijs, ferè nunquam ab eo, cuius nares fœtent, habet

habet enim odoratus instrumentum, partesque illi deseruientes læsas, ideo non patitur à simili per eas læsiones causato fœtor est symptoma, quod narium affectus sequitur.

Causa.

Vapor putridus à ventriculo, vel à membris spiritalibus eleuatus potest nasi fœtorem causare. Item humor, vaporque putridus in parte anteriori, vel in toto existens cerebro. Item putredo in ossibus colatorijs. Item apostema aliquod, vel tumor obstruens colatoria: vnde superfluitates retentæ cum à calore regulari non possint, putrefiunt.

Signa.

Fœtor narium vitio ventriculi, vel membrorum inferiorum proueniens ostenditur à diminuta, vel corrupta concoctione, pariter ab assumpto cibo non ita molestus est: quòd si naribus astrictis talem ab ore exhalat fœtorem, adhuc magis eris certior per consensum à partibus iuferioribus causari.

Si autem fœtor fuerit à materia in naso contenta, aut in parte anteriori cerebri post cibum æquè ut ante cibum sentitur, & nunquam naribus astrictis, sed patulis semper emittitur: & sinciput à grauitate, vel dolore rarò destitutum est.

Quòd fœtor proueniat à polypo, ab ozænis, vel à carne superaddita, vel ab aliquo præter naturam tumore in meatibus nasi contento, tales ibi videndo morbos cognosces.

Prognostica.

Fœtor ab ossibus narium corruptis ferè semper incurabilis est.

Fœtor per consensum facilius, quam si esset à materia in partibus nasi contenta remoueri potest.

Cura.

Cura fœtoris à putredine humorum in cerebro, aut carunculis, aut circa colatoria, aut partibus nasi contentorum: quatuor perficitur intentionibus: quarum prima diætam instituit: Secunda humorem peccantem digerit, & euacuat: tertia varias molitur diuersiones: quarta & vltima topicis certat remedijs.

Circa primam intentionem caueat patiens ab aere crasso,

nubilo, & humido, & à ventis austrinis. fugiat otium, & nimiam quietem: exerceatur tempore conuenienti. Somnus sit nocturnus, & nequaquam diurnus. abstineat à nimio potu, & à cibis putredini obnoxijs, vt sunt lac, pisces, & fructus horarij: persica fœtorem vitio stomachi procedentem remouere dicuntur: hoc idem Eryngium præstat. post alia cibaria vtatur bellarijs vapores reprimentibus, vt sunt cotonea, pyra, sorba, mespila, & huiusmodi. vẽtris quotidie educat superfluitates. & uitet mala animi accidentia.

Circa secundam intentionem, materia peccans syrupis digeratur oportunis: quæ, quoniam ferè semper mista est, vel à prædominio pituitosa, mistis pariter, vel attenuantibus, eget syrupis: vel saltem ipsum caput corroborantibus, vt est syrupus myrtinus, de stœchade, de betonica, de absinthio, de acetositate citri, de hyssopo cum aquis amaraci, saluiæ, betonicæ, origani, rosmarini, absinthij, menthæ, chamæmeli, & similibus. postea non semel, sed iterum, atque iterum euacuabitur vel Electuario indo, vel hyera ex colocynthide, vel pilulis alephanginis, vel cochijs, vel aggregatiuis. quòd si in toto corpore phlethora affuerit: vel humor infestans cum sanguine educi potest, phlebotomia primò ex cephalica fiat: secundò ex vena, quæ in nasi extremitate reperitur.

Circa tertiam intentionem, omnia quidẽ diuersionum genera probantur, præcipue tamen caput purgia ex succo cucumeris asinini, & pauco lacte admisto, vel ex succo ellebori albi, & lacte, nam vltra quòd fœtorem remouet, multas à cerebro educunt superfluitates. at secundum Auic. ex expertis in hac cura cum putredo est in cerebro, aut in parte eius anteriori, sunt duo cauteria à dextra, & à sinistra parte caluæ coram auribus, quæ spectant ad ambo tempora: uel vnum cauterium in medio super comissuram coronalem.

Pro vltima intentione perficienda, quæ abstergunt, & mundificant quicquid nasi osibus corrupti inhæret: & quæ bonum conciliant odorem adhibeto: In primis proponitur vinum album odorum, & potens, ut maluaticum, quo nares interius singulo die multis abluantur uicibus. Item uinum cum myrrha, cypero, rosis, calamo aromatico, folijs,

uel

uel baccis myrti, xyloaloe, & similibus ebullitū. scribit Mesue ex autoritate Galen. quòd ex melioribus lauacris est urina asini, abstergit enim, & à proprietate Iuuat.

Vel ex Paulo, myrrhę, acaciæ, amomi singulorū drachma melle cocto expecta summo narium intersepto agglutinari Iube. aliud amomi, myrrhæ, rosarum siccarum partes æquales nardino vnguento exceptas illinito. vel insuffletur intra nares puluis calami aromatici, spicæ, rosæ, foliorum myrti, & similium per se, aut coniunctim cum modico salis gemmæ. similiter confert puluis calament. mont. aut menthastri. aut, Recipe spicę, galliæ, caryophyllorū ana partes æquales coquantur in vino aromatico sugantur naribus, & tali decocto nares abluantur. ex rebus mirabilius ad hoc est glans facta ex pulueris hyeræ picræ ʒ.ij. calami aromatici, myrrhę, caryophyllorum ana ʒ.i. spicæ, folij, florum squinanthi ana ʒ.i.s. vini. q.s.

Fętori nariū ob vlcera inueterata succus foliorum, & summitatum hederæ attractus confert: pariter confert fœtori ob vlcera corrosiua succus vuæ serpentariæ lana, vel xylino exceptus, & immissus. Interim dum hæc adhibentur Iuuat os aquæ plenum habere ne medicamenta ad guttur descendant.

Fœtor narium à polypo, ozænis, à carne superaddita: item per consensum ventriculi, hepatis, cęterorumque membrorum proueniens, ad remotionem talium morborum remouetur: & curatis membris consentientibus curabitur.

περὶ πταρμοῦ.

De sternutamento. *Cap.* VIII.

Auic.

STernutamentum est motus proprius cerebri ad expellendum humorem, aut materiam aliam cum auxilio aeris naribus attracti subito per viam nasi, & oris. & sternutamentumquidem cerebro est sicut tussis pulmoni: nam vt alias quoque multas natura hominibus salutis causa ingenitas indidit passiones, ad eumdem,

Gal. de simp. med. facul. 2. c. 18.

dem, modum & sternutationem, & tussim: sternutationem quidem vti ea, quæ in naribus infesta, molestaque sunt crebrũ propelleret. tussim vero, vt quæ in gutture pulmones.

De symp. cau. 2. c. 3.

Sternutationum motus opera quidem sunt Naturæ, sed propter causas, quæ naturam sic moueri cogunt, inter symptomata, quæ præter naturam sunt, adnumerantur.

De hist. ani. 1. c. 11.

33. probl. 7.

Sternutamentum (inquit Aristoteles) est eruptio vniuersi flatus, signum augurale, & vnum ex spirituum omnium generibus sanctum, & sacrum, quia de capite membrorum omnium principe, vnde ratio, & cogitatio est, suum ducit principum, & non fit tantummodo ratione morbi, ut tussis, coryza, uentris crepitus, & huiusmodi alij motus, qui semper morbosi sunt, ideo nunquã bonum portendunt augurĩu.

Probl. 10.

Homo omnium maxime animalium sternutare solitus est, quia sui corporis foramina obtinet latiora, per quæ spiritus interrumpere potest: his enim spiritu impletis sternuimus. latiora esse indicatur, quòd minimè omnium animantium homo olfactu ualet: foramina quippè tenuiora olfaciunt exquisitius. quòd si latiores meatus plus humoris, ac sæpius subeat necesse est, quo inflato sterntuamentum moueri solet, talesque homo maximè animantium habet: meritò sæpissime sternuit, præsertim qui naribus breuissimis est: sic enim humor concalefactus celerius effluere conuersus in spiritum potest: cæteris uerò præ longitudine narium ante refrigeratur quàm effluat.

Senes laboriosius sternutãt ob duas causas primò quia propter siccitatem senilem meatus narium astrictos habent: quos adhuc magis accidentaliter obstruit materia catarrhalis morbosa continuò infestans. secundò quia motus in ipsis sunt debiles; sternutatio autem uehementi fit motu, & conamine.

Mesue.

Sternutamentum quãdoque est utile, quãdoque nocuum: est utile post maturationem coryzæ, in declinatione doloris capitis, phrenitidis, lithargi, cari, Epileposiæ, Apoplexiæ, ægritudinis neruorum, scotomiæ, ad partum facilitandum,

Gal. 6. aph. 13

& ad expellendam secundinam, item est utile quia sedat singultum à plenitudine causatum. Est nocuum in principio catarrhi, in ægritudinibus pectoris, pulmonis, faucium,

costarum, à catarrho pendentibus, & ante maturationem doloris capitis ex plenitudine, & omnium supradictarum ægritudinum.

Causa.

Sternutatio excitatur quandoque à causa procatarctica ut à radijs solis, à uento, à frigiditate aeris mordicante, à puluere, à fumo, à pennis, à festuca, à setis intromissis, ab allijs, sinapi, à cepa, ab aceto, à uini uapore, à caphura ex oleo omphacino in nares stillata, à Rosis, à solano, à nymphea, ab elleboro, à nigella infusa in aceto, à pipere, à daphnoide, euphorbio, cyclamino, castoreo, cucumere asinino, à puluere Iridis, amaraco, ruta syluestri, pulpa colocynthidis, opopanace, sagapeno, & similibus: ex quibus uaria ad sternutationem mouendam unusquisque componere potest. quandoque sternutatio fit à causa intrinseca ex capite cerebro calefacto, aut humectato eo, quod in capite inani: quod scilicet est in uētriculis cerebri, & quod ipsum ambit exterius. aer enim intus contentus extra erumpit, sonat autem, quoniam per angustum exit.

Nigella officinis melanthium à græcis, & latinis vocatur.

Hip. 7. aph. 52.

Signa.

Sternutamentum futurum ostendit pruritus in naso, uaporis mordicantis ascensus, respirationis subita retentio, & in partibus nasi supremis titillatio quædam uirtutem excitans expulsiuam.

Prognostica.

Sternutamentum magna ex parte coryzam subsequi solet.

Mulieri, quæ ab uteri strangulationibus infestatur, aut difficulter parit, sternutamentum superueniens bonum.

Sternutationes (si tamen ex catarrho non fiunt) maximum remedium capitis halitu repletis sunt.

Gal. 2. prog. tex. 49. Hip. 5. aph. 35. Gal. de symp. cau. 2. cap. 4.

Sternutatio in morborum declinatione semper bona ualidam enim uirtutem, materiamque attenuatam, & in halitum conuersam denotat.

Sternutamentum in corpore plethorico, in principio morbi cum destillatione semper malum.

Sternutatio in morbis, in quibus prouocari debet, prouocata, & non adueniens, signum lethale est.

Cura.

Cura.

Mesue. Sternutationem prohibentia sunt passiones animales sicut timor, gaudium, ira, solicitudines, cogitationes, & frictiones aurium, & extremitatum.

33. probl. 8. Item sternutamenta desinunt oculo perfricato: quia (vt scribit Aristoteles) per frictionem lachrymam emittimus, per quam humor sternutamentum excitare solens respirat. insuper minor calor à maiori consumitur: oculus autem perfricatus plus caloris sibi acquirit, quàm sit, quem nasus complectitur. hinc etiam fit, vt si nasum quis perfricet, ipsum compescit sternutamentum: quòd, si à calore, aut austro causatum fuerit, oleo rosacea de salicibus, violaceo & similibus odoratis, & effusis in ambas aures, & super caput, pariter sorbitione aquę frigidæ curabitur. proderit etiam abluere faciem aqua frigida ipsamque sæpius naribus attrahere.

Si vero sternutamentum contigat propter incitationem à frigore, & borea, conferunt infusiones oleorum calidorum sine mordicatione in ambabus auribus, & super caput, & nares, & sorbitiones calidæ, imo omnes cibi, & potus actu calidi, & balneationes, & odorare chamæmelum, & poma redolentia, & galliam, & spicam, & myrrham, & ambram, lignum aloes, & spongiam. folia ocimi naribus apposita, vel eorum succus instillatus superfluam remouet sternutationem.

Sectionis primæ.

Libri Sexti finis.

DOMINICI LEONI LVNENSIS

Artis medendi humanos, particularesq; morbos à capite vsque ad pedes, Sectionis primæ.

LIBER SEPTIMVS.

De oris Anatome. Cap. I.

Os, στόμα grecè, dicitur tota illa cauitas intra labia, & buccas contenta, per quam aer pro euentatione cordis, cerebri, & caloris innati ingreditur: per quam exeũt sputamina: & in qua voces formantur, & cibi pro nutritione assumuntur, & masticantur.

Oris partes sunt labia, dentes, gingiuæ, maxillæ, palatum, vuea, lingua, tonsillæ, fauces.

Gal. de ossibus c. v.

Labia cõposita sunt ex cute, carne musculosa, & pãniculo, qui est cõmunis linguæ, æsophago, & stomacho: vnde ob talẽ communitatẽ labiũ inferius in vomitu futuro semper tremit: Hic pãniculus durior, & crassior in ore, quã alibi: & crassior in æsophago, quã in ventriculo: In descensu enim efficitur tenuior

nuior

nuior nam cibarijs non amplius duris, ſed in ore molitis, & ſaliua contemperatis obijcitur. ſunt autem labiorum partes inter ſe ita vnitæ, & compactæ vt per anatomen vix vna ab alia ſeparari poſsit, ob hanc ſcilicet cauſam ne propter craſſitiem motu ſuo facili ad omnem poſitionis differentiam priuarentur: quem motum quatuor muſculis proprijs, & duobus cum ipſis genis communibus exercent. labiorum vſus primò eſt ad tutelam dentium, ad verba efformanda, ad cibum, & potum aſſumendum, & ad oris concinnitatem, eorum temperies propter carnis dominium eſt calida, & humida: ſuntque omnibus morborum generibus expoſita.

Dentes ſunt vt plurimum trigintaduo in homine: ſubſtantiam oſſeam imo oſſe duriorem ſortiti, renaſcuntur, & creſcunt propter indiuidui conuerſationem, ijs enim mediantibus melior in ore fit ciborum attritus, meliorque concocto ob quam poſtea vita conſeruatur, & prorogatur. & quamuis oſſa non ſentiunt, dentes tamen (vt omnibus patet) aliqualem habent ſenſum. Alueoli è quibus dentes emergunt græcis φάτνια, latinis præſepiola vocantur: priores quatuor dentes, quia ſecant, græcè τόμεοι, latinè inciſorij. deinceps vtrinque qui ſingulis radicibus vt ſuperiores adhærent græci κυνόδοντες, latinis canini, quòd ſcilicet canum dentibus quàm ſimillimi, à nonnullis gelaſini quòd in riſu maximè appareant, dicuntur: vltra hos quini ab vtroque latere græcis γόμφιοι latinis maxillares, & molares nominati: & ij maxillæ ſuperiori ternis, inferiori vero binis adhærent radicibus nonnullis exceptis, qui ſupra quandoque cum quaternis, infra cum ternis radicibus deprehenduntur. poſtremi dentes omnium reconditiſsimi, ac propemodum gingiua operti, σοφρονιτῆρες à græcis ab Auicenna dentes ſenſus, & ſapientiæ vocantur, quod ſcilicet eo tempore producantur, quo ſapere ſolemus in virilitate ſcilicet, vel ſenio. ſunt qui ὀψίγονους ideſt tarde genitos, & κρατῆρες ideſt ætatem complentes, & perficientes vocitent. dentes ſicuti cætera oſſa omne genus morbi patiuntur: & præſertim dolorem, commotionem, corroſionem, putrefactionem, congelationem, elongationem, & coloris mutationem.

Gal. de oſsibus c. v.

Gingiuæ

Gingiuæ à gignendis dentibus dictæ substãtiam carneam habent satis duram: earum vsus est firmare, fulcireque dentes, & mandibularum ossa: illisque fomentum præbere: & ijs, qui dentibus sunt destituti, occalescunt, & in masticationibus dentium vicem supplent: & mediantibus neruis à cerebro prodeuntibus multo sensu præditæ sunt. afficiuntur corrosione, carnis excrescentia, Inflammatione, putredine, hæmorrhagia, & huiusmodi alijs affectibus. gingiuis maxillæ vestiuntur & superior, & inferior: maxillis dentes alligantur, mediantibus neruis, musculis, & eorum proprijs radicibus infixis. ossa maxillam superiorem constituentia sunt duodecim vt in ipsa anatome videre licet.

Gal. de ossib. c. 6.

Maxillæ inferioris os non est simplex: id enim coctũ in summa menti extremitate laxatur, ob idque ipsum Iam coaluisse manifestum est indicium. desinit vtrinque in duos processus, quorum alter in mucronem desinens tendonem à temporis musculo descendentem recipit. alter capitis ossi sub eo exortus, quem mamillarem vocant alligatur, ibique in paruulum sinum rotundo quasi tuberculo se se inserit.

Gal. de ossib.

Maxillæ tribus indigent motibus: primò motu aperiente, qui motu maxillas descendere facit: Secundò motu claudente, qui easdem eleuat: tertio motu masticante, qui ipsas ferè in gyrum ducit. motus claudendi fit per musculos, qui à superioribus descendunt, & ad superiora retrahuntur: motus aperiendi fit è contrario: at motus masticandi fit cum transuersione.

Musculi claudentes sunt duo magni, magnasque chordas habentes, qui musculi temporales vocantur, quia in temporibus alligantur intra craneum, & ossa paris: in homine sunt paruæ mollis, quoniam membrum per eos mouendum non multum graue est. in cæteris autem animalibus inferior maxilla est maior, & grauior, quàm sit in homine: vnde per eos moueri in motu mordendi res duras, comedendi, & incidendi, & eradicandi est difficilius. & hi duo musculi molles sunt, propterea quòd Iuxta cerebrum per se mollissimum positi sunt: cui tribus alligantur neruis, vno à quarto, & duobus à tertio pari emanantibus: & ob hanc causam

recte

recte Hippocrates dixit plagas in temporibus latheles esse, ac stupefacientes. & ante Hippocratem natura præuidit maximam fore animalibus perniciem, nisi securitati musculorum temporalium prospexisset: proinde locum quàm potuit munitissimum effecit, primum quidem cauum ipsis receptum velut antrum quoddam comparans: osium vero adiacẽtium externas superficies simas, velut thalamos quosdam efficiens: superioribus autem eorum oris ἄμβωνας, idest margines imponens ad musculos spectãtes, vt omni ratione, quoad maxime liceret, conseruarentur exiguaque ipsorum pars supra osium septum extet: quam tamen & ipsam sine munimento non destituit, sed partim ex superiacentibus capitis osibus, partim ex eis, quæ sunt ad fines superciliorum, prælongum os vtrinque productum, foris quidem conuexum, cauum vero versus musculum efficiens, vtrinque circumposuit.

Gal. de vsu part. 11. c. 3.

Musculi oculorum sunt valdè nobiles, quia propinqui cerebro, sed non habent tot neruos, quot isti duo temporales, qui à duobus alijs musculis per interiorem buccæ partem ad mandibulas extensis adiuuantur. horum musculorum temporalium chordæ non ab extremitate sed à medio musculi oriuntur vt sint fortiores.

Musculi aperientes, & maxillam descendere facientes ducunt originem à duobus osibus acutis occipiti additis, quæ sunt post aures. qui duo musculis descendendo vniuntur, & fit vnus musculus, postea separantur, & fiunt chorda, vt fortiores sint: deinde iterum in ramos diuiduntur, & carnosiores euadunt, & fit musculus reiteratus dictus, qui postea mandibularum reflexioni obuiat: & quando contrahitur, trahit mandibulam retro: & descendit: & quia mandibulæ sunt graues per se descendentes duo tantum sufficiunt musculi, neque alio ad hoc egent auxilio.

Duo alij musculi ad mandibulæ in masticationibus circumactionem à natura fuerunt comparati qui carnosam quoque maxillarum partem constituunt: & sunt quodammodo triangulares, & valdè neruosi subter malas, quo loco habent velut verticem mouentur, & maxillas circumagunt pro varia fibrarum,

De vsu part. 11. c. 4.

fibrarum, atque insertionum actione, natura hoc magno artificio moliente, vt motibus alijs, alios vicissim excipientibus multiplices fiant in masticationibus actiones. conuenienter hos musculos μασσητῆρας idest masticatores nuncupant.

Musculi mandibulas eleuantes sunt magni, quia magnum motum præstare debent, & sunt molles, quia cerebro propinqui.

Musculi deprimentes sunt parui, quia facilius est deprimere, quàm eleuare mandibulam, & eleuatam tenere.

Masticatorij sunt mediæ quantitatis, quia mandibularum circumductio est facilior eleuatione & depressione difficilior.

Palatum dicitur tota illa pars oris, quæ supra linguam est, & laryngi præiacet: assimilatur concauo testudinis, seu cœlo fornacis: & est vnum ex organi locutionis. per foramina palati quæ duo sunt, multæ capitis expurgantur superfluitates: & fit inspiratio non secundum rectitudinem, sed flexuosa ob duplicem scilicet causam: primò, ne, si aer nos ambiens nonnunquam frigidissimus recto tramite pulmonibus occurreret, ipsos infrigidaret. Secundò ne exiguæ moles pulueris, aut cineris, aut id genus cuiuspiam ad arteriam vsque perueniret: In hoc enim flexu spiritus quidem ferri vlterius potest, eiusmodi verò corpuscula inhibentur, vt quæ prius in ipso flexu corporibus incidunt humidis, ac mollibus viscosum quippiam habentibus, quorum omnium beneficio possunt retineri. quòd si quid ad os vsque permearit, ibi hærebit Iuxta palatum, ac columnam, quam gurgulionem appellant.

Gal. de vsu part. xi. cap. xi.

Palati substantia est ossea, ex ossibus scilicet mandibularum superiorum constituta, tegitur tamen aliquali carne rugosa, & panniculo, in quo nerui sensũ gustus, & tactus exhibentes disseminantur. palati temperamentum à prædominio frigidum est; & quouis genere morbi affici potest: vt plurimum tamen in febribus ariditate, & vlceribus paruis, quæ alcola Arabes, græci Aphthas dicunt, infestantur.

In fine palati Iuxta fauces versus caput in opposito radi-

cis linguæ est substantia quædam carnea pendens, raræ texturæ mẽbrana inuoluta: quæ hiante homine cõspicitur: cuius figura in statu naturali assimilatur grano vuę, & ob hoc à gręcis σταφυλὴ à nobis vua, vel vuigena, vel vuigera, uel vuula corrupto nomine dicitur. est vocis moderatrix, & plectrũ, & Iuuat refrangẽdo, & alterando aerẽ per os pectori seruientem, & fauces humectando, habet suas venas, & arterias, caret tamen musculis, & per consequens motu voluntario. eius temperies est calida, & humida, subijcitur cuiuis generi ægritudinum, & præsertim corrosioni, & relaxationi ita vt nonnunquam cauterio in curatione sit opus. In longum, & latum aliquando crescit ob humiditatem replentem, & imitatur formam paruæ columnæ, & tunc κίων idest columna, seu columella dicitur. interdum in acutum, & effigiem caudæ muris exprimit. interdum obdurescit & patientem suffocat. tale membrum ab aliquibus gargareon, seu gurgulio dictum soli inest homini, quoniam solus homo vocem profert articulatam.

Lingua græcè γλῶσσα à lingendo, vel potius à ligandis hominum animis dicta. Est nomẽ πολύσημον idest multa significans: veruntamen in præsentiarum, linguam dicentes intelligimus illam corporis nobilissimam partem voci formandæ, dinoscendisque saporibus destinatam: cuius substantia naturaliter rara, spongiosa, ac mollis est: circa radicem est glandulosa, ibi enim fontes saliuales ipsam continuò humectantes, scatent: ibi pariter multitudo neruorum infigitur cum propter sensum tactus, & gustus, tum propter motum: nerui, qui dant gustum veniunt à tertio neruorum pari cerebri: motum autem dantes à septimo. & nerui motus sunt distincti à neruis sensus: sed dantes sensum tactus, dant etiam gustum: & gustus tactu facilius corrumpitur: nam virtus gustandi est tenuior virtute tangendi. nerui sensus per superficiem reptant: nerui motus magis centrum petunt. lingua plurimo indiget calore, & nutrimento: itaque (velut & virga) plures, ac maiores habet venas pulsantes. & quietas, quocumque alio eiusdem magnitudinis membro. lingua ad omnem positionem mouentur, & vertitur mediantibus nouẽ

musculis,

musculis, quibus prædita est.

Duo sunt à lateribus linguæ, vtrinque vnus, qui latitudinales vocantur, procedentes ab ossibus acutis capitis retro aures positis, quæ ossa sagittalia, & acualia dici solent. Alij duo, quos longitudinales Auic. vocauit, nascuntur à supremo loco ossi lambdæ: & cum medio linguæ continuantur: duo sunt, qui tranuersim linguam mouent, & nascuntur à latere, quod est inferius, ex duobus ossis lambdæ lateribus, & penetrant in linguam inter longitudinales, & latitudinales. sunt denique alij duo ipsam linguam vertentes, & resupinantes: quorum villi in latum expansi cum toto ossę mandibulę continuati fuerunt. est pręterea musculus vnus impar, solitarius ab Auic. vocatus: qui linguam extra os impellendo longiorem efficit, ipsamque retrahendo breuiorem. lingua in sui radice habet os, cui adhæret, & in edendis suis motibus tanquam super basi innititur: huiusmodi os in magnis animalibus, rarò in homine est quadrilaterum, non valde durum, sed substantiam carthilagineam præsefert: ambit caput gutturis, hyoeides, & lambdoeides à Galeno vocatur. Huic ossi tria sunt musculorum paria: vnum prodiens ab extremitatibus mandibulæ inferioris versus eam partem, qua radici linguæ coniungitur: huius paris vnus musculus à dextra, alter à sinistra dum contrahuntur, trahunt ipsum os uersus mandibulam.

De musc. dissect. cap. 14.

Secundum par oritur sub mento, & transit ad istud os sub lingua, & ipsi alligatur versus partem superiorem scilicet versus epiglottida, & trahit ipsum os ad partem mandibulæ.

Tertium par oritur ab additamentis acularibus occipitis, quæ sunt post aures, qui musculi continuantur cum extremitate istius ossis, quæ est versus linguam, & ad superiora ipsam trahunt versus partem posteriorem.

Sub lingua sunt duæ uenæ satis apparentes rubeæ interdum subnigrę, interdum subuirides: quæ à nonnullis raninæ dicuntur, & in angina, alijsque faucium affectibus phlebotomari solent.

Sunt etiam sub lingua quædam cauernulæ bipartitæ, quæ orificia, seu fontes saluiæ vocantur: in quibus facilè stilus

Imponitur: hæc orificia multiplicante saliua se aperiunt: & deficiente instar marsupij sed claudunt: hi fontes apud linguæ radicem sunt contermini carni glādulosæ à qua humiditas salivalis continuo in ipsos resudat.

Est etiam sub lingua per longitudinem tendens quædam membrana vulgo filello vocata: quam obstretices, vel chirurgi nuper editis in lucem infantibus incidere soluent: quæ non incisa, & modum excedens homines traulos reddit.

In superiori parte laterali linguę circa ipsius radicem sunt carnes adenosæ, seu glandulosæ, hinc, & hinc vna, amygdalæ à multis, communiter autem tonsillę à græcis, & paristimia, ἀντιάδες, à Celso glandulæ vocantur. Harum substantia est carnea, & nerua scilicet cum membranulis, quibus lateraliter à radice linguæ versus palatum alligatur, & ijs mediantibus glandulæ palato vniuntur, & simul vnitæ cauernosæ apparent: Ideo arca, & repositorium aeris dicuntur. huiusmodi repositorium satis capax est in cynocephalis & in cercopithecis: in eo enim non modo aerem, verum castaneas, cicera, fabas, & auellanas seruant: In homine multo minoris est capacitatis: nam sufficit vt in egressu aer aliquo pacto retineatur, ne totus à via cordis exhalet, & pereat animal. tonsillæ, sicut & lingua, temperiem habent calidam, & humidam: & cuius morborum generi exponuntur & præsertim destillationibus, bronchocelæ, Inflāmationi, vlceribus, Apostematibus, & scirrhis.

Linguæ figura conueniens est, vt sit mediocriter lata, longa, spissa, acumen habens in suo principio: vnde qui habent linguam nimis acutam, vel nimis obtusam, peccant in formatione locutionis. cerebrum diuisum est in multas partes, vt si impedita fuerit vnius partis operatio altera pars vigeat: pariter & lingua in duas partes consimiles diuisa, vt si forte vna medietas paralysi affecta fuerit, altera non afficiatur, sed sensum, & motum retineat.

Linguæ vsus est vocis decisio, literarum extractio, cibi masticati conuersio, & saporum discretio. circa linguæ custodiam natura multum solicita fuit cum propter gustum sine quo animal diu viuere non potest: tum propter sermo-

nem,

nem, per quem homo à cęteris distat animantibus: itaque in abdito ipsam collocauit: oculos autem, & aures extrinsecus occurrentibus exposuit, quare facilius quàm lingua læduntur, & in processu ætatis plures fiunt cæci, & surdi, quàm muti.

Fauces latini, φάρυγγα, vel λάρυγγα græci vocant Illã oris partem, vnde aspera arteria initium capit: Inflammatur sæpisimè, & catarrho subijcitur.

περὶ γεύσεως.

De Gustu. Cap. II.

GVstus, est vnus ex quinque sensibus exterioribus ad percipiendum sapores à Natura ordinatus, in homine magis exquisitus, & certus creditur. est autem animali propter vitam necessarius.

Distat à pręd ictis tribus sensibus à visu scilicet, auditu, & olfactu eò quòd illi per id, quod intercedit, propria apprehendant sensibilia: gustus vero non per id, quod interponitur gustabilia percipit: sed oportet sensibile ipsum attingere sensorium. nam gustus est quidam tactus, & gustabile est aliquid tangibile. res gustabiles non mouent sensum gustus cum suis qualitatibus nisi in eo quòd sunt tangibiles: tactus autem non percipit tangibile per mediũ extrinsecum: pariter neque etiam gustus gustabile. etenim cum bibimus, quamquam humor est ille, quem bibimus, non tamen humorẽ vt intermedium gustamus, sed vt id, quod aliquem saporem recipiat: non quidem eodem modo, quo colores diaphanum recipit (etenim quamuis per id videntur, in eo tamen misceri, & confundi non possunt, neque ab ijs defluuium aliquod decidit, quo perspicuum colorari dicatur) sed ita vt saporem temperari, miscerique cum humore oporteat, è quo sapor tanquam humori forma euadat. qualitas, & affectio quædam humoris sapor est, non tamen in eo quod humor, inest illi sapor: sunt enim aliæ qualitates, & af-

Temist. 2. de anima. c. 34.

fectiones humoris, in eo quòd humor est, vt esse cessibilem, labilem, fluidum, scissilem. at qualitas sapor est humoris non alia re, nisi quia in humore positus, cōstitutusque est. accedit, & continetur humor vbi sapor est, aut actu, aut potentia. exēpli causa, sal, quod est humidum in potentia propinqua cum velociter dissoluitur, & dissoluit humores, qui sunt in lingua, & ideo præparauit natura saliuam in ore: & præparauit fontes saliuales ad congregandam istam humiditatem, vt ea mediante gustentur sicca. vnde dicimus quòd sapor non est sapor in actu, nisi in corpore humido in actu. intermedium igitur corpus, quòd externum, alienumque sit, in hoc sensu desideratur. Cætera habet communia cum reliquis sensibus, & quamuis gustus sit quidã tactus: attamē facilius læditur quàm tactus: nam gustus est debilior tactu. pariter tactus absque gustu læditur propter diuersas proportiones requisitas in organis, receptio enim tangibilis fit secundum diuersam proportionē à receptione gustabilis: quare bona proportio in tactu, & non in gustu lædi potest ob diuersos neruos.

Auer. 2. de aĩa tex. c. 102.

Gustus instrumentum est lingua, neruique à tertia coniugatione in ea disseminari, quod instrumentum debet esse mediocriter humidū, vt saporis dignotio fiat: vnde si nimis exiccata fuerit lingua vt in febribus, saporum vera dignotio etiã interit, cum id, quod ab illis afficitur absit. pariter si nimis præ madida fuerit, solummodo affusum agnoscet humorem, reliquos sapores admotos ægrè dijudicabit.

De Hipp. & Plat. dec. 7. c. 6.

Gustus primò sapores cognoscit deinde id, quod sapores in se habet, sicuti visus primo colorem, deinde corpus coloratum. visus est rei visibilis, & non uisibilis ita & gustus est sensus rei gustabilis, & ingustabilis: nouit enim omnis sensus priuationem sui sensilis, & nō modo priuationem, verum & exuperantiam, & excessum, quanquam hoc posterius cum detrimento, & læsione, neque enim affectio est par, cum silentium obnoxium, & cum violenti, ac permagni strepitus afferuntur. Silentium cum percipitur nihil lacessit: graues autem, & exuperantes soni officiunt sensui, & plerique exitium, & abolitionem important. nam excessus sensilium immodici, quasi nō sensiles euadunt, quia impatibiles sunt, nec eorum vis sustine-

Gal. de ocul. cap. 6.

ri poteſt. hinc fit vt non modo exilis, & perexiguus ſtrepitus exaudiri non poſsit, ſed nec permagnus, & inſolens.

Præterea triplex inguſtabile eſt, primum quod inſipidum eſt, vt lapis: alterum cui permultus ſapor ineſt, & guſtum offendit, vt ea, quæ valdè acida, acria, auſteraque ſunt: tertium quod natura ad ſaporem idoneum non eſt vt vox, & aer.

Obiectum guſtus eſt ſapor qualitas vna de tertijs qualitatibus: qui ſapor cauſatur ex admiſtione humidi digeſti in ſicco terreo à calore ſolis, vel ignis, vel alterius corporis: quod humidum pro vt diuerſimode miſcetur, ac digeritur, diuerſos etiam, & uarios efficit ſapores: quorum genera ferè ut in coloribus notantur, deſcribunturque: nam ſapores alij ſimplices ut dulcis, amarus: atque ij inter ſe contrarij ſunt: conſequitur dulcem pinguis, amarum ſalus. in medio habẽtur acer, auſterus, ſuauis, acutus, acerbus, acidus.

Guſtus naturaliter ſe habẽs ſapore dulci, & unctuoſo pluſquàm alijs delectatur ſaporibus, ob maiorem inter ſe proportionem.

περὶ βλάβης γεύσιος.

De læſione Guſtus. Cap. III.

GVſtus ut alij ſenſus tripliciter læditur diminutè ſcilicet cum ſapores ſolummodo excellentes percipit: corruptè cum omnia obiecta amara, uel dulcia, aut alterius ſaporis eſſe iudicat: ablatè cum nullum ſaporem, nullumque ſentit guſtabile. diminutè quidem guſtare in uiſu amblyopiæ, ideſt uiſus hebetudini, in auditu baryocoiæ, ideſt auditus difficultati portione reſpondet. corruptè autem guſtare, eſt ueluti cum oculis, colore, figura, magnitudine, uel ſitu mutata uidentur: hoc in auditu obauditio nominatur. *De ſymp. cau. primo cap. 4.*

Cauſa.

Guſtus læditur uel ab intemperie exiſtente in ipſa lingua, uel in tunica qua inuoluitur, uel in neruis mollibus: uel in lo-

co cerebri, illo præsertim, unde hi nerui originem habent: uel in uentriculo, uel in alio membro cõsentiente: quæ intem peries potest esse cum materia, uel sine materia, & utralibet uel calida, uel frigida, humida, uel sicca: ut plurimum tamen lęditur ab intemperie sicca, raro ab humida (nisi multum excedat) nã humiditas est gustui proportionata qualitas. Item læditur à continui solutione, à neruorum huic sensui deseruientium obstructione, uel ab aliquo præter naturam tumore.

Signa.

Gustũ tunc læsum dicimus, cum patientem nulla ciborum blandimenta mouent: nullaque inuitat orexis.

Læsio ab intẽperie, exercitato Medico cognitu facilis est. si autem fuerit à continui solutione, à tumore præter natura, inspicienti fiet manifesta. à neruorum obstructione cognoscitur, quia vltra uitiatum sensum, adest etiam diminutus motus in ipsa lingua. læsionẽ per consensum, explorato affectu membri consentientis, percipies.

Prognostica.

Gustus læsio diu perseuerans virtutes prosternit naturales, & Hominem ad Hecticam trahit.

Gustus læsio ab intemperie frigida, & sicca, difficilius quã ab intemperie calida, & humida curatur.

Gustus læsus à neruorum obstructione, à tumore, à continui solutione, ipsis remotis morbis, non amplius infestabit.

Cura.

Ad remouendam Gustus læsionem confert aer purus, clarus, in loco sublimi, & libero procul à lacubus, & stagnis male olentibus: adsint prata, flores, viridaria, arbores pomiferæ, & redolentes. Exerceatur patiens mane exonerata aluo. Somnus sit mediocris, & nocturnus. caueat iram, mœsticiam, intensas cogitationes. in scribendo, & in legendo non erit occupatus. & in corrigenda mala complexione abstinebit ab his, quæ guttur, & pulmones lædere possunt. medicinæ ab assumpto cibo exhibitæ, & vomitũ prouocatiuæ Iuuare solent, quã do scilicet affectus est in lingua per propriam essentiam: etenim per consensum à ventriculo, vel à capite non remouetur

nisi post capitis, aut ventriculi curationem.

Quòd si in toto corpore affuerit sanguinis, humorumque redundantia, venam prius cephalicam: deinde uenas, quæ sunt sub lingua seccabis: & materiam peccantē, præmissa concoctione, & præparatione, conuenienti educes pharmaco: vt verbi causa, si humor fuerit acutus, hyera picra, aut pilulis cochijs, aut pilulis fœtidis, aut pilulis ex colocynthide, si autem fuerit crassus, hyeris magnis euacuabitur. hinc gargarismata vehemētia fiant: de quibus infra cap. de linguæ paralysi.

Denique utatur cibis acribus, alleis, sinapi, & cepis ex aceto: hæc enim gustum ab humore pituitoso crasso læsum releuare solent.

περὶ δυσωδίας στόματος.

De fœtore oris. *Cap.* IIII.

Porrò totius corporis, & oris præcipue nonnullis quidem natura: nonnullis per morbum vel incuriam ita putridus, & teter fit odor, vt eorum consuetudinem cæteri homines detestentur, & fugiant. hoc symptoma maximè patiuntur incurui, & gibbi, eò quòd in ijs locus pulmoni accommodatus conclusus, deflexusque à sua proceritate est: itaque spiritum transmittere expeditè nequit, sed euenit, vt vapor, ac spiritus amplius interclusus putrescat.

Arist. 13. probl. 10.

Causa.

Oris fœtor magna ex parte propter gingiuas putrescētes, aut dentes, aut ciborum reliquias illic detentas accidere solet. nonnunquam ob cutis oris calidam intemperiem. vel ob humorem corruptum, ac putrefactum in ore ventriculi hærentem. vel ob pulmonis exulcerationem, vt in phthisicis. vel ob intestinorum vermes vt in pueris. non est etiam absonum quòd oris fœtor procedat à matrice, & à membris nutritionis, præsertim si diaphragma fuerit raræ texturæ, ita vt vapores putridi transire possint.

Dubitatur quare in febre continua cum ibi maxima adsit

putredo

putredo, pariter non insit fœtor? dicas duplicem esse putredinem, alteram scilicet per viam ebullitionis, & hæc fœtorem non inducit: alteram per viam corruptionis substantiæ, & hæc fœtorem causare potest: vnde in febribus continuis putridis fœtor superueniens mortem denotat: quia non solum ebullitionem, verum & substantiæ humidæ corruptionē adesse ostendit.

Insuper dubitatur quare allia, & cepæ sunt mali, & fœtidi odoris, minimè autem piper, & sinapi, & talia in eodem gradu calida? dicas allijs, & cepis multā inesse humiditatē: quæ facilè in masticatis corrumpitur: secus autem est in pipere, & sinapi.

Signa.

Si propter gingiuas putrescentes buccarum exulcerationes, aut dentes corrosos, aut ciborum reliquias, oris fœtor accidit, promptè cognoscitur aut visu, aut ex ægroti sermonibus.

Quòd si à calida oris intemperie nascitur, calorem in ore sentiet, ac sitis infestabit. si vero à frigida intemperie cum materia tunc frigiditas, multaque aderit humiditas. at si propter os ventriculi, tunc ante cibum, oris halitus potissimum molestus, & grauis esse solet. sin propter phthisim, & pulmonis vitia fuerit, à corporis extenuatione, à tussi, & ab alijs cognoscetur accidentibus.

Prognostica.

Fœtor oris in phthisi vt plurimum mortem propinquam denotat.

Fœtor oris ob membrorum spiritualium, & matricis vitia, difficilius curatur, quàm si à membris naturalibus originem duceret.

Fœtor oris ob dentes corrosos, vel gingiuas exulceratas per extractionem dentium, & gingiuarum consolidationem remoueri solet.

Cura.

Aer eligatur minimè humidus, neque fœtidus, sed temperatus, & redolens. fugiat omnes cibos, qui in ore, aut ventriculo facilè corrumpuntur, tales sunt fructus horarij, lac, fungi,

fungi, pisces salsi, & adhuc magis pisces recentes, hinc queritur, quare maiorem sitim, quàm saliti inducere solent? quia scilicet putredini sunt magis obnoxij, & præsertim in ventriculo frigido. tales etiam sunt carnes duræ, virosæ: Item carnes nimis molles vt agninæ, & nimis humidæ, vt porcorum: & exta, & pinguedo. fugiat legumina, & olera humectantia, & refrigerantia; nauseatiuam satietatem: & aquæ frigidæ potum.

Cibi, quibus vtitur sint boni succi, & concoctu faciles, & potius assi, quàm elixi. In fine mensæ pyris adstringentibus, cotoneis malis, & gingibere conditio vesci licebit ijs potissimum, quibus ab ore ventriculi ingratus exhalat odor. pro diuersitate causarum potus sit nunc vinum, nunc mali punici succus, nunc hordei, aut anisorum, aut cinnamomi decoctum. somnus, & venus, & exercitium statim ab assumpto cibo interdicitur.

Qui uero fuerit temperamenti billiosi, uel uentriculum calidum habuerit, nutriatur cibis non facilè in bilem conuertibilibus, ut sunt lactucæ, endiuię, hordeum, pulli cum omphacio alterati: aut chelæ gammarorum cum succo citrij, aut mali medici: vtatur citrulis, melonibus, persicis, chrysomelis, cotoneis, mespilis, azarolis: & eius fercula aromaticis frigidis condiantur. neque te decipiant nonnulli practicantes cuilibet fœtorem oris habenti absque ullo discrimine species calidas exhibentes: nam intemperiem augent calidam, & æger in peius labitur.

Quòd reliquum est, si ob gingiuas putridas, aut dentes fœtor fiat, corporisque adsit plenitudo ex humeraria uena primò, deinde (si expediens fuerit) ex uena, quæ est inter mentum, & labium inferius sanguis mittendus: & cucurbitulæ ceruici affigendæ. Insuper proderit fricare gingiuas panno aspero donec sanguis corruptus copiosè fluat. os postea hoc, uel simili colluitur decocto: Recipe conus cupresi, gallarū, balaustiorum, malicorij, baccarum Myrti ana 3.ij. rosarum rub. plantaginis, polygoni singolorum m.i.s. aluminis liquidi ℥.i. bulliant in aqua Iustæ quantitatis ad tertias: Iuri colato addatur mellis rosacei ℥.i. diamoronis ℥.s. commistis omnibus

De Anat. viuorum.

nibus

nibus gingiuas, & dentes mane, & uesperi abluat. confert etiam posca mane, & statim ab assumpto cibo per os agitata. item acetum scillinum: & uinum per se solum. item decoctum menthę, uel saluiæ in aceto, & aqua. carnem putridam remouebit, & bonam regenerabit alumen catinum (alkali arabes appellant) seperpositum: item puluis alœs, mirrhę, sarcollæ, thuris. ex expertis est hoc quod habet acaciæ, arsenici citrini, Rhabar, calcis, aluminis, singulorum partes æquales, formentur trochisi cum aceto, & exiccati terãtur, & cum aqua mellis fiat super gingiuis linimentum: caue tamen ne æger deglutiat. Aliud gingiuas corroborans, & ori bonum concilians odorem, spodij ro. sileris montani est (species seseleos) ana ℥.i.s. margaritarũ non perforatarum sanguinis draconis, boli armeni ana ℥.i. cornu cerui usti, santalorũ rub. granorum Iuniperi, chelidoniæ ana ℥.s. caphuræ ℈.i. fac puluerem, & adhibe, nam commotos etiam firmat dentes. quòd si citra exulcerationem fuerit grauis ille oris odor, Iridis radicem in uino odorato maceratam: uel myrrham pariter in uino dilutam ad colluendum frequenter exhibe.

Si autem fœtor fuerit ob dentes corrosos, auferatur lima quod putridum, & corrosum est, ne pars sincera trahatur: vel si minus fieri potest, vt potè quia putredo sit in radice dentis, vera cura erit ipsum eradicare dentem.

At si fætor à calida cutis oris intemperie causatur (prius lenita aluo tamarindis, vel cassia fistulari, vel clystere) secabitur vena (vt supra dictum est) & caput pilulis aureis, vel arabicis, vel aggregatiuis purgabitur: postea abluet os aqua ros. vel plantaginis, vel oxalidis: & mane post prandium: vesperique cubitum iturus assumet rosatam nouellam, vel saccharum rosatum, vel diatrionsantalon, vel miuam cotoneorum. quod si talis intemperies à cerebro prouenit, vaporem ex decocto lactucæ, rosarum, maluæ, foliorum salicis, florum nymphεæ santalorum, chemæmeli & similium naribus excipiat.

Verum si intemperies fuerit frigida in partibus oris, & cerebri, purgabitur hyera ex colocynthide, vel pilulis cochijs, vel Diaturbith maiori: & os decocto amaraci, ocimi, rosmarini,

marini, origani, calaminthe, ſerpylli, abſinthij, menthæ, baccarum Iuniperi, myrti, radicis iridis, cyperi abluetur: & naribus ſuffimentum fiet.

Sin ab humore in ore ventriculi corrupto fœtor accidit, per ea, quæ talem humorem vacuare poſſunt, curabitur. commodiſsime autem quæ in ore ventriculi ſunt per vomitum, vel in ijs qui ad vomitum minus diſpoſiti ſunt, pilulis ex aloe, uel hyera picra educuntur. poſt hæc medicamenta quæ ſtomachum roborare poſſunt, exhibenda: huiuſmodi ſunt cinnamomum, caryophylli, maſtiche, macis, lignum aloes, roſæ, ſantalum, nux moſchata, gingiber conditum, citriſa mala, & eorum flores conditi: vel ex compoſitis hoc, quod, Recipit caryophyllorum, nucis moſchatæ, cinnamomi, ana ʒ.i. macis, ſantalorum rub. galliæ moſchatæ ana ʒ.s. ligni aloes. g.vij. confice cum ſucco mali punici, & inſtar lupini pilulæ fiant. valet Diagalanga, Aromaticum roſ. Diambra, pliris arcoticon Nicolai: theriaca, & triphera minor. Erit autem optimi Medici munus perpendere ipſius fœtoris cauſam, an ſcilicet calida, vel frigida ſit, & quando hæc, vel alia medicamenta conueniant: & quando eorum qualitas vel ad calidũ, vel ad frigidum ſit magis augenda.

Fœtor oris ob pulmones vlceratos, & ob partes ſpiritales læſas erit cum tuſsi, & ſputo ſanioſo, & cum febre hectica: quoniam verè ſanari non poteſt: ne aſsidentes ægrotum auerſentur, & obſequia præſtare negent: curam adhibe palliatam: quæ fit per gargariſmata, collutiones ex rebus aromaticis frigidis, vt ex aqua roſacea, vel à floribus myrti, aut citrij mali deſtillata.

Fætor oris ob vermes, vt in pueris remouetur per rhabarbari, aut theriacę, vel per huiuſmodi alia putredinem reprimentia, & vermes enecantia aſſumptionem.

Fœtorem oris ob cepas, allia, porros, & vinum; emendat collutio ex aceto ſcillino coriandrum viride, uel ſiccum maſticatum, pariter folia, & cortices citrij mali, cyperus, lignum aloes, mentha, menthaſtrum, folia rubi, zedoaria, cinnamomum, vel quid ſimile maſticatũ. Item poma redolentia ut apia, & magis cotonea maſticata. Denique dicebat Galenus,

nus, & ſi ut hirci ingenitus putor aliquibus inſit ad medio-critatem tamen quandam redigi poteſt rurſum hæc mediocri-tas quotidianis inſperſionibus uiroſum odorem temperanti-bus obtundi poterit.

De morb. vulg. 6. cō. 4. tex. 9.

περὶ ἄφθον ϛόματος.

De oris vlceribus malignis Alcola Arabes vocant. Cap. V.

Vperficies intrinſeca cutis oris quandoque vlceribus malignis ita ſcatet, vt patientes & in loquendo, & in cibis maſticandis, degulandiſque miro crucientur dolore. huiuſmodi vlcera ἄφθαι græcis dicũtur: ἄφθιφος, quem talis vexat affectio: magis pueros, quàm adultos inuadunt: in adultis autem ſunt ſæuiora, nam gingiuas vt plurimum depaſcuntur, dentes mala temperie inficiunt, & mobiles, ac ſi in cera fixi eſſent nonnunquam reddunt. Aphthæ interdum ſuccedunt apoſtemati; interdum per ſe eueniunt. interdum facilè curabiles, vt potè quæ ex moderatè adſtringentibus ſedantur. Interdum tamen diuturnæ fiunt, ac ægrè ſolubiles, & progreſſu temporis putredinoſum quid acquirunt, quod à Medicis nome, ideſt vlcus depaſcens appellatur. Aphthæ ſunt morbus in mala temperię, continui ſolutione, cum mala figura, & quantitate diminuta: vel poſſunt conſiderari vt morbus officialis perueniens ex defectu facultatis naturalis, tam membri mandantis, quàm membri recipientis; & nocet actioni motiuæ maxillarum in maſticando, & linguæ in loquendo.

Gal. lib. 6. de comp. med. p loca. c. 4.

Cauſa.

Lac Nutricis vitioſum in pueris lactantibus aphthas cauſare ſolet. In adultis autem aer nimis calidus humores acres à capite diſſoluens: vel nimis frigidus eoſdem exprimens. vſus ciborum acrium, vel ciborum non modo potentia, ſed actu calidorum. pariter medicaminum exulcerantium.

Cauſa

Causa antecedens est humorum mala qualitate præditorũ in corpore redundantia: vel fumi, seu vapores mali à ventriculo eleuati: vel ipsius ventriculi mala temperies sine, aut cum materia putrida, & maligna.

Causa coniuncta est ipse humor pituitosus salsus, vel biliosus, vel adustus, vel sanguis feruefactus vel omnes simul malignantes, & superficiem oris exulcerantes.

Signa.

Vlcera à sanguine inflammato cognoscuntur, quia coloris rubei apparent: & æger in ore maximam percipit caliditatem.

Aetius. 8. 39.

Naturam habent biliosam, quando sunt coloris flaui; & ultra caliditatem maxima siccitate, amarore, & siti patiens infestatur.

Quæ autem à pituita salsa, & putrida, sunt coloris albi, uel pallidi, parum dolorifica, & multam ab ore saliuam continuo eliciunt.

Color fuscus: uel niger Aphthas ab humore atrabilari denotat.

Prognostica.

Vlcera in oris superficie euenientia ob loci caliditatem, & humiditatem uelociter instar serpiginis dilatantur.

Auic.

Aphthæ temporibus pluuiosis, austrinis, & in febribus pestilentialibus multiplicantur.

Aphthæ in pueris lactantibus corroborata uirtute ipsorum concotrice, & rectificato in Nutricibus lacte, remoueri solent.

Aphthæ corrosiuæ, serpentes, cancerosæ, pariter diuturnæ, & inueteratæ. difficile curantur:

Cura.

Qui ulcera oris patitur, si Infans fuerit, & cibum capere non posit, lac in nutrice alterandum est ad frigiditatem, si ulcera causam habuerint calidam; ad contrariam qualitatem si habuerint frigidam: & os infantis pharmaco cõuenienti illinendum. Si quidem subrubræ ulcerationes fuerint à principio cum his, quæ mediocriter adstringunt, & refrigerant: ut est lac calibeatum, uel in quo lateres, aut ferrum ignitum

aut

aut lapis molaris ignitus fuerit extinctus. consequenter vero his, quæ citra mordacitatem discutiunt: huiusmodi autem sunt rosæ siccæ, flos rosarum cum mulso, aut melle ros.

Item Diamoron, rob. de ribe, de omphacio syluestri, rob. de nucibus: rob. seminum lentisci: aqua decoctionis lentium excorticatarum cum pauco aceti. vel Gallas omphacinas contusas aqua decoque, & cũ decocto percolato parem mensuram mellis permisce: rursusque decoque, donec ad mellis crassioris spissitudinem redigatur: coque vt maximo remedio vtitor.

Pro maioribus vero pueris conueniunt pharmaca eiusdem generis facultate prædita, viribus tantummodo ipsorum auctis, ac extensis vt, Recipe seminum ros. portulacæ, rohis, amyli, balaustiorum, ana ʒ.i. caphuræ ℈.i. misce & cum saccharo fiant trochis in ore tenendi. Aliud, & est lenius, Recipe quatuor seminum maiorum frigidorum, ros. balaustiorum, lentium excorticatarum, spodij, santalorum alborum cyperi ana partes æquales conterantur tenuissime, & bulliant in aqua ros. & in syrupo acetoso simul admisto ad aquæ consumptionem, postea colentur, & os pueri illinatur.

Adultis autem, & ijs, qui sunt in ætate robustiori conuenit phlebotomia primo ex cephalica, deinde ex venis, quæ sunt sub mento, phlebotomia enim (dicebat Auicenna) confert omnibus oris ægritudinibus præsertim calidis. postea euacuato per pharmaciam, & per clysteria corpore, vt magis expediens videbitur: cucurbitulas sub mento scarificatas adhibere poteris. clysterijs acutioribus, phlebotomia autem mitiori in materia frigida, ni corrosiua sit, indiges. hinc super locum affectum seu pulueres, seu linimenta, seu collutiones, seu quid aliud vi frigida, & styptica præditum obducendum est. laudatur succus mali punici acidi, in quo gallæ, baccæ Myrti fuerint decoctæ. item lac acidum. item Misy cum vino adstringente: quod tum intendit, tum remittit vires suas Iuxta vini facultatem magis aut minus adstrictoriam: atque etiam secundum quòd densior, aut liquidior vini, & Misyos mistura apparatur. Item hoc quod habet gallarum, balaustiorum, conus cupressi ana ℥.i. rosarum rub. calyculorum

rum

rum glandium ℥.s. coquantur in aqua, & decocto colato os abluatur.

Aphthas cancerosas sanat succus vitis albæ quam bryoniam vocant, cum mellæ. Item hoc, quod habet chalcanti, vel aluminis rupei combusti thuris ana ℨ.i. gallarum, balaustiorum ana ℨ.ij. minæ cotoneorum, vel syrupi myrtini, quod satis est, misce, & fiat linimentum.

At si propter superfluam humiditatem timor de maiori putredine immineret ad medicamenta magis exiccatiua confugiendum: huius generis sunt pastilli. Andronis, polyidę, & passionis.

περὶ ῥαγάδων χειλῶν.

De labiorum Rhagadijs idest scissuris. Cap. VI.

Hyemali tempore dum boreas, & frigus passim ambientem occupant: labia hominum, præsertim puerorum Rhagadijs laborare solent: cutis enim partes tenuiores in labijs ob frigiditatem aeris cõtractæ diuelluntur: vnde patientes & loquendo, & ridendo, & alios labiorum motus exercendo impedimentũm, & dolorem sentiunt. Rhagades igitur labiorum erunt morbus in solutione continui, in intemperie, cum mala figura, & quædam à natura: quædam accidentaliter fiunt: & quædam sunt paruæ, & formam rimulæ immitantur vulgo settolas dicimus: quędam sunt magnæ cum pars à parte omninò diuisa est. quædam medio modo se habent.

Causa.

Casus, percussio, nimia caliditas adurens, nimia frigiditas exiccans humidum, per quem partes vniuntur, possunt esse causa primitiua scissuræ labij. causa antecedens erit humorum acriũ, calidorumque in corpore multitudo. causa coniunctra erunt idemmet humores ad labia transmissi, & continuũ soluentes.

Signa.

Scissuræ labiorum generaliter omnibus intuentibus sunt

manifestæ. quæ autem à causis fiunt primitiuis ex relatu ęgri cognoscuntur. quæ vero ab humoribus salsis, & adustis originem ducunt, ardorem, pruritum, materiam mordicantem à naribus fluentem secum habent. rhagades criticas à febris dimisione, virtutis leuamine bonaque ægri tolerantia cognosces.

Prognostica.

Rhagades, quæ à natiuitate hominem comitantur, sunt incurabiles.

Rhagades à supradictis causis, nisi naturam cancerosam contraxerint, sanantur.

Rhagades labiorum, quæ febri tertianæ, vel alijs acutis febribus succedunt, bonam, & perfectam crisim: linguæ vero rhagades contrarium denotare solent: ratio diuersitatis est, quia labia ad conseruationem indiuidui parum faciunt: vnde natura de huiusmodi membris non est solicita, imo, cum exterius posita sint superfluitates internas ad ea transmittere solet. lingua vero est membrum nobile, & sensibile, multaque dignum custodia: quare rhagades in ea superuenientes symptomaticæ sunt, & naturam debilem, magnumque in partibus spiritualibus calorem arguunt.

Cura.

Quoniam scissura labiorum ferè semper ab humoribus fiunt acribus, vt à pituita salsa, à bile, aut à melancholia simul cum sanguine adnistis, non erit absonum (debito victu instituto) prius lenire aluum, diuersiones moliri, secare venam, humores peccantes concoquere, euacuare, demum topicis vti remedijs, primò leuioribus vt est oleum ros. cum cera. vel oleum ros. cum mastiche, semine hyosciami, & cera bullitum. vel oleum ros. cum caphura lithargyrio mistum. vel nux Iuglans super prunas ferueat quousque nucleus nigredinem contraxerit, oleum ab ea exprime, & vtitor. vel tragacātha optimè masticata labiorum scissuræ obducantur. Deinde fortioribus: vt testarum ouorum vstarum, gallæ, myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum æquales partes œsipo exceptas impone. In materia adusta valet hoc emolliens, Recipe olei violati, mucillaginis cotoneorum, pinguedinis

gallinæ

gallinæ ana ℥.i. lithargyri, tragacanthę ana ʒ.i. ceræ quod satis est, fiat vnguentum. Ad omnia labiorum vlcera, & ad ea, quæ cacoëthe appellant, ostrea vsta tenuissimè trita insperge. Aliud ad scissuras labiorum Musæ pastillum cum sapa, aut vino dilutum satis crassum illinitio.

aetius 8. c. 18

Labiorum scissuræ à percussione, vel casu vt cætera vulnera curantur. quæ sunt à borea, & à frigore curantur vnguento de cerusa. aut cum oleo ros. & cerusa. vel, Recipe gallarum, cerusæ ana. ʒ.i. amyli, tragacanthæ ana ʒ.s. cum adipe gallinæ conficiantur. Ad labiorum scissuras à caliditate, Recipe mucillaginis seminis cotoneorum, altheæ, amyli, tragacanthæ ana ʒ.ij. olei ros. ℥.ij. ceræ ʒ.i. adipis anatis ℥.i. lithargyri, cerusæ ana ℥.s. dissoluantur prius cera & adeps, & in mortario plumbeo, cæteris superadditis multum agitentur, & scissuras inunge.

περὶ φυλακῆς ὀδόντων.

De custodia Dentium. Cap. VII.

Qui dentes cupit seruarę incolumes primò caueat ab immoderata caliditate, & frigiditate: nam quamuis calidum sit ossibus amicum: quando tamen symmetriam excedit, innatam resoluit humiditatem, & præsertim immediatè post frigus occurrens. pariter quamuis frigiditas semper ossibus, & dentibus aduersa sit: attamen tunc maximè nocet, quando statim post calorem, poris apertis existentibus, aduenit, & profundius penetrat. non igitur mirum si Rustici Monticolæ ferè omnes dentibus sunt destituti: hyeme enim apud magnos ignes sub cratibus ludendo, & bibendo noctem ducunt, & vino, igneque æstuantes aeri niuoso se exponunt: castaneas, pyraque sub prunis assata, & adhuc feruentia comedentes, gelidamque inde bibentes oris temperiem corrumpunt, & dentibus, quorum adminiculo mirum in modum senes indigent, Iuuenes turpiter, & ante tempus priuantur.

Secundò abstineat à cibis corruptioni obnexijs vt est lac, pisces parui, saliti, vel insulsi. à cibo enim corrupto eleuantur mali vapores, qui dentibus, & gingiuis insidentes maximi sunt nocumenti.

Tertiò fugiat cibos, quorum proprietas est lædere dentes, vt sunt porri, raphanus, dactyli, acetum, & omnia acida. sed acetum (inquit Auic.) quamuis sua essentia noceat dentibus, tamen quandoque ponitur in medicinis dentium infrigidantibus, & calefacientibus vt eas penetrare faciat.

Quartò non debet comedere quæ viscidam habent substantiam, præsertim dulcia, vt ficus siccas, & melle cocto condita.

Quintò uitabit frangere dentibus ossa, pineos, persicorumque nucleos, & omnia dura in quibus frangendis, aut conuellendis magno opus sit conamine. dentes enim (dicebat Galenus) quos sæpè ante concussos, vires interiecto tempore destituunt, deciduos fieri videmus.

In suasoria ad artes.

Sextò dabit operam ne frequenti vtatur vomitu in quo precipuè materiam acidam, vt est atrabilis, vel pituita acida euomere conueniat: nam non modo sapor acidus, & ponticus, versi & mali vapores à vomitu eleuati dentes offendunt.

Septimò, vitabit, quæ dentes congelare, & stupidos reddere possunt, ut est nix, glacies, succus limoniorum pomorum, & similia.

Octauò, mane, & vesperi, ab assumpto cibo dentes mundificabit dentiscalpio ex ligno aloes, aut Myrti, aut lentisci, de quo Martialis.

> Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis,
> Defuerit, dentes penna leuare potest.

Et ablutionibus ex vino adstrigenti, vel ex vino, in quo rosę, vel baccę myrti, vel saluia, vel citrij mali cortex, vel quid simile decoctum fuerit.

Ex eis, quæ sanitatem dentium seruant, est, vt colluatur os bis in mense cum vino, in quo decocta sit radix tithymali: est enim optimum remedium præseruans dentes à dolore, & bonum inducens odorem. vel accipe puluerem capitis leporis adusti, & panno lineo inuolue, dentesque frica. vel salem

aduſtum cum melle : vel alumen aduſtum cum aceto : vel alumen cum myrrha : vel puluerem lupini, & dentes fricabis, poſtea melle, aut ſaccharo diſſoluto oblines, & iterum cum oleo roſ. fricabis.

Succus abſinthij cũ vino, & melle ebullitus, & per interualla in ore detentus dentium ſanitati confert, ſi deinde eo tepido fricentur. aut, Recipe cornu cerui vſti, foliorum cupreſsi ana ℥.i. baccarũ Myrti ʒ.i.s. radicis quinquefolij ʒ.ij. capillorum veneris aduſtorum ʒ.i. roſ. rub. ℈.iiij.s. conterantur optimè, & fiat dentifricum. Aliud, Recipe cornu cerui vſti, fructus Myricæ, cyperi, roſ. ſpicæ ana ʒ.i. ſalis gemmæ ℈.i. contundantur omnia, & fiat dentifricium. ad idem valet farina hordei ſi ſale, & ſero lactis permiſceatur, deinde aduratur.

περὶ ὀδονταλγίας.

De Dentium dolore. Cap. VIII.

Dolor dentium maximis tormentis annumerari poteſt. eſt ſymptoma vt etiam cæteri dolores.

Celſus 6. c. 9.

Ex dentium affectionibus aliquæ omnibus euidenter apparent, quemadmodum cum perforati ſunt, aut denigrati, aut detriti, aut neque frigida ferunt, neque calida, ſed ex vtriſque, aut altero ſolo dolor eis contingit. Quædam vero non manifeſtè apparent in ipſis affectiones, veluti cum ipſe æger ſe ſentire dicit circa corpus dentis dolorem in profundo obortum. vnde ſcire debes quòd tribus modis fieri poteſt vt dentes doleant : primò propter cauſam dolorificam in ſubſtantia ipſorum exiſtentem. Secundò propter neruum, qui ex tertia coniugatione deſtributus omnibus dentibus ad eorum radices ſubſternitur. tertiò propter Apoſtema, aut inflammationem ipſarum gingiuarum. & quandoque Iudicium redditur difficile in diſcernendo qui nam inter dentes doleat : & hoc propter eorum contiguitatem : hinc fit vt ſæpe ab imperitis

Gal. de cõp. med. per loca v. cap. 8.

Auicc.

chirurgis dens ſanus pro dente malè affecto extrahatur.

Dolor dentis quidam intenſus, quidam remiſſus; quidam antiquus, quidam nouus: quidam continuus, quidam intermittens: quidam pulſatiuus; quidam extenſiuus: quidam pungitiuus, & quidam perforatiuus.

Cauſa.

Doloris dentium cauſa primitiua eſt aer frigidus, ventus, imbres, cibi nimis calidi, vel nimis frigidi, & inordinatè aſſumpti, caſus, percuſsio.

Cauſa antecedens poteſt eſſe totius corporis repletio, deſtillatio à capite, vapores à ventriculo eleuati.

Cauſa coniuncta eſt ſolutio continui aut à verme errodente; aut à materia craſſa & multa extendente: aut ab acuta, & tenui dentis, vel gingiuæ ſubſtantiam penetrante. vel intemperies calida, vel frigida cum materia vel ſine. intemperies ſicca propter priuationem nutrimenti, quandoque eſt cauſa doloris, ſicut in ſenibus, & conſumptis ob ægritudines, ſiue ſint adhuc ægri, ſiue conualeſcentes. dolor extenſiuus quandoque fit à flatu in radice dentis retento.

Signa.

Dolorem à cauſa primitiua eſſe ſcies, ſi patiens detecto capite ſæpius aeri frigido ſe expoſuerit; iter per loca niuoſa fecerit, tempore hyemali, flante vento: ſi in caput ceciderit, vel Ictus fuerit.

Si à nuda qualitatis intemperie dolor accidit, non erit grauatiuus.

Si à calida intemperie, ex habitu totius corporis calido, ab ætate, & à victu præcedente calido cognoſcetur.

Si à frigida, dolor erit magis remiſſus, & contrarijs innoteſcet indicijs.

Si ab humore aliquo copioſo influente dolor oritur non modo in dentibus grauitatem percipiet, verum in reliquis partibus, quas humor pertranſit. calidus autem humor uehementiorem, frigidus uero mitiorum faciet dolorem.

Si uero à ſiccitate nullus inerit tumor, neque grauitas, & dens digitis præhenſus hinc inde agitabitur.

Dolor dentis ob uermes incluſos pruritum, & titillationem

nem secum affert : & non semper sed per interualla insurgit. dolor à flatu erit extensiuus.

Dolorem esse in gingiua inspiciendo, & tangendo cognosces, etenim aderit vel tumor, vel inflammatio, & per ipsius gingiuæ compressionem dolor augebitur, neque extracto dente penitus quiescet. secus autem quando est in propria dentis substantia, nam tunc nullum apparet in gingiuis inflammationis, & mutati coloris indicium, & ablato dente statim dolor cessat.

Quòd autem in neruo, qui ad radicem dentis substratus est, affectus insideat, certus eris ex vehementissimo dolore in parte profundiori percepto: nec ipsi dentes liuidi, aut quouis alio modo in eorum substantia, seu qualitate mutati apparent : & gingiua naturaliter se habebit : & exempto dente, quamuis passio leuior reddatur, parua tamen adhuc ipsius remanebit portio.

Prognostica.

Gingiuarum, & genarum tumores dentium dolori superuenientes morbum solutum iri portendunt.

Dolores dentium ob alimenti inopiam, seu ob siccitatem vt in senibus sanari non possunt.

Dolor dentium à materia calida celerius remouetur quàm à materia frigida.

Pro remouendo, dolore, causa dolorifica in gingiuis existente, non dens extrahendus est.

Dolores dentium intensissimi aliquando ad syncopim, Interdum ad Epilepsiam ægrum deducere solent. (compatitur enim cor & cerebrum)

Cura.

Cura doloris dentium à nuda qualitatum intemperie tres exigit intentiones: prima remouet causam facientem, aut conseruantem dolorem. secunda adhibet ea, quæ intemperiem ad contrarium alterare valent. tertia prohibet ne loco dolenti aliquis meteriæ fluxus superueniat. Itaque si causa fuerit primitiua, vt ventus, aer frigidus, aut calidus, cibi, & potus calefacientes, aut infrigidantes. pariter si causa fuerit intrinseca, vt febris, hydrops, retentio euacuationum consue-

tarum remoueri debet, & discrasia suis contrarijs alteranda.

In discrasia calida teneat in ore poscam, aut aquam rос. aut aliquem succum frigidum vt plantaginis, solani, semperuini; aut aliquod decoctum ex rosis, Myrti, folijs, salicis, & huiusmodi alijs: aut oleum ros. omphacinum, vel Myrtinum, vel oleum ex nymphæa, quibus (si maiorem cupis refrigerationem, & penetrationem) addatur parum caphuræ & aceti: & forinsecus partes loco dolenti vicinæ ijsdem oleis inungentur. æger ptisana, Alica, ouis, lactucis, cucurbita & alijs potestate refrigerantibus nutriri debet. à vino autem abstineat.

In discrasia frigida proderit vino tepido per se; vel vino, & aceto, in quo mastiches, saluia, hyssopum, calamintha, gingiber, pyrethrum vel similia bullierint, dentes abluere. conuenit etiam Mithridatium, & theriaca super dentes illinita. vinum sublimatum (aquam vitis appellant) inter vltima ponitur remedia. Interim fluxum materiæ prohibere poteris diuersionibus, dolorem sedando, medicamentis adstringentibus, & corroborantibus locum dolentem fouendo. cibi sint ptisana cum pulegio decocta, aut cum pipere: inter olera conuenit fœniculus, petroselinum, & amaracus, & similia. In potu exhibendum est vinum modicum tamen.

In discrasia humida quamuis nullus, vel paucus adsit dolor: dentes tamen mobiles fieri solent: vnde diæta ad siccitatem ordinata, & cum diuturniore ciborum abstinentia conuenit. cibis vtatur sorbilibus, vt alica, pane in iura pullorum madido, oriza, milio, panico, lenticula, piscibus muria conditis, auibus montanis & siccioribus, assis potius quàm elixis. In potu aqua mulsa est exhibenda: si hanc ferre nequit, ad aquam modicum vini addatur. tempore autem afflictionis locus milio, & sale fouendus est. collutiones adhibendæ adstringentes, & desiccantes, aut salsæ nisi gingiuæ simul sint affectæ: quapropter gallas omphacitides ex acri aceto decotas, & alumen permistum exhibebimus pariter malicorium, cytinos, Myrti baccas, balaustia, oliuarum folia, platani folia, vel fructus, cupresi conos, rumicis syluestris radicem, folia rubi, & quæcunque alia acerbam in se qualitatem com-

Ex Aetio.

plectuntur:

plectuntur: ita vt his cum aceto puro, aut posca, aut vino decoctis os colluere præcipiamus, & in eo detinere adhibitũ liquorem, sensui videlicet ægri maximè gratum, & conuenientem. Iudicata etiam, & perpensa eorum, quæ offerimus potentia, nimirum plus nè an minus exhibere oporteat. Ego (inquit Aetius) optimam ad collutionem oris expertus sum, oliuarum muria conditarũ aquã in quã videlicet condiuntur: etenim omnẽ oris humiditatem muria ipsa extergit: corporum vero hiatum, & laxitatem oliuarum spissamentum coercens corroborat, & firmat. Aliquando etiam oliuas omphacinas exprimimus, & succo melli permisto dentes fricamus. optimè faciunt ad hanc rem illitiones acerbæ velut est confectio de moris maximè si alumen scissile habeat adiectum: & ea quæ ex nucum succo apparatur.

Aliud ad laxatos dentes, & gingiuas humectas: Aluminis scissili in fictili vsti ʒ.i. myrrhæ ʒ.i.s. gallarum, florum rosarum, iridis singulorum ʒ.i. croci ʒ.s. vtere. Aliud cornu cerui vsti ℥.s. rhois culinarij ʒ.ij. omphacij sicci ʒ.i. balaustiorum ʒ.ij. corticis pini, myrrhæ, croci singulorum ʒ.s. misce, & vtitor.

In discrasia sicca cibus conueniens est ptisanæ succus, micæ panis in iure gallinarum madefactæ, oua sorbilia, cucurbitæ, maluæ, & quæcunque ijs prosunt, qui humectatione indigent. potus sit vinum album, tenue aqua dilutum. Medicamenta autem austera, & acerba vitare: & collutionibus mediocriter humectantibus & minimum adstringentibus vti debet.

At si ob humorũ redundantia dolor excitatus fuerit (prius lenita aluo) à sanguinis missione curationem ordiri oportet, dummodo ætas, vires, & cætera requisita consentiant. Incidatur vena cephalica, vel communis quæ è directo male affectum locum respicit: deinde, si opus fuerit, venæ, quæ sub lingua apparent, & cucurbitulæ scapulis affigantur.

Si vero vnus duntaxat humor vitiosus redundauerit, medicamento, quod talem humorem purgare consueuit, vtitor, In quem vsum clysteres etiam mirificè conferunt, quòd non modo aluum emollire, verum humoris impetum ad inferio-

ra auertere queant. Vehementer adiuuat apophlegmatiſmus, hoc eſt medicamentum pituitam per os educens (ſi talis humor frigidus, & pituitoſus fuerit.)

Corpore vniuerſaliter exinanito, ea, quæ reprimunt admouere licebit, vt ſunt ſucci plantaginis, lactucę, portulacę cũ modico aceti, & caphuræ: & cætera, in ſuperioribus deſcripta. principio morbi tranſacto, & nulla amplius fluente materia, reprimentibus, ſimulque diſcutientibus certandum eſt: vt fœnugræci, ſeminis lini, altheæ, hyſſopi, & huiuſmodi aliorum decocto. hoc tempore meliloti radix in uino, donec dimidiũ abſumatur elixa, ore, ea parte, quæ dolet, contenta, præcipuè auxiliatur. utranque enim facultatem, diſcutiẽdi nimirum, & reprimendi melilotum obtinet. origanum in puluerem redactum cum nitro gingiuis inſpergitur, & dolorem penitus lenit. item ſuccus porri cum oleo roſaceo, & caphura ſuper dentem illinitus.

Ad ſtupefacientia, niſi magna urgente neceſsitate, & niſi humorum defluxus calidus exiſtat, deueniendum non eſt: & tũc ſecurioribus ſtupefactiuis uti debes, ut eſt oximel ſcillinũ cum opio ſuper dentem, eiuſque radices obductum. Idem præſtat phylonium, & caſtoreum cum opio. uel, Recipe olei roſ. ℥.s. opij ℈.s. miſce, & inunge. uel, Recipe ſtyracis calamitæ, galbani, opij ana ʒ.s. cum ſucco hyoſciami albi conficiantur.

Sunt nonnulla, quę à totius ſubſtantiæ proprietate conferre dicuntur, ut ius Ranæ in poſca elixæ diutius ore retentum. Item ſenecta ſerpentis in uino, aut aceto cocta: eadem quoque uſta, & trita, cum oleo ad mellis craſsitiem redacta, dentique dolenti impoſita. Ex proprijs ſedantibus dolorem eſt piper, & pix ſimul miſta. Item piper, & aſſa fœtida. uel ſinapis, & ſagapenon. Item opopanacum cum pyrethro. Item piper cum pice liquida, aut piper, & Euphorbium cum melle. Item ex expertis eſt medullæ nucleorum perſici pars una, piperis pars media conficiantur cum pice liquida. uel, Recipe ſeminis apij g.ij. opij, hyoſciami ana g.iij. cum ſyrupo de papauere uniantur, & utitor.

Meſue.

Quod ſi prædicta nihil contulerint, & dens undequaque integer

teger fuerit, ferro candenti perforandus eſt, ut materia intus clauſa euaporare poſsit. uel, ſi corroſus fuerit, ipſius cauum oleo roſaceo feruente replebis. aut medicamine quod ad dentes corroſos à Raſi deſcriptum eſt: Recipit radicis apij ſyl-ueſtris, piperis, picis liquidæ ana partes æquales. aut in locum dentis cauernoſum guttã lactis tithymali (munita prius gingiua, ne tali lacte tangatur, nam exulcerat) inſtillabis.

Quod ſi dolor adhuc perſeuerat, dens omnino extrahendus eſt uel Inſtrumento ferreo ad hoc munus à chirurgis excogitato: uel cauterio actuali; uel medicinis appropriatis, ut eſt pyrethrum quadraginta diebus acerrimo aceto maceratum. uel lappæ herbæ radix feruenti cinere calefacta, & denti aſsiduè appoſita. uel cucurbitæ ſylueſtris (uitem albam, & bryoniam uocant) radix cauo dentis immiſſa. uel, Recipe corticis radicis mori, radicis capparis, pyrethri, lactis tithymali, radicis colocynthidis, arſenici rub. ana quantum ſatis eſt, conterantur cum aceto ad unguenti formam.

9. Ad alman.

Ad dolorem dentium ob uermes incluſos, Recipe aloes ʒ.i. myrrhæ ʒ.s. dentis cauitatem his aceto ſcillino admiſtis occlude. uel ſuccum cẽtaureæ, & foliorum perſici infundito. uel colocynthidis, & olibani decocto ablue. uel ſuffitum ex ſemine hyoſciami, porri, cepæ, colocynthidis ore, & dentis cauitate excipiat.

περὶ μελαινῆς, καὶ ὠχρίασιος ὀδόντον.

De Nigredine, & pallore Dentium. Cap. IX.

DEntes albi, & inter ſe decenter compacti mirum in modum & ridentem, & loquentem ornare ſolent. contra uero dentes rubigine pallentes, luridi, uel denigrati hominem in cæteris membris pulcherrimum ita deturpant, ut inſpicientibus ſit ludibrio, & contemptui. Hoc ſymptoma Meretricibus, & puellis pręſertim locandis damnoſum eſt: hæ quia cantu, turpique riſu mechos fugant lucroſos: illę uero, quia uix nunquam (ni mul-

tum

tum dotatæ fuerint) maritos inuenire possunt, sed veluti mon struosæ despiciuntur.

Causa.

Natiui coloris in dentibus alteratio à duabus causis proficiscitur: quarum vna extrinseca, vt cibi dulces, vnctuosi, uel in lebete ex ære, vel cupro elixi: omnia enim metalla, præter aurum, & argentum, quan dam in se rubiginem tenent: qua per cibos, in eis apparatos, dentes inficiunt. Idem præstant ipsa coria cerdonum dentibus. Item sordes circa dentes collectæ, & nunquam expurgatæ. Item linimenta, & fuci ex arsenico sublimato. Mulieres vanitatum plenæ, vt pulchriores appareant, faciem sibi pingunt, & nitorem cutis fuco com parant: verum earum halitus olida qualitate, & dentes fœdo colore inficiuntur, & decidunt: & meritò, nam statutum est, ut unusquisque proprij erroris, & insaniæ pœnas luere debeat. Altera causa est intrinseca, humor scilicet, aut uapor vitiosus à uentriculo, aut aliunde eleuatus dentis substantiam penetrans, suoque tingens colore.

Signa.

Quòd autem dentium pallor, aut nigredo sit ob causam externam à sermone patientis facilè cognosces.

Quando autem à causa interna habet originem, habitus hominis est cacochimus: & conqueritur nunc de dolore capitis, nunc de uentriculi grauitate, rugitu, Eructuatione acida, uel nidorosa.

Prognostica.

Nigredo, uel pallor dentium à causa externa in puero, uel Iuuene facilè eluitur.

Nigredo in dentibus confirmata nunquã abstergi potest.

Nigredo dentium in sene per syphilidem contracta ferè semper mortem portendit.

Cura.

In primis uictus conueniens instituendus est: ne scilicet cibi facilis corruptionis, uarij, ordine præpostero, intempestiuè, mensuramque excedentes assumantur. abstineat à cibis corruptis, fœtidis, grauè olentibus, & uaporosis: præsertim à melle, à pinguibus, à fungis, à satietate nauseatiua, à somno

Mesue.

à somno diurno, & statim post repletionem. vtatur ciba optimi succi, & nutrimenti. ventriculo consulendum vt benè concoquat, nullosque ad superiora virosos emittat vapores.

Curatio à vitiosorum humorum purgatione auspicanda, & rubigo, quæ dentibus hæret, dentiscalpio argenteo auferenda. humores vero influentes exiccantibus medicamentis dissipandi, vt est lycium, thus, mentha, galla, mastiche, myrrha: sal fossile melle subactum in fictili vase tostum, ac tritum, & modica myrrha admistum. vel, Recipe Nigellæ, myrrhæ, thuris ana ʒ.i. mastiches, piperis albi vtriusque ℈.ij. aristolochiæ longæ ℈.i. aluminis scissi ʒ.i. trita redigantur in puluerem: quo dentes perfricentur: aut resina terebinthina excepta dentibus circumducantur. postea vino albo tepido ablue, & dentifricium mundificans, & abstergens adhibe, vt est hoc, quod recipit, Nitri, aluminis scissi, cornu cerui vsti singulorum ʒ.i. myrrhæ ℈.i. radicis iridis illyricæ, thuris, menthæ siccæ ana ʒ.i.s. sali communis tosti, aristolochiæ longæ singulorum ʒ.i. punicis, ossis sepiæ vtriusque ʒ.i.s. piperis, pyrethri, pulegij sicci ana ʒ.s. contusis, & cribratis omnibus fiat puluis, quo dentes quotidiè fricentur. Aliud Auic. Recipe cornu cerui vsti ʒ.i. Aristolochiæ, mastiches ʒ.i.s. olei ros. ʒ.ij.s. conterantur, & vtitor. Aliud. Abrotani, salis torrefacti, Iridis singulorum ʒ.ij. cyperi ʒ.ij.s. spicæ ʒ.s. piperis ʒ.iij. Aliud Pauli dentium candorem conciliaus. Recipe pumicis, salis tosti, Iridis singulorum ʒ.ij. Iunci odorati angulosi ʒ.ij.s. spicæ nardi ʒ.s. piperis ʒ.iij. tritis vtitor.

Aetius.

περὶ γενέσιος ὀδόντων δύσκολα.

De ortu Dentium difficili. Cap. X.

INfantibus frequenter acidit, ut difficile, & cum dolore, interdum cum febre, & fluxu ventris dentes emittant: vnde bene ab Hip. dictum est, in progressu vero cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres;

bres; conuulsiones. alui profluuia, presertim cum caninos edunt dentes euenire solent.

Causa.

Crassities pellis gingiuarum, virtutis debilitas, dentis magnitudo ortum dentium difficilem reddere possunt.

Signa.

Inquietudo, ploratus, vigiliæ, renitentia ad sugendas Nutricis mamillas: vomitus ab assumpto lacte superueniens, multa ab ore humiditas emanans, dolor, febris nullos seruans periodos ostēdunt difficilem à gingiua dentis exitum.

Prognostica.

Gal. 3. aph. 25.

Infantes carnosi, & crassimi, & aluos astrictas habentes in emittendis dētibus, vt plurimum conuulsione infestantur.

In ortu dentium propter dolorem fit commotio in humoribus: qui malè à natura regulati putredini subijcitur, hinc febris, & diarrhæa subsequitur.

Cura.

Quoniam Infantes in ea sunt ætate, in qua nullum solidiorem cibum capere possunt: sed solo nutriuntur lacte: operæpretium fuerit, post debitam victus institutionem, medicamentis lenitiuis, vel solutiuis, per se, aut per accidens febri contrariantibus lac Nutricis alterare, vt Infans suctu ipsius lactis expurgetur, & à febre aliquo pacto absoluatur.

auic. primi 3.

Fluxus autem ventris modicus non est compescendus superfluum vero siste cum inunctionibus ex oleo Myrtino, mastichino, cotoneorum: vel cum epithematibus ex farina hordei, puluere plantaginis, & exiguo aceti. vel cum albumine oui, succo plantaginis, puluere rosarum, thuris, mastiches, boli armeni, balaustiorum, & similium. vel glans ex pinguedine hirci supponatur. Nutrix postea intromittat digitum in os Infantis, eumque prono capite tenens, gingiuas vehementer fricet, vt humiditas inde alliciatur, effluatque: & eminentia dentium emergentium percipiens, iterum cum oleo, butyro, & pinguedine gallinæ fricabit. vel cum melle, & butyro. ex rebus, per quas ortus dentium fit facilis (inquit Auic.) est frictio cum adipibus, & cerebellis, & propriè cerebro leporis extracto ab eius capite post decoctionem, &

dictu

dictum est quòd lac canium confert in hoc à proprietate sua. at si dolor multum vrget liniatur gingiua cum succo solani, & oleo ros. calefacto. scribit Rasis dentem leonis caninum collo infantis suspensum præstare ortum dentium sine dolore, & facilem. Idem affirmat de dente equi anniculi. & de oculo cancri suspenso. dens canis combustus, tritus, & gingiuis appositus Iuuat Infantes ad emittendos sine dolore dentes.

περὶ ἀπόστηματος οὔλων.

De Gingiuarum Apostemate. Cap. XI.

Gingiuæ multis quidem subijciũtur passionibus, vt Apostemati, vlceri, corrosioni, fistulis, hæmorrhagiæ, resolutioni, carnis incrimento, & diminutioni.

Aetius 8. cap. 24.

Apostema gingiuarum parulis græcè dicitur. est tumor præter naturam earum lædens operationem.

Causa.

Et causatur non modo ab humoribus pituitosis, verum quandoque à biliosis, sanguineis, & melancholicis à capite fluentibus. vel per consensum ventriculi, aut aliorum membrorum vapores malos transmittentium.

Signa.

Apostema habere originem ab hoc, vel ab alio humore ex parte Medici cognoscitur visu, & tactu: nam Apostema rubeum materiam continet sanguineam; flauum biliosam: album pituitosam: nigrum melancholicam: pariter Apostema durum est à materia crassiori: molle vero à materia tenuiori. Insuper ex parte Infirmi cognoscitur à dolore, & à Iuuantibus, & nocentibus: nam Apostema magnum afferens dolorem, & remedijs frigidis, vel temperatis cedens, est à materia calida. Apostema vero parum dolorificum, & medicamentis cedens calidis, & sæuiens frigidis, à materia conflatur frigida.

Pro-

Prognostica.

Quãdo Apostema est in gingiuarum superficie citius rumpitur, & curatur.

Apostema magnum, & profundum difficilè ad exitum perducitur, curamque admittit.

Cura.

In omni ægritudine oris, & gingiuarum à sanguine, & à materia calida, generaliter curam à sectione venæ exordiri debes: dummodo virtus, ætas, tempus, & cętera permittant: secabis igitur primò venam cephalicam, deinde venam sub lingua, vel interiorem labiorumvenam aliquam. postea pilulis cochijs, vel aureis aluum subduces.

Quòd si humor frigidus, & crassus prædominatur, hyera picra, vel hyera cum agarico, vel hyeralogodione, vel Diaturbith euacuabis, & os Diamorone cum aqua plantaginis, vel cum succo omphacij in principio, dum materia fluit, sæpius collues. vel, Recipe foliorum, & baccarum Myrti, balaustiorum, Rhois, conus cupresi bulliant in aqua plantaginis, hacque colata gingiuas abluat. laudatur oleũ rosaceum, & myrtinum ore detentum: nam lenit dolorem. & moderatè repercutit.

At si apostema frigidum fuerit, addantur prædictis aliqua calida, & præsertim in augumento, nam in statu calida, & resoluentia in multo maiori portione esse debent.

Quòd si materia collecta neque repercussiuis, neque cedit resolutiuis, sed suppurationem minatur, quæ talem adiuuant operationem adhibere debes: vt est decoctum fœnugręci, seminis lini, caricarum: vel caricæ per se superpositæ: vel butyrum oblinitum. confecto autem pure (quod à febre, & dolore præcedente cognosces) apostema phlebotomo recludatur, & succo iridis cum melle, vel cum aqua hordei, & melle abluatur, vel cum decocto foliorum oliuæ, & melle rosaceo. postea, Recipe florum rosarum aluminis scisi, gallæ, myrrhæ ana ʒ.i. trita melli misceto, ac vtitor.

At si vlcus fistulosum euasit, aut virus, & malignitatem contraxit, Recipe viridis æris ʒ.ij. gallarum ℥.i. aceti ℥.s. contere, & adhibe. vel vtatur decocto agrimoniæ alumini admisto.

admisto. vel hoc, quod valet ad vlcera oris, gingiuarum, ad fistulas, & cancros, Recipe aluminis scissilis, salis communis ana ℥.s. cytinorum, balaustiorum, gallarum, rosarum rub. radicis aristolochiæ, piperis longi, cinnamomi ana ʒ.i. spicę ℈.ij. gummi arabici, tragacanthæ ana ʒ.i.s. sal, & alumen combure, & simul omnia in puluerē redige: quibus in aceto feruefactis, & melle addito ad vnguenti formam redactis, vlcus obducatur. Aliud magnis, & corrosiuis gingiuarum vlceribus fistulisque conueniens, Recipe aluminis rupei, calcis ana ʒ.i. gallarum, arsenici rub. citrinique ana ʒ.s. acaciæ ʒ.i.s. fiat puluis tenuissimus vel cum succo plantaginis formentur trochisi ad pondus semiscrupuli: quorum (si vsus postulat) vnum, vel alterum contunde, & vlceri per dimidiam horam adhibe. & quoniam valde adurunt, ne eorum facultas carnem sanam corrumpat, oleo lentiscino, vel rosaceo multis vicibus os abluatur: postquam autem vlcus expurgatum, & fistula his, vel similibus mortificata fuerit, iterum ad medicamenta sarcotica, vt est Thus, Iris, aristolochia, erui farina, panax, & huiusmodi, redire poteris. caustica enim in vlceribus quod virulentum est absumunt, quo remoto, bona caro regeneratur. hinc est quod nonnulli Medici famam multæ scientiæ, & experientiæ apud artis imperitos sibi vindicant: vtrumque enim arsenicum cum succo alicuius herbæ contundentes, quo linteamina madefacta vlceribus tibiarum malignis applicātes, quod putridum, & superfluum est remouent, sicque natura per se nouam carnem suppeditat, & ægri sanantur: vnde vulgares hoc solo herbæ succo factum fuisse credunt, & admirantur. cauterium securum ex oleo feruenti guttatim intromisso fieri solet.

Gal. 3. Meth. cap. 2.

Ad gingiuas rubentes, & sanguine tumentes confert scarificatio, sanguinis extractio, & ex decocto rerum stipticarum oris, multis vicibus reiterata collutio.

Ad sanguinem à gingiuis emanantem, Recipe rosarum, & seminis earum, rhois singulorum partes æquales in aqua rosacea, vel plantaginis ferueant, & colentur, & iure colato os abluatur.

Ad carnis gingiuarum diminutionem, Recipe myrrhæ,

masticches nucis pineæ, nucleorum dactylorum, cornu cerui vsti, spodij, balaustiorum, rosarum siccarum, sanguinis draconis, thuris ana ʒ.i. fiat puluis super gingiuas fricandus. Aliud, Recipe cinnamomi masticches ana ℥.s. olibani, rosarum ana ʒ.i. sanguinis draconis ʒ.i.s. cytinorum, balaustiorum ana ℈.i.s. Aliud. Auic. Recipe thuris, masticches, aristolochiæ rotundę sanguinis draconis, farinæ orobi, radicis iridis, post contrictionem cum melle, & aceto scillino conficiantur, & vtitor. valet etiam farina orobi per se cum melle adhibita.

Ad carnis gingiuarum excrescentiam Epulidem græci dicunt.

Huiusmodi carnis excrescentia vt plurimum ab inflammatione contracta est: & ad intimos molares dentes pertinet: nonnunquam cum febri, & dolore. vbi Inflammatio soluta fuerit, & Infirmus hiare poterit, medicari oportet talem excrescentiam sicco deprimente, vt est omne alumen vstum, ærugo rasa priuatim, vel cum pari galla, vel sory combusto, vel squama æris cum aceto diebus sat multis læuigata, desiccataque. vel, Recipe aluminis scissilis ʒ.i. gallarum ʒ.ij. sali torrefacti ʒ.s. siccis vtere. Ad gingiuas resolutas.

Paul. 3. c. 26.

Aetius 8. c. 15

Faciunt adstringentia, & exiccantia in vino, vel aceto decocta, vt baccæ myrti, glandium calices, gallæ, cytini, balaustia, fructus myricæ, rhus, corallium contusum, flores labruscæ, & huiusmodi alia.

περὶ βλάβης κινήσιος γλώσσης.

De læsione Motus linguæ, & per consequens de loquela impedita. Cap. XII.

SIcuti motus linguæ tripliciter lęditur diminutè scilicet cum homo difficilè, & tardius ipsam mouet linguam. corruptè quando intendit mouere ad vnam partem, & mouet ad aliam. Ablatè vbi nullo modo mouere potest. pariter sermocinatio, quæ per ipsum fit

fit linguæ motum tripliciter læditur, diminutè si tardius, & difficilius loquitur. corruptè si vnam literam, aut vnam syllabam pro alia profert. Ablatè si nihil vt mutus loquitur. diminuitur locutio tripliciter: primò propter debilitatem musculorum pectoris, & præcipuè epiglottidis: vnde homines tali debilitate laborantes verba proferre nequeunt, ni prius multum inspirent aeris, deinde velociter loquuntur. Secundò ob linguæ, & labiorum imbecillitatem: quapropter homines sic affecti non loquuntur nisi postquàm labia, & linguam multoties agitauerint: postea expeditè sermocinantur. hæc affectio caras ab Auic. dicitur. tertiò propter multam humiditatem insitam in musculis linguam mouentibus, vt in pueris, quorum nonnulli ob hoc nihil ad tempus proferunt: nonnulli eamdem syllabam sępius repetunt, & trauli appellantur. At corruptio locutionis tam varia est, quàm varia sunt indiuiduorum temperamenta: sunt enim aliqui, qui vnam literam, aut syllabam nō possunt, sed pro ea aliam proferunt. sunt qui fen fen: alij ten ten: nonnulli ta ta: quidam ca ca, in loquendo sonant. denique omne sermocinandi impedimētum (nisi loquela vt in mutis penitus ablata fuerit) alchael Auic. vocauit: itaque omnis caras, & omnis traulosis est alchael, sed non è conuerso. motus linguæ impedimentum quandoque est à natiuitate, & tunc homines mutos, & vt plurimum etiam surdos reddit: quandoque est in processu ætatis ab aliquo morbo contractum.

Causa.

Cibus, & potus superfluus, ebrietas, Ira, timor, verecundia, cursus concitatus potest esse causa primitiua impedimenti motus linguæ.

Causa corporea est duplex, quædam essentialis in lingua, & musculis eius, & hæc vel mala complexio sine materia, interdum cum materia sanguinea, aut pituitosa aquosa. vel mala compositio in magnitudine, paruitate, figura, positione. in magnitudine ligamenti sub lingua existentis. vel continui solutio ob vulnus, aut apostema, aut vlcus.

Quædam per consensum à toto vt in febribus præsertim causonicis: in quibus lingua arescit, & à siccitate conuellitur.

Item per conſenſum alicuius partis vt cerebri lethargia, vel caro, vel phrenitide laborantis: per conſenſum ventriculi, matricis, & membrorum ſpiritalium.

Signa.

Impedimentum motus linguæ generaliter loquela ipſa manifeſtum facit. At à quibus cauſis præcipuè intrinſecis originem habeat, indagare magis expedit. Itaque quando eſt per conſenſum cerebri, vel alterius membri cognoſcitur à læſione cæterarum eius operationum. ſi eſt per conſenſum à toto, ut in febribus ardentibus, aderit linguę ſiccitas, & fortaſsis ob inanitionem contractio.

Si vero impedimentum motus eſt in lingua per propriam eſſentiam, continuatur, neque vnquam intermittit. adde quòd in cæteris membris nulla præceſsit læſio.

Si eſt à ſanguine cognoſcitur ab ægri temperamento, à rubedine, à caliditate, à venarum tumore. quòd ſit à materia aquoſa indicat diminuta caliditas, linguæ albedo, fluxus ſaliuę inuoluntarius, & leuamen à medicamentis exiccantibus, & adſtringentibus.

Impedimentum motus à mala compoſitione, ob magnitudinem, aut paruitatem in lingua, ob figuram vitiatam, aut ſitum, item à ſoluta continuitate inſpicienti fit manifeſtum.

Impedimentum motus à magnitudine ligamenti ſub lingua exiſtentis ſignatur, nam lingua decurtata manet, neque extra, quantum ſufficit, emitti poteſt.

Prognoſtica.

Hip. 6. aph. 32.

Balbi, ab alui profluuio maximè capiuntur: nam lingua admodum humida ex natura exiſtente, & ventriculum talem eſſe par eſt, vt qui alteram ſui tunicam communem habeat ad linguam: imbecillis ex humiditate ventriculi propria paſsio eſt diuturnum profluuium.

Auic.

Impedimentum motus linguæ in pueris ſuperueniente adoleſcentia, & Iuuentute remoueri ſolet. vel interdum per febrem acutam ſiccatis ſuperfluis humoribus, expeditè loquuntur.

Impedimentum motus linguæ, per quem loquela penitus ablata eſt, & cui ſurditas aſſociatur curam non recipit.

Motus linguæ ob ſpaſmum ſiccum, Apoplexiam, aut paralyſim læſus, rarò priſtinam recipit ſanitatem.

Motus linguæ à contuſione, vel nerui fractura, vel mala compoſitione impeditus nunquam: per conſenſum autem à membris inferioribus ſemper ceſſante affectu membri conſentientis; reſtauratur.

Cura.

Poſt victus inſtitutionem; qui ad ſiccum vergere debet (niſi à febre motus linguę impeditus fuerit) vnde maneat in aere calido, & ſicco, vtatur cibis eiuſdem qualitatis. exerceat linguam in multiloquio, & vociferatione, reliquum vero corpus longis vsque ad ſudorem ambulationibus. parum dormiat. Iurgijs, & contumelijs ad iram prouocetur. ſuperfluitates primæ, & ſecundę digeſtionis quotidie emittat.

Tria in curatione neceſſario exequi debes, euacuare ſcilicet: diuertere: & (ſi quid materiæ reſidui fuerit) prius à parte oppoſita, deinde à parte affecta exiccare. ſi ſanguis redundat, aut humor cum ſanguine educibilis, poſt phlebotomiam cephalicæ, non improbatur ſectio venarum, quę ſunt ſub lingua, item euacuatio per cucurbitulas ſub mento appoſitas.

Si autem materia pituitoſa, & aquoſa peccauerit, primo hyeris ſimplicibus, poſtea reiteratis uicibus usque quo ad id, quod eſt ſufficiens, peruentum ſit, hyeris compoſitis euacuabitur.

Diuerſiones fiant extremitatum frictionibus, cucurbitulis, lotionibus, clyſterijs in principio non multum acutis, ſed leuibus, & non multum eleuatis in gradu attractionis, deinde fortioribus. Meſue.

Exiccant à parte oppoſita medicinæ occipiti adhibitæ ſuperfluam humiditatem in neruis, & muſculis linguæ aggregatam diſcutientes: huiuſmodi ſunt inunctiones, ſuffumigia, embrocationes, linimenta, de quibus cap. de paralyſi ſupradictum eſt. Interdum rubificantia, & cauteria adminiſtramus: & propriè quando alia non conferunt. exiccant à parte affecta collutiones, gargariſmata, frictiones ex rebus, quæ materiæ reſiduum reſolunt. Gargariſma Iuuamentum

 manifeſtum

manifestum afferens est hoc, Recipe hyeræ picræ, sinapi, staphidis agriæ, gingiberis, origani, pyrethri, corticum radicis capparis, myrrhæ singulorum q.s. fiat gargarisma cum oximelite. Aliud experti Iuuamenti ad dissoluendum pituitam in capite, neruis, & lingua aggregatam: confert paralysi, & torturæ oris: cuius permistio hæc est: Recipe origani, pyrethri, gingiberis, piperis nigri, & albi, & longi, salis ammoniaci, sinapi, cinnamomi, hyssopi, nigellæ, amaraci, costi ana q.s. conficiantur cum oximelite scillino. quandoque humiditas linguæ exiccatur cum ijs, quæ sunt ueluti hyssopum, origanum, staphis agria, sinapi, ammoniacum, cortex radicis capparis, pyrethrum, gingiber, tria piperis genera singulariter, aut coniunctim. quandoque præcedere facies linguæ frictionem cum sale ammoniaco, cepa, gingibere, usque quò plurimum pituitæ effluat: deinde subsequi gargarismata, collutiones ex oximelite scillino. Medicamen expertum ad grauedinem, & paralysim linguę: Recipe salis ammoniaci, pyrethri, staphidis agriæ, piperis, sinapi, ana partes æquales fiat puluis, quo lingua sæpius in die fricetur. castoreum sub lingua retentum, & confricatum Iuuat. per interualla dandum est Mithridatium, & theriaca per totam curæ latitudinem. confectio anacardina est sublimis Iuuamenti super linguam oblinita, & super originem neruorum in parte posteriori emplastrata.

Loquela à multitudine saliuæ impedita Iuuatur medicamentis stipticis ad calidum inclinantibus super linguam fricatis, uel gargarizatis, ut est thus, squinanthum, flox eius, conus cupressi, spodium. Iuuatur etiam à stipticis acidis, & præsertim quando materia est calida, & tenuis, ut est lac acidum, succus mespilorum, sorbæ, pyrorum, & cotoneorum. At si à conuulsione humida, uel sicca motus linguæ impeditus fuerit, curabitur ijsdem remedijs supra cap. de spasmo propositis. particulariter autem, si à febre fuerit contractio, ualent olea frigida, & humida, ut est oleum uiolaceum, de nymphęa, de cucurbita, de salicibus: Item mucillagines psyllij, althæ, cotoneorum, traganthæ: Item embrocationes ex decocto uiolarum, lactucæ, maluarum, & ex lacte.

&c. ualet etiam deglutire aliqua frigida, ut est syrupus uiolaceus, de endiuia, de papauere, diacodion, diatragacanthu frigidum. loquelæ impedita à magnitudine ligamenti sub lingua existentis forficibus, uel nouacula ignita, uel non ignita, (pro ut magis expediens uidebitur) tale ligamentum abscindēdo restitui solet: peracto opere chirurgico, abluunt os posca frigida, uel aquis, & stipticis ne ligamentum rursus simul coalescat.

περὶ οἰδήματος γλώσσης.

De lingua tumefacta. Cap. XIII.

Tumefit quandoque lingua, & in tantam molem attolitur ut ore hominis contineri non possit: sed extra ut in cane sitiente, cursuque fatigato promineat: quare & loquelam, & cibi masticationem, ipsiusque ab œsophago attractionem impedit.

Gal. 14. meth. cap. 8.

Causa.

Multitudo sanguinis, aut pituitæ aquosæ, & tenuis in musculis linguam mouentibus imbibita huiusmodi tumorem causare solet: Item Apostema, flatus, præfocatio à re aliqua guttur angustante, tunc enim natura linguam impellit, vt meatum liberiorem pro anhelitu habeat.

Signa.

Quòd sit à sanguine, & à materia calida indicat rubedo in facie, sapor in ore dulcis, habitus corporis sanguinens, manifesta percepta caliditas.

Quòd sit à pituita indicat linguæ albedo, uultus pallor, multusque saliuæ fluxus.

Quòd sit à flatu ostendit tumor nunc in hoc, nunc in illa parte magis emergens: Apostema oculis subijcitur.

Prognostica.

Huiusmodi affectus uisu turpis est, & quamuis per remedia oportunè adhibita facilè posit remoueri: eius tamen cura nō est negligēda, ne ex uno alius peior conflетur morbus.

Cura.

Cura.

Victu tenui, & exiccante in primis utatur: cætera cura ab euacuatione incipienda: unde si multitudo sanguinis affuerit, uenam humeralem prius secabis: deinde uenas sub lingua apparentes: & cucurbitulę circa primam colli uertebram affigentur. conuenit in materia calida purgatio cum cassia fistulari, & Elect. de succo ros. uel cum pilulis cochijs, aut aureis. hinc frictiones, gargarismata, & collutiones ex rebus acidis, & stipticis, ut est syrupus de Ribe, de acetos. citri, de succo limonis. ualet succus lactucæ frequenter gargarizatus: pariter succus mali punici acidi. Materia uero pituitosa tenuis purgabitur cum agarico, diaturbith, hyeris simplicibus, demum hyeris magnis. Iuuant multum etiam clysteres acuti, & irritantes, à capite per secessum trahentes. lingua fricetur interdum sale communi torrefacto, interdum cepa, uel scilla, & sale ammoniaco, uel sale gemmeo; uel, Recipe gingiberis, piperis albi & longi ana ʒ.ij. piperis nigri ʒ.i. sali gemmæ ʒ.i.s. fiat puluis super linguam fricãdus, post frictionem multoties ęger spuat. huiusmodi puluis confert etiam in materia flatuosa est enim multum discutiens.

περὶ βατράχου.

De Ranula. Cap. XIIII.

Est autem Ranula, seu Batrachus tumor quidam duræ substantię sub lingua, maximè pueris, erumpens, cuius color ex colore linguę, & uenarum, quæ sunt sub ea compositus uidetur. Duplex est Ranula, una satis oblonga instar linguæ subcrescentis adhærens: quę largo modo, & abusiuè Ranula dicitur. altera rotunda Ranæ figuram præseferens: & hæc propriè est Ranula. Auic.

Causa.

Humiditas pituitosa, uiscida, & crassa à capite defluens partibus tenuioribus resolutis, interdum humor melanchòlicus hunc affectum generare solet.

Signa.

Signa.

Cognoſcitur quæ eſt à pituita, nam eſt alba, mollior, magis tractabilis, & abſque dolore. quæ autem ab humore melancholico ſubnigra eſt, dura intractabilis, & dolore non uacat.

Prognoſtica.

Ranula recens, & pituitoſa facile curatur, antiqua verò, & ab humore aduſto chirurgia indiget: quæ ſi coloris obſcuri fuerit non irritabitur, ne canceroſa fiat.

Cura.

Poſt euacuationem primò per phlebotomiam (ſi opus fuerit) Deinde per pharmaciam, & poſt victus congruam inſtitutionem, & poſt varia diuerſionum genera: curam exiccantibus perficies medicamentis: ſint autem hæc modo valida, modo remiſſa, pro vt ætas, temperies, virtus ægrotantis, magnitudo morbi, anni tempus, & regio permittit. Valet fricatio ex ſale commuui, origano, & corticibus mali punici ſimul contuſis. vel ex ſale ammoniaco, & gallis immaturis. vel ex tragacantha aduſta, hermodactylis, & albumine oui admiſto. In adultis remedium eſt venas ſub lingua incidere. Paulus medicamentum Antheron mento adhiberi Iubet. cuius ingredientia ſunt, cyperi ℥. i. mirrhæ ℥. i. s. ſandarachæ ʒ. iij. floris roſ. ʒ. ij. croci ʒ. i. crocomagmatis, aluminis ſciſsi, iridis Illyricæ ſingulorum ʒ. ij. laudantur trochis. Alandaron Auic. ſub lingua detenti, quorum deſcriptionem ſupra habuiſti vel, Recipe pyrethri, gingiberis ana ʒ. ij. ſalis ammoniaci, ſalis gemmæ ana ʒ. i. s. origani calaminthæ, radicis Iridis, hermodactylorum, maſtiches ana ʒ. i. fiat puluis, quo ranula fricetur: aut cum oui candido puluerem in formam linimenti redige, & ranulam obducito: poſ æger expuat: & cum decoctione rhois, vel foliorom my aut foliorum oliuæ locum abluat affectum, & linimentum riatis vicibus ſuper ranulam multoties reponatur.

Lib. 7.

Quomodo crocomagma fiat vide Aetium lib. 2. Lib. v. cap. 6.

Quòd ſi prædicta non valuerint ad opus manuale recurr dum. Infirmus igitur aperto ore lumini expoſitus ſedeat: ranul.

ranula vncinis hinc inde suspensa celerrimè, & diligenter incidatur, & ne sanguinis magna fiat effusio Recipe thuris ℥.ij. aloes ℥.i. pilorũ leporis minutissimè sectorum ℥. i. s. fiat puluis tenuissimus, vulneri super imponatur. ad idem facit chalcanthum cum oui albumine adhibitum, sed caue ne deglutiatur, nam venenum est. Suppresso sanguine os vino pontico abluat, in quo rosæ, balaustia, baccæ myrti, vel myrtha prius bullierit.

περὶ καύσιος γλώσσης.

De combustione linguæ. Cap. XV.

IAM frequenter in febribus lingua aduritur, vt nullum symptoma patientes magis reddat querulos: ob hoc expedite loqui, cibos deglutire, gustare, & tandem libera inspiratio, & respiratio illis interdicta est.

Causa.

Potissima igitur, & prima causa adustionis linguæ erit febris ardens, aut tertiana continua à bile, vel ab humoribus salsis. Secunda erit Apostema calidum in parte interiori, vt in pulmonibus, in hepate, aut in mẽbrana, quæ costas subcingit: quod vapores fuliginosos, & putridos ex se emittens, adeò linguam adurit, vt nigrescat. Tertia erit sitis uehemẽs: quam aliquis per loca arida itinerans diu passus est, unde lingua siccatur, & faucibus hæret. Quarta erit usus calidorum, & acrium, vt piperis, allij, cepæ, vini sublimati: comestio salsorum, & amarorum, vt absinthij, aloes, centauræ, & huiusmodi: item comestio dulcium vt mellis (bilescit enim in ventriculo calido, & inflammat.) Quinta erit caliditas cerebri multum excedens, quæ linguæ mediantibus tertio, & timo pari neruorum communicata ipsam aridam, & amstam facit. Sexta erit oris ventriculi superflua caliditas, quæ facilè ad linguam ascendit, ipsique impartitur (magna est enim sympathia inter vtrumque ob cõmunem tunicam, qua uestiuntur)

Signa.

Signa.

Linguæ aduſtionem, & ariditatem omnes inſpicientes agnoſcunt.

Prognoſtica.

Linguæ aduſtio cum pulſu frequēti, & paruo mortem propinquam denotat.

In omni morbo in quo lingua aduritur ferè ſemper malè præſagiendum.

Cura.

Degat patiens in aere frigido, & humido. caueat à ſole, à balneo aereo calido. Veſcatur cibis humectantibus: conuenit ptiſana hordeacea, contuſum ſeminum cucurbitæ, & melonis, Ius pulli, in quo hordeum fuerit decoctum, vel cucurbita, vel lactuca, vel portulaca viridis. fugiat cibos acres, ſalſos, amaros, dulces, & vina vaporoſa. non exerceatur, dormiat, ſed non ſupinus, neque ore aperto, & minimè iraſcatur.

Cætera cura fit per humoris biliosi, vel pituitoſi ſalſi euacuationem cum medicinis conuenientibus vel (ſi affuerit ſanguinis redundantia, & ebullitio) per phlebotomiam: vel tergendo à lingua omnem lentorem, putidum, arefactumque humorem cum inſtrumento ad hoc munus excogitato: vel mentha (vt Auic. placuit) quæ quamuis ſecundum caliditatis gradum attingat, eſt tamen multum humida: hincque ipſam oleo violaceo, vel de nymphea vel mucillaginibus pſyllij, altheæ, ſeminum mali cotonei: vel adipe gallinæ oblinendo.

Iuuant dactyli recentes, tamarindi, vel prunorum nuclei hinc, inde per os agitati. Iuuant infraſcriptæ pilulæ ſub, & ſuper linguam detētæ, & paulatim degulatæ, nam humectāt, & refrigerant: Recipe ſeminum melonū, cucumeris, cucurbitæ, cotoneorū, ſacchari candij ana ℥.ij. mānę recentis ℥.iij. ſucci glycyrrhizę ℥. i. cum ſyrupo violaceo formentur pilulæ inſtar lupini compreſſæ.

Ad Rhagadas linguæ facit decoctum hordei, glycyrrhizæ, pſyllij, paſſularum, ad ſpiſsitudinem. confert pariter mucillago pſyllij cū aqua roſ. albumine oui, & oleo roſ. permiſta,

multiſque

multisque reiteratis vicibus ore detenta. vel, Recipe mucillaginis psyllij, tragacanthæ, gummi arabici ℥.i. syrupi violati ℥.ij. tamarindorum ℥.iij. seminum portulacæ ℈.ij. spodij ℈.i. caphuræ g.iij. conterantur optimè & vtitor. ex expertis est butyrum recens: & oua mollia elixa: Item frustum cucumeris, & myxaria super linguam detenta.

Sectionis primæ, & libri septimi finis.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Duas alias sectiones: quæ nunc desiderantur: ornatiores, & lucidiores propediem edemus: hanc interim præcurrentem nuntiam benignè excipies.